

CODEX
DIPLOMATICUS POLONIAE.

KODEX
DYPLOMATYCZNY POLSKI

OBEJMUJĄCY PRZYWILEJE

KRÓLÓW POLSKICH, WIELKICH KSIĄŻĄT LITEWSKICH
BULLE PAPIEZKIE

JAKO TĘŻ

WSZELKIE NADANIA PRYWATNE

MOGĄCE POSŁUŻYĆ DO WYJAŚNIENIA DZIEJÓW WEWNĘTRZNYCH KRAJOWYCH

dotąd nigdzie nie drukowane, od najdawniejszych czasów aż do roku 1506

WYDANY

ZA STARANIEM I PRACĄ

LEONA RZYSZCZEWSKIEGO

I

ANTONIEGO MUCZKOWSKIEGO

Adjunkta Archiwum Głównego Królestwa Polskiego

WZBOGACONY PRZYPISAMI AŻ DO Nr. CVII

PRZEZ

ANTONIEGO ZYGMUNTA HELCEL

Obojga Prawa Doktora.

TOM I.

W WARSZAWIE.

Drukiem Stanisława Strąbskiego,

przy ulicy Daniłowiczowskiéj Nr. 617, w dawnéj Bibliotece Załuskich.

—

1847.

CODEX DIPLOMATICUS POLONIAE

QUO CONTINENTUR PRIVILEGIA

REGUM POLONIAE, MAGNORUM DUCUM LITVANIAE

BULLAE PONTIFICUM

NEC NON

JURA A PRIVATIS DATA

ILLUSTRANDIS DOMESTICIS REBUS GESTIS INSERVITURA

adhuc nusquam typis exarata, ab antiquissimis inde temporibus usque ad annum 1506

EDITUS

STUDIO ET OPERA

LEONIS RZYSZCZEWSKI

ET

ANTONII MUCZKOWSKI

Adjutoris Varsaviensis Tabularii Publici Regni Poloniae

NOTIS ADORNATUS USQUE AD NR. CVII

AB

ANTONIO SIGISMUNDO HELCEL

Juris Utriusque Doctore.

TOMUS I.

VARSAVIAE.

Typis Stanislai Strąbski,

vicus Danilovicianus Nr. 617, in aedibus quondam Bibliothecae Zaluscianae.

—

1847.

Wolno drukować, z warunkiem złożenia w Komitecie Cenzury, po wydrukowaniu, prawem przepisanéj liczby exemplarzy.

W Warszawie dnia $^{9}/_{21}$ Kwietnia 1845.

Cenzor,

Niezabitowski.

Exemplarze podpisem poniższym nieopatrzone, jako przedruk nieprawny, poszukiwane będą.

PRAEFATIO.

PRZEDMOWA.

Nie ulega żadnéj wątpliwości, że dyplomata są najbogatszém i najważniejszém źródłem do historyi: wyświecają one wzajemne stosunki ludów, ich prawa i zwyczaje: w nich to są przechowane imiona osób któremi się historya zajmuje, w nich znajdujemy pomoc we wszelkich poszukiwaniach starożytności. Im obfitsze te źródła, tém bardziéj rozwinąć mogą jasne pojęcie przeszłości, bez którego nie masz historyi.

Pojawienie się zatém dzieła, którego głównym celem jest wydanie na świat nieznanych dotąd materyałów, z radością powinnoby być przyjęte przez uczonych, którym po większéj części praca ta jest poświęconą. Niemcy przewodniczące w poszukiwaniach historycznych, dają nam przykład usiłowań w tym celu podjętych. Wychodzące Kodexa dyplomatyczne nietylko szczególnych prowincyj, ale i miast szczycących się własną oddawna narodowością, dowodzą ważności podobnych zbiorów.

U nas pomimo niezliczonych skarbów tego rodzaju rozrzuconych po całéj przestrzeni dawnéj Polski, mało komu na myśl przyszło, odszukać je podług możności, i połączyć w jednę całość, któraby się stała poważném Muzeum pamiątek krajowych.

Słuszny hołd przeto oddać należy tym, którzy do tego kierunku zwrócili dość teraz upowszechnione u nas zamiłowanie w rzeczach historycznych, którzy przeważne w tym względzie w literaturze ojczystéj położyli zasługi; mówię tu o Dogielu za Augustowskich czasów, o Hrabi Raczyńskim za naszéj pamięci. Znane dzieło Dogiela *Codex Diplomaticus Regni Poloniae*, wydane w Wilnie 1758 r., a ułożone na wzór Du Monta *Corps universel Diplomatique*, i Rymera *Acta et foedera* etc. olbrzymiego było rozmiaru; źródła które autor posiadał i które dla niego wszędzie stały otworem, świetne temu przedsięwzięciu zapowiadały powodzenie:

PRAEFATIO.

Procul dubio est diplomata sic dicta suppeditare historiae, rebus scilicet gestis, uberrimos eosque luculentissimos fontes: illa proferunt et patefaciunt mutuas populorum necessitudines, illustrantque eorum leges et mores; illis posterorum memoriae traduntur nomina a historiographis celebranda; illa denique maximo sunt adjumento in conquirendis cujusque generis antiquitatibus. Quo abundantiores hi fontes, eo faciliorem dant nobis praeteritorum temporum cognitionem, sine qua nulla est historia.

Opus itaque, quod in lucem proferat hujusmodi fontes adhuc ignotos, merito gratum acceptumque erit viris doctis, quorum causa praecipue hic labor est susceptus. Germani inter omnes populos facile principes in monumentis historicis investigandis, sunt exemplo, quantum in eo studiorum genere praestiterint. Quotannis ferme in lucem eduntur apud illos sic dicti Codices diplomatici non solum singularum provinciarum, sed etiam urbium, quae inde ab antiquissimis temporibus genuino civitatis jure fruuntur. Quae res ipsa sat superque probat, quanti momenti sint hujusmodi corpora.

Apud nos, quamvis superent ejus generis opes per totum antiquae Poloniae ambitum dispersae, vix quisquam animum advertit iis omnibus, quantum fieri posset, conquirendis, et in unum corpus, quod amplissimum Polonae gentis historicum monumentum exhibere possit, conjungendis.

Justa itaque gratia referenda est iis, qui apud nostrates resuscitarunt rerum gestarum studium, satis jam his temporibus cultum et divulgatum, quique hoc in genere de re litteraria patria optime meriti sunt: scilicet Dogielo, qui regnante Augusto III. et Comiti Raczyński, qui nostra memoria vixit. Celeberrimum opus Dogieli, *Codex diplomaticus Regni Poloniae,* editum Vilnae a. 1758 concinnatum ad instar operis Du Montis *Corps universel Diplomatique,* atque Rymeri *Acta et foedera* etc. latissimos sibi habuit propositos fines. Jam autem fontes qui ad manum auctoris erant, et qui illi undique patebant, in eam opinionem inducebant, opus illud

lecz praca ta nie doszła do skutku. Zjawiły się tylko trzy tomy, które aczkolwiek niezupełne, pozostaną zawsze w literaturze naszéj jako świetny pomnik ówczesnéj epoki i bogaty skarb dla historyi; chociaż słusznie zarzucić można Autorowi brak krytycznego ocenienia materyałów, niedokładność i niedbałość w ich wyczytaniu, i wyłączne zajęcie się zewnętrznemi stosunkami kraju.

Po nim wiek cały prawie minął na czczych usiłowaniach: piérwszy Edward Hr. Raczyński zajął się zebraniem i wydaniem materyałów jednéj z prowincyj dawnéj Polski; jego *Kodex dyplomatyczny Wielkiéj Polski*, chociaż w wielu miejscach błędny, a w ogólności niestarannie wydany, zawsze jednak na względy zasługuje. Po jego śmierci ze zbiorów jego wydano *Kodex dyplomatyczny Litwy*.

Większą ilością dzieł podobnych poszczycić się nie możemy; posiadamy wprawdzie liczne zbiory Praw i Statutów, na różnych Sejmach i przez różnych Królów wydanych. Szacowne to są źródła dla historyi, ale za Kodexa dyplomatyczne uważane być nie mogą. Brak jest przeto u nas podobnego dzieła zupełnie swój przedmiot wyczerpującego, ale za to nie masz prawie dzieła historycznego, dawniéj w Polszcze wydanego, w którémby znaléźć nie można było kilkadziesiąt dyplomatów odnoszących się do obrabianego przedmiotu i epoki, porozrzucanych bez ładu i celu, ale stanowiących zawsze obfity zasób materyałów. Ta ilość dyplomatów wydrukowanych po różnych dziełach, staje się mało użytecznym do prac naukowych zasobem, bo nieprzystępnym dla badaczów, z powodu rzadkości dzieł, w których się znajdują i nieporządnego ich układu; a z drugiéj strony utrudza niezmiernie wszelkie wydawanie Kodexu dyplomatycznego, którego głównym celem być powinno zapoznać świat uczony z nieznanemi dotąd źródłami, nie zaś wydrukowane już i skąd inąd znajome powtarzać. Słusznie bardzo powiedział uczony Lisch w przedmowie swojéj do *Meklenburgische Urkunden*: „że przed wydaniem zbioru dyplomatycznego, postarać się wprzód należy o dokładny wykaz czyli spis wszelkich dyplomatów gdzieindziéj już wydrukowanych, i że bez takiego treściwego regestru znajomych już dyplomatów, wszelkie dalsze usiłowania będą mniéj użyteczne, albowiem gdzie brak jest historycznych źródeł, tam w Kodexie dyplomatycznym nieznane tylko materyały umieszczać należy“. Czując potrzebę podobnéj skazówki do dzieła które dziś wydajemy, zajęliśmy się tą pracą, któréj już mało do zupełnego wykończenia brakuje. Ze znajomych nam 50 dzieł Polskich historycznych i prawnych, zrobiliśmy wypisy w treści dyplomatów w nich zawartych. W obcych zaś dziełach Niemieckich, Francuzkich, Angielskich, Szwedzkich, Włoskich i t. d. znaleźliśmy blizko siedmdziesiąt, które zawierają dyplomata bezpośrednio Polski dotyczące się. Zbiór ten nader liczny dotąd w rękopiśmie

praestantissimum fore. Attamen labor hic finem propositum non attigit. Tres nonnisi tomi typis expressi sunt, qui licet non absoluti, semper tamen erunt luculentum illius saeculi monumentum, exoptatissimusque thesaurus historiae conscribendae accommodatus: quamquam non immerito auctori hujus operis objici potest, quod in recensendis documentis non, ut par erat, arte critica usus sit, neque in iis legendis praecipuam curam et assiduitatem adhibuerit; denique quod nonnisi colligendis diplomatibus ad statum publicum spectantibus, operam dederit.

Post Dogielum, totum paene saeculum elapsum est, quo temporis spatio nil praestiterunt viri docti, nisi quod frusta vires suas tentaverunt. Primus Edwardus Comes Raczyński curam operamque posuit in colligendis atque edendis diplomatibus tangentibus statum et conditionem unius provinciae antiquae Poloniae. *Codex diplomaticus Majoris Poloniae* ab eo editus, etiamsi pluribus locis corrigendus, atque neutiquam perfectus, non parvi tamen est momenti. Post mortem Comitis Raczyńscii, *Codex diplomaticus Lithuaniae*, cura ejus collectus, typis expressus est.

Pluribus hujus generis operibus gloriari non possumus. Plurima, quae possidemus, corpora legum et statutorum a diversis Regibus in diversis Comitiis latorum, sunt quidem praecipui historiae fontes, attamen Codicibus diplomaticis adnumerari non possunt. Opus igitur, quod universum apparatum diplomaticum penitus exhauriat, adhuc apud nos desideratur: at contra, nullum fere est opus historicum, anterioribus temporibus in Polonia editum, in quo non invenias plurima diplomata, probantia rem atque temporis momenta in opere tractata. Sunt illa quidem dispersa et passim permixta, attamen exhibent copiosissimum historiae apparatum. Innumera haec diplomata in variis operibus typis expressis occurrentia, parum conducunt ad studia litteraria augenda, idque praesertim hanc ob rem, quod libri rarissimi, quibus illa continentur, non cuique ad manum esse possunt, quodque ipsa diplomata ibidem confusa et dissipata inveniuntur. Atqui eadem illa innumera diplomata multum officiunt edendo codici diplomatico, quum opus ejusmodi doctis viris nonnisi ignotos fontes offere, non autem jam typis expressos, aut aliquo modo vulgatos repetere debeat. Doctissimus Lisch in praefatione operis sui *Meklenburgische Urkunden*, recte affirmavit: „priusquam Codex diplomaticus typis vulgaretur, adnitendum esse, ut plenissimus index omnium diplomatum ubicumque typis expressorum colligeretur; quod si ejusmodi indices negligerentur, omnem operam ulteriorem minus utilem fore: quum deficientibus historicis fontibus, codici diplomatico ignota solum instrumenta inserenda essent.“ Persuasum nobis est de utilitate ejusmodi indicis, qui magno nobis adjumento esset in edendo codice, quem hodie in lucem tradimus: itaque alacriter suscepimus hunc laborem qui mox jam finem attinget. Ex quinquaginta nobis notis operibus polonicis, historicis et juridicis, brevissimos excerpsimus indices diplomatum ibidem allatorum. Evolvendo opera historica ab exteris populis, Germanis, Gallis, Anglis, Suecis, Italis vulgata, deprehendimus septuaginta ferme, quibus continentur diplomata historiam Polonam

spoczywa, bośmy się wzięli do pracy pilniejszéj i bardziéj pożądanéj. Wydanie więc tych Regestrów na późniéj odkładamy: uzupełnią się jeszcze i staną ważném dopełnieniem Kodexu, który dziś wydajemy, chociaż może wyprzedzić go były powinny.

W początkach naszego przedsięwzięcia natrafiliśmy na wielką trudność: jednoczesne bowiem zbiéranie materyałów i wydawanie onychże jest prawie niepodobném. To było powiększéj części przyczyną opóźnienia od lat kilku zamierzonego dzieła. Trudność ta przezwyciężoną została tak własném naszém usiłowaniem, jako i łaskawą pomocą osób do tego uproszonych, które wyższe nad zbyt powszechnie jeszcze wkorzenione u nas przesądy, łaskawie pozwolić nam raczyły przystępu do własnych swych archiwów. Dziś mamy już przysposobione materyały do dwóch lub trzech tomów następnych, i spodziéwamy się, że wydanie piérwszego, nowe nam jeszcze zródła otworzy. Mając zamiar jak najwięcéj wydać materyałów, nie możemy oznaczyć zakresu dzieła: a tak ilość tomów zależéć będzie od ilości przybywających materyałów. Rękopismu więc naszego nie mogliśmy tak wygotować, ażeby w nim nieprzerwanym ciągiem szedł porządek chronologiczny; nie byłoby bowiem miejsca dla nowo przybywających źródeł, o które się wciąż staramy. A z resztą, zdaniem naszém, podobne dzieło nie może być zupełne, skoro będzie ograniczone.

Dla podzielenia pracy, obraliśmy jednę tylko epokę dziejów naszych, to jest okres idący od najdawniejszych czasów, aż wyłącznie do panowania króla Zygmunta I. obranego na tron Polski 1506 roku, nie wyłączając jednak tych przywilejów, które on nadał będąc jeszcze Wielkim Księciem Litewskim. Wyczerpnienie téj epoki, pięć wieków w sobie obejmującéj, jest właśnie naszém zadaniem.

Co do praktycznego obrobienia jéj, następujące przyjęliśmy zasady:

1. Tom każdy zawiérać ma w sobie ciąg chronologiczny dyplomatów od najdawniejszych czasów do r. 1506 idących, i tym sposobem stanowić całość niezależną od tomów następnych, z właściwémi sobie indexami. Co rok ma wyjść tom jeden składający się przynajmniéj z 200 dyplomatów, i też samą obejmujący epokę.

2. Te tylko mają być umieszczane dyplomata, które się z oryginałów przepiszą, bądź wyjęte będą ze źródeł, których autentyczność żadnéj nie podpada wątpliwości. Za ogólne przyjęliśmy prawidło nie powtarzać tych, które gdzie indziéj już były drukowane; odstąpimy jednak od tego w tym przypadku, gdy mając pod ręką oryginał drukowanego już dyplomatu przekonamy się, że albo błędnie był

concernentia. Collectio haec copiosissima, adhuc in adversariis asservatur, etenim opus magis necessarium plusque desideratum, suscipiendum nobis esse duximus: illos itaque indices, sive regesta, posteriori tempore edenda reponimus. Omnem curam adhibebimus, ut illa absolvantur et plenissima reddantur, sicque fiant complementum Codicis, quem hodie publicamus, quamvis eum fortasse praecedere debuissent.

Aggredientibus nobis incoeptum opus magnum obstabat impedimentum: namque colligendis diplomatibus occupati, haud quaquam illa eodem tempore typis vulgare poteramus. Eaque res ipsa plurimum morae attulit edendo operi, quod jam aliquot ante annis publicandum constitueramus. Illud impedimentum superatum est cum nostro ipsorum studio, tum etiam officioso virorum auxilio, qui evellentes animo nimis adhuc alte insitas popularium nostrorum opiniones, lubentissime nobis aditum suorum tabulariorum privatorum dederunt. Hodie sunt nobis jam collecta munimenta, quae duobus vel tribus voluminibus contexendis facile sufficere possunt; minimeque dubitamus, quin primum hocce volumen in lucem editum, novos adhuc nobis fontes derivaturum sit. Quum nobis in animo sit, quam plurima ignota munimenta edere, ideo non possumus designare finem suscepti a nobis laboris: numerus voluminum hujus operis pendebit ex apparatu munimentorum, quae suppeditabuntur. Eandem ob causam opus hocce non ita institui potuit, ut diplomata continuo ordine chronologico disponerentur: deesset enim locus, quo recenter detecti fontes, qui a nobis cupidissime conquiruntur, referrentur. Ceterum nostrum opus, ut nostra fert opinio, minime perfectum dici potest, quum certis sit terminis limitatum.

Ut laborem nostrum divideremus, nonnisi unam periodum historiae nostrae elegimus, scilicet spatium temporis inde ab antiquissimis temporibus, usque ad Regem Sigismundum I., qui anno 1506 regnare coepit. Privilegia imperante eo Rege collata, nostro operi non inserentur, nisi quae ab illo Principe, uti Magno Duce Lithuaniae, concessa sunt. Fontes itaque diplomaticos illius periodi complectentis quinque saecula, exhauriendos nobis suscepimus.

In exsequendo labore nostro, sequentia observanda nobis proposuimus:

1. Unumquodque volumen continebit diplomata ordine chronologico inde ab antiquissimis temporibus usque ad. a. 1506 disposita. Sic, quodlibet volumen exhibebit apparatum absolutum, minime diplomatibus reliquorum voluminum interruptum. Unicuique volumini adnectentur regesta necessaria. Quolibet anno vulgabitur unum volumen, continens minimum 200 diplomata ejusdem periodi.

2. Ea solum inserentur munimenta, quae ex archetypis describentur, vel quae derivabuntur ex fontibus, de quorum fide authentica minime ambigetur. Hanc nobis praecipuam posuimus legem, ne qua repetantur munimenta, quae jam ubicumque typis descripta sunt: tunc tamen eam legem neglecturi, quum typis jam vulgati diplomatis archetypon nacti, animadvertemus illud vel perperam re-

wyczytany, albo z błędnéj wydany kopii: wtedy zamieścimy go w naszym zbiorze, jako na większą zasługujący wiarę.

3. Na czele każdego dyplomatu ma być wypisana jego treść, zamiana daty na dzisiejszą, opisanie zkąd pochodzi, i jakie są przy nim pieczęcie, waryanty (jeżeliby były dublety), nareszcie objaśnienia które się koniecznemi być okażą. Chociaż przeciwko zbyt rozwlekłym uwagom powstano w nowszych czasach; sprostowania jednak imion, miejsc i osób, często w texcie zupełnie przekształconych, ważną jest bardzo przysługą dla osób zajmujących się pisaniem dziejów krajowych. Zresztą, chociażby tam i błędy jakie się wkradły, dyplomatyczne uwagi nigdy bez wartości i korzyści nie pozostaną. Co się dotyczy zamiany dat zwykle w dyplomatach używanych, niewypowiedzianą wdzięczność winniśmy P. Hieronimowi Duchnowskiemu, który przez wydanie swéj: *Tablicy z nomenklaturą Świętych i Świąt tak ruchomych jako i stałych*, pod tytułem: *Calendarium Catholicum w Warszawie* 1844 *r.* umyślnie na ten cel sporządzonéj, i ułożonéj podług dzieł najstaranniéj o tém traktujących, nadzwyczaj nam tę pracę ułatwił.

4. W wyborze dyplomatów będzie się zważać tylko na ich autentyczność: królewskie czy książęce, osób świeckich czy duchownych: słowem wszelkie publiczne i prywatne znajdą miejsce w naszym zbiorze; gdyż równie są ważne i zajmujące, skoro wyświecają przeszłość narodu i nieznane odkrywają wypadki.

5. W Indexach téj nadewszystko postanowiliśmy trzymać się zasady, aby jak najbardziéj przyjść w pomoc wszelkim poszukiwaniom; zbyt obszerne i rozwlekłe odstręczają, zbyt krótkie nie są dostateczne. Ułożyliśmy zatém jeden Index szczególny imion własnych familij, herbów i t. d.; drugi miast, wsi, rzek, jezior i t. d.; trzeci nakoniec będzie zbiorem wyrazów średniowiecznych, polskich, lub jeżeli się jakie znajdą słowiańskich, tudzież wszelkich innych które miejsca znaleźć nie mogą pod dwoma piérwszemi: wszystkie zaś mają być porządkiem alfabetycznym ułożone. Oprócz tego znajduje się na początku summaryusz wszystkich dyplomatów jak po sobie następują.

O dokładność w wyczytaniu dyplomatów nie szczędziliśmy starań. Każdy dyplomat po przepisaniu go, porównywał się z oryginałem, a w miejscach wątpliwych po raz trzeci sprawdzał się przy korrekcie z autentykiem. Dla dokładności zachowaliśmy ortografią jaka się w oryginałach znajduje, a dla ułatwienia czytającym wprowadziliśmy interpunkcyą, jaka się nam stosowną być zdała.

Niech nam wolno będzie dodać jeszcze słów kilka o wątku z którego to dzieło powstało.

Zródła z których czerpaliśmy, są wszystkie wskazane i opisane przy samychże dyplomatach. Archiwum Główne Królestwa Polskiego, znane pod imieniem Metryk

cognitum, vel saltem ex minus recta, quam dicunt, copia vulgatum esse; tunc demum eidem, uti cui major fides habenda est, locum in nostro corpore assignabimus.

3. Cuique munimento praemittentur: summarium ejusdem, dies qua idem promulgatum, et quidem secundum nostram computandi rationem; locus ubi hocce munimentum asservetur, quibus sigillis munitum sit, variae lectiones (si plura nobis erunt exemplaria); denique subjicientur notae, quae maxime necessariae videbuntur. Licet recentioribus temporibus multum sit disputatum contra justo prolixiores notas, magno tamen levantur labore historici auctores, si, quae saepenumero in documentorum contextu perperam allata occurrunt personarum et locorum nomina, notis illustrata exhibentur. Ceterum quamvis in notis adjectis aliquid peccatum esset, observationes diplomaticae non parum afferent commodi et utilitatis. Quod attinet modum reducendorum ad nostram computandi rationem dierum, qui in diplomatibus promulgandis in usu erant, vix dici potest, quantum debeamus Viro doctissimo Hieronimo Duchnowski, qui edita a se: *Nomenclatura principalium Sanctorum et dierum festorum mobilium immobiliumque*, tum *Calendario Catholico Varsaviae* 1844, leviorem nobis hunc laborem fecit. Vir hic humanissimus suum studium in eo posuit, ut id ipsum praestaret, secutus optima opera hanc rem tractantia.

4. In eligendis diplomatibus spectabitur tantum eorum fides authentica. Sive illa proficiscentur a regibus, sive a ducibus, sive a privatis viris, sive ab ecclesiasticis: ne multa, omnia publica et privata nostro corpori inserentur, nam aeque sunt magni momenti et pariter observanda, quippe quae res praeteritas lucidas reddant, ignotasque detegant.

5. In conficiendis indicibus id nobis summopere propositum erat, ut cuique rei conquirendae maxime essent accommodati: nimis effusi et dilatati nauseam movent: nimis densi et arti non sufficiunt. Concinnavimus itaque primum indicem singularem, nomina personarum, gentium sive familiarum, insigniumque continentem; alterum nomina urbium, villarum, fluviorum, lacuum etc. exhibentem: tertius denique complectitur omnes voces medii aevi, polonicas, vel si quae forte invenientur slavicas, nec non quae primo et secundo indici apte inseri non poterant: omnes autem ordine, quem dicunt alphabeticum, sunt redacti. Praeterea in fronte operis apposita est series omnium diplomatum, conscripta eo ordine, quo se excipiunt.

Maximum adhibuimus studium ad recognoscenda diplomata: unumquodque diploma descriptum contulimus cum suo archetypo, in locis autem ambiguis tertium comparabatur cum sua tabula authentica, quum jam typis expressum, recognoscebatur. In describendis diplomatibus observavimus orthographiam, quam in iis deprehendimus: ut autem legentes verborum contextum facilius capere possent, interpungendi signa, quae aptissima videbantur, apposuimus.

Liceat nobis adhuc pauca adjicere de apparatu, qui operi nostro originem dedit.

Fontes, ex quibus hausimus, indicati et descripti sunt in notis unicuique diplomati adjunctis. Tabularium Publicum Regni Poloniae, vulgo Metrica Regni

Koronnych, licznych nam dostarczyło materyałów. Naczelnik tego Archiwum W. Felix Bentkowski, Mąż najzasłużeńszy we względzie historyi literatury polskiéj, wsparł nas nie tylko swoją światłą radą, ale nawet łaskawą i skuteczną pomocą. Z pojedynczych osób wdzięczność winniśmy wynurzyć PP. Rusieckiemu i Stronczyńskiemu, którzy z własnych zbiorów nie wachali się nam licznych oryginałów i wypisów udzielić. Michał Ks. Radziwiłł i Konstanty Hr. Ordynat Zamojski dozwolili nam także przystępu do familijnych swych archiwów. Dwa te przemożne niegdyś domy, jeden w Litwie, drugi w Koronie, które w całéj historyi naszéj zawsze świetną odgrywały rolę, i rozległe w kraju miewały stosunki, dziś jeszcze obfite posiadają źródła, tyczące się tak własnych jako téż i wygasłych już familij, a w drobnéj nawet części bynajmniéj dotąd nie wyczerpane. Łaskawa pomoc z téj strony zbyt jest dla nas ważną, abyśmy o niéj nie wspomnieli, jako na wdzięczność publiczną zasługującéj. Może też tak szlachetny przykład zachęci i innych do naśladowania go, a nie jedno zapewne historyczne zdarzenie wyjaśni się przez pomniki, które może nie w jednym zakątku butwieją, na pastwę robactwu porzucone.

Mając na celu jedynie przysłużyć się historyi krajowéj wydaniem nieznanych dotąd źródeł, wzięliśmy za wzór najlepsze dzieła w tym rodzaju w Niemczech wydawane i zastosowaliśmy je do kraju naszego. O ileśmy celu tego dopięli, osądzi to światła krytyka, która wydając sąd o naszém dziele, zechce łaskawie mieć to na względzie, że w podobnym rodzaju pracy z niezliczonémi przychodzi walczyć trudnościami.

W Warszawie, d. 15 Sierpnia 1846 r.

(Metryki Koronne) dictum, plurima nobis suppeditavit munimenta. Praefectus ejusdem Tabularii, clarissimus doctissimusque Felix Bentkovius, Vir jam optime meritus de rei litterariae polonae historia, juvit nos non tantum recto consilio, sed etiam benevolentissimo ac efficacissimo auxilio. Inter ceteros Viros privatos, justissimas gratias referre debemus amplissimis viris Rusieccio et Stronczyńscio, qui de suis propriis diplomatibus lubentissime nobis obtulerunt plurimas tabulas authenticas, vel etiam apographa. Michael Princeps Radziwillus et Constantinus Comes Zamojski sua privata tabularia adeundi nobis potestatem dederunt. Duae hae familiae, olim maxima auctoritate inter suos populares fruentes, altera in Magno Ducatu Lithuaniae, altera in Regno Poloniae, quae toto ferme nostrae historiae decursu primas partes agebant, plurimumque dignitate pollebant, nostris adhuc temporibus asservant in suis tabulariis uberrimos fontes, non solum propriam concernentes stirpem sed multas jam exstinctas familias, ne minima quidem ex parte exhaustos. Auxilium, quo hinc adjuti sumus, nimis est magni momenti, quam quod silentio nobis praeterire liceat, imo ab omnibus merito celebrandum. Illustre hoc exeplum excitabit fortasse alios, ut illud sibi imitandum sumant, et certo maxima pars rerum gestarum illustrabitur monumentis, quae forsitan neglecta putrescunt, abjecta ad corrodendum a blattis et tineis.

Volentes bene mereri de rebus gestis nostri populi, nostroque officio functuri edendis fontibus ignotis, secuti sumus celeberrima opera hac de re in Germania edita. Quid praestiterimus, viri doctissimi, penes quos est hac de re judicium, decernent, qui tamen de nostro studio sententiam ferentes velint memores esse, in hujusmodi laboribus suscipiendis, cum plurimis impedimentis dimicandum esse.

Varsaviae, d. 15 mensis Augusti a. 1846.

INDEX CHRONOLOGICUS

DOCUMENTORUM TOMI I.

c

d*

I.

Anno 1145.

Miecislaus dictus Senex, Dux Poloniae, monasterio Cisterciensium *Lądensi*, **pagos** *Kościól, Dolany, Mozscho, Kłobia, Choceń, Szetlewo, Rzgów, Grabienice, Sławsk, Wronów, Kwiatków, Chorzeń, Staralątka, Swiniarowo, Glew, Tur et Sobutka* **donat, eidemque et beneficia varia et immunitates largitur** (¹).

Anno domini M° C° XL° V° (Miecislaus Senex Dux Poloniae), pro sustentacione fratrum ibidem deo famulancium ad honorem domini nostri Jesu Christi, et gloriose genitricis eiusdem semperque virginis Marie: erogavit predicte

(¹) Quam ante ducentos fere annos *Damalevicius* libro suo, qui „*Series Archiepiscoporum Gnesnensium*" etc. inscribitur, licet non integram, p. 91. inseruerat Miecislai tabulam, ea recentiori aetate typis descripta est in *Lelevelii* opere: *De Polonorum legislationis initiis* (Początkowe prawodawstwo Polskie), Varsaviae anno 1828 edito, pag. 166 seqq.—Petiit eam autem vir doctissimus ex antiquiori anno 1375 publica auctoritate a notario Budislao de Strachowice confecto apographo, quod et confirmationem hujus privilegii per Vladislaum Locticum anni 1326 continet. Sed jam diu nobis ibidem hanc tabulam legentibus, multis de causis scrupulus injiciebatur, veramne omnino, an adulteratam agnosceremus, dum potissimum in prooemio atque epilogo, et exordiendi formula, et clausula, et ea locutio „*Nos Mescho*" (pro „*Ego Mescho*" tum temporis usitato), et indicatio munerum civilium quibus testes fungerentur, ac denique titulus „*Nobilium*" iisdem testibus inditus, inferioris aetatis usum redolerent. Praeterea, licet auctoritate *Mabillonii* (de re diplom. p. 178 cet.), *Ducangii* (v. Indictionis), *Muratorii* (antiquit. Ital. III. col. 59) aliorumque, persuasum nobis fuerit, plurimos Indictionum errores in monumentis etiam sincerrimis exstare, vel quod forte irrepserint, vel quod Indictionum initium ad libidinem a notariis olim fuerit usurpatum, et licet Epactarum numerus VI^tus^, secundum veteriorem rationem auctoris „*Fastorum Consularium*" spatia Epactarum computandi, recte ad annum 1145 (aureo numero VI^to^ insignitum) delatus sit,—cohaerens tamen cum supradictis suspicionis causis, falsa Indictionis *nonae* pro *octava* computatio, praecipue vero commemoratio „*remedii animarum posterorum*" ducis adhuc caelibis, qui e pueris nondum excesserit, dubitationem nobis magis magisque movebant. Tandem archetypum privilegii Vladislai Loctici anni

domui has hereditates cum hominibus simul et cum omnibus utilitatibus tam presentibus quam futuris, videlicet *Koszcol*, ubi concessit esse forum omni libertate plenum, *Dolan*, *Mozscho*, *Cloba* et *Gocszhene*(2). Istarum vero villarum homines tenentur singuli solvere in festo beati Michaelis LX^a^ manipulos(3) siliginis, modium avene, mensuram tritici, tres urnas brasii, quinque capecia annone metere, tria plaustra feni, totidemque lignorum, duos truncos de pino(4); per tres continuos dies cum tota familia segetes purgare, per unum diem singuli triturare(5), tres kytas lyni dare. Contulit et has subnotatas hereditates cum hominibus et omnibus utilitatibus tam presentibus

1324 inferius exhibendi a Viro amplissimo Josepho Rusiecki nacti, ex eo cognovimus, Mathiam Abbatem Lądensem, quum antiquiora coenobii sui privilegia a Vladislao Loctico confirmari postulasset, loco privilegii fundationis ą Miecislao Sene collati, (quod regi minime ostendere potuit), confirmationem tantum hujus privilegii per Boleslaum Ducem quemdam „*sororinum*" Vladislai Regis dictum, reconfirmandam proposuisse, in qua licet donationes libertationesque Miecislai suis ipsius verbis enarratae esse videantur, multum tamen abest, ut privilegium hoc ibi integrum productum putemus. Quid igitur de Miecislai tabula est sentiendum, quam eidem Mathias Abbas, annis duobus nondum elapsis, eidem Regi Vladislao iterum confirmandam protulit, et quidem talem, qualem in dicto *Lelevelii* libre typis descriptam videmus? Certe vix aliud, quam quod tempore horum duorum annorum (1324^ti^ nimirum et 1326^ti^) interjecto, ex vestigiis tum in praedicti Ducis Boleslai (quem Boleslaum Ducem Calissiensem esse putamus), tum in Casimiri Ducis Cujaviae anni 1251 confirmatione inferius N^ro^ XXXVI exhibita repertis, accomodato initio et fine, testium citatione suffulto, annoque et die privilegii uberius denotato, simulacrum antiqui privilegii conglutinatum sit. His igitur rationibus moti, in librum nostrum nonnisi illam tabulae partem assumsimus, quae Vladislaviana anni 1324 confirmatione comprehensa, re vera ex Miecislai Senis privilegio primitus emanasse videtur. — Monasterii Lądensis anno 1145 fundationem, primus Boguphalus (T. II p. 44. *Sommersberg* script. rer. Siles.), in annalibus suis commemoravit, mox autem Dlugossius retulit in chronicorum Librum V. p. 473. ed. Lips.—Conf. priv. Casimiri D. Cujav. N° XXXVI.—Est autem *Ląd* pagus et *Lądek* oppidum in Regno Poloniae ad Wartam fluvium, in territorio et regione Coninensi situm.

(2) Non quidem *Kościół*, sed *Kościelec* pagus parochialis aliis coenobii bonis vicinus, in regione Coninensi invenitur; *Dolany*, pagus ad parochiam *Lądek* pertinens, regionis Coninensis; *Kłobia*, in Cujaviensi-Brestensi, *Choceń*, in Cujaviensi-Covalensi regione sitae villae, ambae parochiales. Quum autem *Mozscho* vel *Morsko* ut apud Damalevicium legitur, in provincia tota Calissiensi et Masoviensi non exstet, nescio, an hic de villa parochiali *Morzysław* vel de *Mokre* parochiae Grojdzicensis (utraque regionis Coninensis), an vero de *Mostki* in regione Pysdrensi, vel de *Morzyce* duplici ejusdem nominis villa in Cujaviensi-Brestensi regione, parochia vero Bytoniensi et Monkoszynensi sita, agi putem. Villam in tabula *Gocszhene*, minus recta illius aevi scribendi ratione dictam, non aliam nisi *Choceń* esse, inferioris temporis privilegia docent. Vid. priv. Vladislai Loctici anni 1293 N° LXXXIV^do^. *Moszczeve* tamen Damalevicius habet.

(3) „IX manipulos" apud Damalevicium.

(4) „Duo plaustra foeni" ibidem; et „duos trochos de pino" pro truncis, legitur.

(5) „Cumulare" pro *triturare* habet Damalevicius.

quam futuris (6): *Szechovo* cum cocis (7), *Irgovo* cum sanctuarijs et stabularijs, *Grabonowicz* cum camerariis, *Zlauscho* cum piscatoribus (8), *Unanovo*, *Quascovo* (9), *Choczen, Staralanca, Suinarovo* (10); homines vero prescriptarum villarum tenentur rete trahere infra *Syras* et *Wladizlaviam* (11), per totam

(6) „Utilitatibus quae in eis sunt, et post successive esse poterunt." *Damal.* — „Et post, future e. p." Lelev. l. c.

(7) *Szochovo* Lelevelius, *Szetlevo* Damalevicius rectius citat, quum reapse, villa *Szechovo* vel *Szochovo* prorsus non exstante, *Szetlevo* pagus regionis Coninensis et parochiae Rzgovensis, proximus sit aliis coenobii bonis. De *„cocis"* tamen villae ejus nulla mentio fit in Damalevicii lectione.

(8) *„Irsgovo cum scurarus et scabulariis"* apud Lelevelium; apud Damalevicium autem *„Rzgovo cum stabulario." Rzgów* villa parochialis, regionis Coninensis. Lelevelium, *scurarios* hic quosdam referentem, in errorem sine dubio induxit verbum *„sanctuariis"* scripturae compendio notatum. Sanctuarii, quos in monumentis nostris saepissime offendimus, *Swiętniki* vulgo appellantur. *Grabienice* pro *Grabonowice* habet Damalevicius, et recte quidem, quum ejusdem nominis pagus parochialis, sit in propinquo praedictae Rzgovensis villae. *Sławsk* pagus parochialis ejusdem orae.

(9) *Unanovo,* forsan idem est ac oppidum hodie *Uniejów* dictum, regionis Wartensis, quod tamen paulo longius, nimirum 14 miliaribus a *Lądek* distat. Damalevicius pro *Unanow,* habet *Wyramowo*, Lelevelius autem *Viranovo*, cujus nominis pagos nullos in hac provincia invenies; nisi mendose ita scriptum sit pro *Warzymowo* (Varymowo) pago parochiae Skulscensis (Skulsk), regionis vero Pysdrensis, qui tamen etiam magis remotus semotusque ab aliis coenobii bonis apparet, quam ut numero eorum adscribi posse videatur. Si quis autem nobis assentiri voluerit, quod verbum *Vnanovo*, facili scripturae vitio, pro *Vranovo* vel *Wronovo* in confirmationibus Vladislavianis notatum sit, certe et hoc concedet, intelligendum esse hic pagum *Wronowo* hodie dictum, regionis Coninensis, parochiae Szymanovicensis, qui est in propinquo bonorum *Szetlewo, Rzgów*, aliorumque praedictorum. De *Kwasków* longe distante hujus nominis pago, parochiae *Blaszki* regionis vero Wartensis hic agi non facile crediderim. Non *Quascovo*, sed *Quatcovo* potius legendum, et hic pagum *Kwiatków* vel *Kwiatkowo* intelligendum esse, parochiae Dobroviensi, regioni vero eidem Coninensi ascriptum, posteriores tabulae docent. Conf. tab. Nro XXXIX exhibitam.

(10) *Chorzeń* pro *Choczeń*, rectius apud Damalevicium notatur, quum praeter supra nominatum pagum *Choczeń*, alius ejusdem nominis in hac provincia non inveniatur, *Chorzeń* autem sit parochiae Morzyslaviensis, regionis Coninensis, prope alia coenobii rura. Nec *Starolancam* vero nec *Swiniarovo* in his oris invenies. Sed pro *Staraląka* (antiquum pratum), pagum *Wielołęka* (magnum pratum), parochiae Grojdzicensis, vel *Łęk wielki* parochiae Wilamoviensis, utrumque regionis Coninensis intelligendum esse, facile nobis concedet, qui scit in Polonia more illius aevi, verba *„magni"* et *„antiqui"* (Wielki et Stary), saepissime unum significasse. *Swiniarovo* num alius sit pagus, quam *Swinice* vel *Swiénice* parochiae *Kramsko*, regionis Coninensis, nescio. — Ad verbum *Staralanca* etc. Damalevicius tenorem tabulae praecidit, eumque inferius, a verbis in Lelevelii libro videndis: *„Ut autem hoc nostrum factum"* etc. recipit.

(11) *Sieradz* urbs ad Wartam, et territorii caput. *Władysławów* oppidum regionis Coninensis, parochiae Rusociccensis, quod licet a fluvio *Warta* duobus fere milliariis distet, ab alio tamen rivo Wartam intrante attingitur.

Poloniam, cum necessitas fratrum exegerit, tam equestres quam pedestres mandata eorum dirigere. Indulsit eciam ut piscatores et venatores predictorum fratrum, piscatores et venatores suos ac posterorum suorum ubique piscando et venando libere sequantur. Dedit eciam ad lumina acquirenda prefatis fratribus tria fora cum tabernis, videlicet: *Gleu, Thur, Sobotka* (12). Voluit eciam tabernarios predictarum villarum nusquam citari, nisi coram Abbate. Quia vero donum deo collatum legibus principum subiacere non debet, absolvit omnes homines in premissis villis commorantes, a *powos,* ab omni *prewot,* a *strosa, a-dan, naraz, polvorove, targove, mostne,* a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione vel custodia aut conductu castorariorum, a custodia et solucione erodiorum, quod *sokol* dicitur, a vicinia, quod *opole* dicitur wlgariter, ab omni exaccione sive colleccione, a vecturis et expedicionibus, et ab omnibus iuribus in Polonia constitutis quibuscunque censeantur nominibus. Nulli ergo Castellanorum aut iudicum citandi seu iudicandi in prefatis hominibus vel villis eorum ius aliquod reservans.

(12) Pro *Glew* quod in hac provincia non exstat, pagum *Glowiew* parochiae Kucharensis in propinquo pagorum Rzgów et Grabienice situm, intelligendum esse puto. *Tury* duae sunt villae parochiae Krzymoviensis in Coninensi regione. *Sobotka* pagus parochiae Chelmnensis in regione finitima Lanciciensi non longe ab oppido Władysławów distat.

II.

Anno 1153.

Zbilut quidam auctore et impulsore Joanne Archiepiscopo Gnesnensi, praesente Miecislao cognomine Sene, principe Poloniae Majoris, coenobium Cisterciensium in villa *Lekno* fundat, eique e patrimonio suo villas *Rgielsko, Straszewo, Panigrodz* et *Lekno* donat (1).

In nomine sanctę et individuę trinitatis. Notum sit omnibus catholicis tam futuri quam presentis temporis. Honestum ac beatum constat esse votum, immo sanctum ac laudabile patet esse commercium, dare sua transitoria et recipere pro his eterna, terrena sibi displicere, et celestia possidere.

(1) Descriptum ex archetypo membranaceo, quod Posnaniae in bibliotheca Raczyńskiana asservatur. Sigillum e vulgari cera flavi coloris effictum, in quo, quod exaratum fuerat, nunc

Hujus itaque tam sanctę negociationis amore, ego Zbilud Polonię civis superna inspirante gratia medullitus ignescens, decorem domus dei et locum habitationis glorię suę diligens, simulque in libro vitę cum justis conscribj cupiens, patrimonij mei liberi porcionem, villas scilicet has: *Erglzko* cum lacu integro, *Ztrassowo, Pogengroza*, et in *Lokna*(2) forum cum taberna, omnium bonorum largitori deo, ad gloriam et laudem, eiusque genitrici et sancto Petro ad honorem, cum intimę devotionis humilitate contradidi, et exinde in una conscrjptarum villarum, Lokne videlicet, domicilium deo fieri, dotari, investiri cum devoti desiderij puritate instituj. Pro cuius ergo domicilij spiritaliter disponenda gubernacione, pro continuanda ibi divinę servitutis administracione, pro statuenda etiam ibidem regularis ac spiritalilis (sic) disciplinę religione, viros quosdam spiritales, personas venerabiles, mortuos mundo viventes Christo, cenobitas re et habitu et professione, plenos dei ac proximi dilectione, prout potui, reverenter advocavi, suscepi, dilexi, locavi. Quibus in eodem loco, *Lokna* scilicet, spiritaliter degentibus, villas pretitulatas cum reditibus earum universis, in usum liberrimum, extunc et in perpetuum, quasi pauperibus Christi pauper ipse, sine ulla contradictione delegavi. Quapropter huius mei devoti studij factive testamentum, ne ulla unquam superior seu inferior persona prava machinatione ducere possit in irritum, sed ut integrum et inconvulsum maneat in perpetuum, dominum Johannem sanctę Gneznensis ęcclesię Archipresulem, dominum Stephanum Poznanensis ecclesię Antistitem, dominum Mesikonem Ducem, aliasque perplurimas personas sublimes ac humiles convocavj; ubi ab utroque Episcopo, coram astante multitudine, sub perpetui anathematis obtentu confirmari, votis omnium michi congaudencium impetravj: ut si quis in

plane evanuit, facie adversa internae parti tabulae ab imo dextrorsum ita impressa, ut ejus aversa facies per foramen rotundum ex parte altera superne eminens, conspiciatur. — Tabula haec jam typis descripta fuit in Damalevicii „Serie Archiepiscoporum Gnesnensium" (Varsaviae 1649 p. 103. seqq.), ita tamen, ut et nomina testium in fine omissa sint, et in descriptione fides diplomatica desideretur.

(2) *Rgielsko*, villa est ad lacum ejusdem nominis sita, in territorio Bydgostiensi, regione Wągrovicensi, parochia Tarnoviensi, inter *Lekno* et *Wągrowiec*. *Straszewo* non procul ab eo oppido distat, quod postremo nominavimus; ejus parochiae adnumeratur et molam habet aquariam. *Panigrodz*, ibidem parochialis villa est. *Lekno* autem et villa est et oppidum (ubi parochialis ecclesia), ad lacum ejus nominis. Omnia haec loca nunc Borussicae sunt ditionis, et quidem in Ducatu Posnaniensi.

presens sive inposterum huius ~~testamenti prevaricari~~ presumpserit privilegium, superni iudicis sine misericordia sententiam incidat, infernus eum vivum, nisi resipuerit, absorbeat. Anno M. C. L. III. Bolezlao, Mesikone, Henrico, fratribus germanis in Polonia principantibus. Acta sunt hec a Iohanne sanctę Gneznensis ecclesię venerabili Archipresule, cuius etiam sigilli inpressione signatę sunt hee littere sub privilegiali cautione testibus omn...: ......tatis. Radvano Cancellario, Wilhelmo Custode, Magistro Folberto, Magistro Stephano, et his Comitibus: Ztreskone(?), Pacozlawo, Predwoy, Brodizlawo, Dyrsycrayo, Dobrogost, Johanne, Gerwardo, Bogussa, Mysykone pomerano, Predzlao, Thoma(3).

(3) Paulo elegantior, quam pro illa aetate, sermo, literarum ductus minus usitati atque ipsius chartae singularis forma, tum vero sigillum non appensum sed in ipsa charta impressum, et litera ę loco diphthongi *ae* passim posita; porro autem nulla apud Dlugossium de ea fundatione mentionis vestigia, qui tamen de instituto a. 1145 in villa *Wągrowiec* a Miecislao Cisterciensi coenobio referre videtur; maxime vero nomen *civis Polonie* viro equestris ordinis inditum; in eam opinionem induxerunt nonnullos in literis polonicis haud tenui auctoritate florentes viros, ut tabulam hanc spuriam esse judicaverint, eamque opinionem nobiscum communicaverint. Nobis autem exemplum a viro doctissimo Josepho Łukaszewicz Bibl. Racz. Posn. Praef. missum, iterum iterumque legentibus, opinio haec adeo in suspicionem venit, ut ad hoc antiquissimum archetypum monumentum nostris ipsorum oculis examinandum iter Posnaniam susciperemus; eumque inde retulimus fructum, ut tabulam accuratius describere, et a suspicione, in quam a nonnullis inducta est, liberare possimus.

a) Membrana, in qua hae literae sunt scriptae, crassa est et fulvo colore, qualem in Germania et Francogallia seculo XII in usu fuisse testatur Benedictinorum S[ti] Mauri, de re diplomatica gallice scriptum opus, quod germanice reddidit et suis additamentis locupletavit *Adelungius*, in libro a nobis porro allegando: *Neues Lehrgebäude der Diplomatik* cet. (Vid. Tom. VI. p. 226); in Polonia vero ad ejus generis literas adhiberi solitam, inspectae a nobis tabulae, quae ad seculum XII et initium XIII[mi] referuntur et in hoc codice describentur, clare demonstrant. Formam quoque oblongam chartae, vulgarem illis temporibus fuisse idem Adelung docet (ib. p. 224), et nostra monumenta inferius passim posita (e. g. tabula anni 1236. N[ro] XXVI exhibita) ostendunt.

b) Scripturae forma diligenter et accurate exhibita (ita quidem, ut literae b, d, h, l, s, t, apte concinneque helicibus sinistrorsus inversis exornatae conspiciantur), Carolingianae haud absimilis eam maxima ex parte refert, quam ambae tabulae, videlicet sec. XI[mi] et XII[mi] in opere Adelungii (Tom I, p. 365) descriptae repraesentant. Prima linea uncialibus literis exarata; abbreviationes perpaucae; interpunctionis signa nulla excepto puncto, quod literis suppositum quamvis distinctionem denotat. Litera *i* puncto supra posito caret, sed pro eo nonnullis in locis lineola tenuissima conspicitur (í íj). Literae supra lineas acuto, ut videtur, graphio ductas exaratae; quae ne a recta via aberrarent, ex parte utraque chartae foramina tenuissima facta sunt. Quae quidem cuncta manu scriptorum seculi XII signa esse qui neget, hunc erroris facile convincet Adelungius (Vid. l. c. T. III. p. 86. T. V. p. 17. 20. 28. 96. 98). Quod denique ad literam ę loco *ae* passim positam attinet, haec tantum abest, ut adulterationis sit documentum,

quemadmodum quidam satis literati viri opinantur, ut contra eo fides incorrupta tabulae vel maxime declaretur: siquidem constat, diphthongum *ae* vel loco illius *ę* antea vulgare, ipso seculo XII in desuetudinem abire, et usitatiori *e* loco cedere coepisse.

c) Sigillum chartae impressum non vero appensum, quod nonnullis dubitationem movet, fidem tabulae vel maxime comprobat. Sigilli enim cerei appensi ante seculum XI vix aliqua exstant exempla; quum mos hic seculo demum XII in Francogallia et Germania invalescere coepit. Atque haec causa est, cur in nostris quoque tabulis seculi XII non de appenso sed de impresso sigillo plerumque sit sermo; quod et nostrae collectionis diplomata pleraque clare demonstrant, et privilegium anni 1153 ejusdem Archiepiscopi Johannis, in praefato Damaleviciano libro p. 97 seqq. Quo durior autem nostri sigilli cera, ut pars posterior veluti crusta obducta videatur, eo remotior antiquitas, eo major integritatis fides. Ad haec omnia vid. Adelung. l. c. T. V. p. 306. 307. T. VI. p. 171-175.

d) Formulam invocationis: „In nomine sanctae et individuae trinitatis" seculo XII solemnem fuisse in Francogallia et Germania, in formula notificationis autem religionis catholicae mentionem fieri jam seculo X solitam, docet idem Adelung (T. VIII. p. 181. 182 et 109). In Polonia autem idem vulgare fuisse ostendunt tabulae a nobis allatae.

e) Nomen *civis* viro nobili tributum ne quid offensionis habeat, multis argumentis efficitur. Etsi enim negari nequit, media (quam dicunt) aetate de urbicolis et oppidanis vulgo usurpari solitum esse, a nostris tamen annalium scriptoribus, qui vel XII seculo vel paulo serius vixerunt, more romano de quibusvis terrae incolis civitate gaudentibus (sive illi oppidani sive equites essent) adhibitum fuit. Sic in Chronicis Mathaei (in edit. Lips. Kadłubkonis l. II. ep. 29. p. 683) de castris equitum Polonorum haec referuntur: „*Civium castra cum hoste impegisti;*" et: „*hostibus in excidium patriae subordinatis castra civium noctu irrumpit;*" et: „*quae in cives vel erga hostes affectio demonstrandum;*" porro autem (p. 685): „*Quid ergo? fraterna inquis religio, civium amplexus, patriae salus" cet;* et (p. 686, ubi Zbigneus de se loquitur): „..... *hinc ab hostibus, illinc a civibus quasi hostis occupor: civem autem ad cives licet confugere.*" Auctor vitae S. Stanislai (initio seculi XII) de Boleslao cognomine Audaci capitulo XI haec habet: „*Magnanimus in donativis, liberalis et prodigus, sed tamen tyrannus militibus. Erat enim praedo civium* (quae vox ad milites, adeoque nobiles quoque refertur), *oppressor pauperum*" etc.

Jam vero nomina *Archipraesul* et *Antistes* de Archiepiscopo Gnesnensi et de Episcopo Posnaniensi a Zbiluto adhibita, in privilegiis antiquioribus etiam hac aetate reperiri docet Adelung (VI. 413). Titulum *Venerabilis* illo seculo non Episcopis modo, sed et aliis sacerdotibus tribui solitum, patet tum ex opere Adelungii (VI. 421. VIII. 176) tum e nostris tabulis in hoc corpore allatis, tum denique e Chronicis Martini Galli (prooem. p. 4. ed. Bandtkii), qui ibidem et verbo *praetitulare* simili ratione, qua hic adhibitum est, utitur.

De ratione dicendi disputantes, non possumus praeterire (id quod nobis vel maximi momenti esse videtur) miram nos observasse similitudinem dictionis latinae, qua hujus tabulae auctor (videlicet Johannes Archiepiscopus) usus est, cum illa, quam referunt epistolae seu sermones in tres priores libros chronicorum Kadłubkonis redacti, qui nunc vulgo Mathaeo Episcopo Cracoviensi tribui solent.

f) Neque nos movet postremum quorundam argumentum ex historia petitum, quod videlicet Długossius nullam de fundato Leknae monasterio Cisterciensium mentionem facit; quum idem ne de Wągrovicensi quidem coenobio ullo loco affirmat a Miecislao Sene anno 1145 fundatum esse, sed de Lądensi monasterio, quod hoc anno a dicto principe fuit institutum, loquens, veluti in transitu mentionem injicit, ea scilicet occasione, quod quemadmodum in Lądense sic in Wągrovicense collegium monachi Colonia Agrippina essent petendi, vi privilegii urbi Coloniae a Miecislao impertiti. Potuit autem Dux hoc privilegium ad utrumque monasterium referre, etsi unius ipse fundator erat, alterius nonnisi fundationis testis. Quid? quod Boguphalus

Episcopus Posnaniensis Miecislai fere aequalis, quem res singulas ad utramque causam pertinentes scire optime potuisse nemo infitias ibit, non solum de fundato per Miecislaum Lądae monasterio, sed et de exstructa per eundem Calissii ecclesia S. Pauli, et de plumbeo tecto ecclesiae Gnesnensi imposito copiose exponens, Wągrovicensis coenobii fundationem ne levissime quidem attigit? (Vid. Sommersb. script. rer. Siles. II. 44). Quid? quod alii quoque annalium scriptores, qui Długossium praecesserunt, nihil de ea re memorant? Jam vero monasterium Cisterciense diu post Miecislai mortem Leknae non Wągroviecii exstitisse luce clarius evincit privilegium Vladislai Odonis anni 1233, quo villae monasterii Leknensis Abbatisque Henrici propriae, Panigrodz dictae, jus theutonicum culmense tribuitur, quodque ex archetypo descriptum infra Nro XXIV exhibuimus. Idemque aliis indubiis emanat indiciis, privilegiorum videlicet, tum praedicti Vladislai Ducis anni 1232 (in Damalevicii Serie Archiepp. Gnesn. p. 102), tum Praemislai Ducis Majoris Poloniae anni 1247 (in Codice diplom. Raczyńsciano N° XXVI) typis jam dudum descriptorum. Conf. etiam *Barth. Paprockii* (Herby Rycers. etc. p. 65).

g) In Damaleviciana „Serie Archiepiscoporum Gnesnensium" (pag. 97 seqq.), legimus privilegium dotationis monasterio Cisterciensi in pago Brzeźnica (Jędrzejów) ab eodem Archiepiscopo Johanne eodemque anno 1153 datum; cujus argumentum Długossius sub anno 1154 refert (*). Quod testimonium historici si ad comprobandam ipsius privilegii fidem facere videtur, non minus grave est argumentum ad tollendam dubitationem de nostrae tabulae diplomatica integritate: siquidem utrumque ita inter se concinunt verbis dictionibusque, ut ad eandem normam simul concinnata esse videantur, hoc tantum discrimine, quod in utroque alia testium reperiuntur nomina, ita tamen, ut alterius privilegii auctor Zbilut, in altero testis personam sustineat.

(*) Librarii errore factum videtur, ut annus 1154 loco 1153 positus sit: siquidem Eugenius III. P. M., quo imperante privilegium datum invenitur, mense Novembri anno 1153 mortuus est, nocte, quae fuit inter 7 et 8um ejus mensis diem.

III.

Anno 1155, die 18. mensis Aprilis.

Privilegium protectorium Adriani IV. P. M. impertitum coenobio Augustianorum in Czerwińsk, eorumque bonis (1).

Adrianus Episcopus servus servorum dei dilectis filiis, Guidoni Priori ecclesie beate Marie in *Cirvenzk* (2) eiusque fratribus tam presentibus quam

(1) E tabula authentica membranacea, quae in bibliotheca Ill. Comitis Zamojski Varsaviae asservatur, sed caret nunc bulla plumbea filis glauci, viridis et rubri coloris olim appensa, qua eam instructam olim fuisse, notarialis copia membranacea anni 1404 ejusdem bibliothecae testatur. Eugenius IV. P. M. hanc Adriani bullam anno 1443 confirmavit, ejusque confirmationis copia in corpore privilegiorum Czervinensium legitur pag. 36. seqq.

(2) *Czerwińsk* parochiale oppidum Plocensis territorii et regionis ad Vistulam situm.

futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Officii nostri nos ammonet et invitat auctoritas, pro ecclesiarum statu satagere et earum quieti ac tranquillitati salubriter auxiliante domino providere. Dignum namque et honestati conveniens esse dinoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas et a pravorum hominum nequicia tueamur, et beati Petri atque sedis apostolice patrocinio muniamus. Ea propter, dilecti in domino filij, vestris iustis postulacionibus clementer annuimus, et prefatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione (sic) suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largicione regum vel principum, oblacione fidelium seu alijs iustis modis, deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec proprijs duximus exprimenda vocabulis. In *Plozica* (3) prebendam *Zaxichov* (4); in *Cirvenzk* decimum et nonum forum, decimam et nonam marcam, decimam et nonam navim, decimum poletrum, decimum diem in clausura (5). Totum *Lomina* (6) cum pertinentiis suis; *Gostezlaw* (7) cum pertinentijs suis; [*Scol*] *atove* (8) cum pertinentijs suis; *Targoscine* (9) cum pertinentijs suis; *Nasidlzk* (10) cum pertinentijs suis; caccabum in *Segovend* (11);

(3) Urbs *Plock* sui nominis provinciae caput.

(4) In apographo hujus bullae notariali anno 1404 exarato, et privilegio legati apostolici Opisonis anni 1254, quod inferius N^ro^ XLIII exhibuimus, villa haec appellatur *Zasków*, *Sasków*. Est autem *Zaszków* villa parochiae oppidanae Nurensis, territorii Ostrolencensis, in propinquo aliorum coenobii bonorum sita.

(5) Legatus apostolicus Opiso in privilegio, de quo superius mentionem fecimus, non de decima *die*, sed de decima *nocte* in clausura loquitur, et singulas hic commemoratas donationes uberius denotat.

(6) *Łomna* villa publica parochialis in Varsaviensi regione.

(7) Sine dubio villa *Gocław* regionis Plocensis ad parochiam Łętowo pertinens. In apographo antiquo legitur *Gotsław*.

(8) Verba, quae rimae chartam laedentes legere impediunt, hic uncis interclusa, secundum apographi tenorem restituimus. *Skołatowo* parochialis villa in regione Plocensi.

(9) *Targosczine* in apographo: sed neque *Targoscina*, neque ulla alia villa, cujus nomen simile sit, in hac regione reperitur. Proximum vero videtur agi de villa *Kargoszyn* non procul a *Nasielsk* sita, in territorio et regione Prasznicensi ad parochiam Ciechanoviensem pertinente.

(10) Est autem *Nasielsk* oppidum parochiale in Pultusciensi territorio et regione.

(11) Tam *Segovend* quam *Sgovantka*, quae in notariali copia bullae anni 1404 et in privilegio Opisonis occurrit, in his regionibus plane ignota sunt. Est tamen villa *Zglowiatka* seu

Garvolionem ([12]) quam Bartholomeus Comes cum uxore et filio pro redemptione anime sue ecclesie beate Marie devotionis intuitu dedit et scripto suo firmavit; [forum] in *Cohov* ([13]) ex dono Henrici Ducis; *Chrominnam* totam; *Scriseva* cum lacu; *Chomissinam* ([14]); *Guiduam* ([15]); *Parlin* ([16]). Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam Cervenensem perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernacione et sustentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolice auctoritate et Masoviensis Episcopi canonica iustitia. Si qua ergo in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, [contra eam] temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua [emendaverit], potestatis honorisque sui dignitate egeat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus, sit pax domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructus bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen.

Zgłowiączka parochialis in territorio Cujaviensi regione Brestensi, prope oppidum *Lubraniec;* nec non rivus apud Długossium (I. 14, 26) *Zgowiątka* dictus, cujus caput est lacus Orle dictus, inter Lubraniec et Piotrkowo oppida situs, ostia vero prope Vladislaviam in Vistula fluvio.


([12]) *Garwolewo* villa publica regionis Plocensis, ad parochiam Czerwińsk pertinens.

([13]) Duae ejus nominis villae in possessione coenobii fuisse videntur, quarum una plerumque simul cum *Kobylnica* citatur Podlachiensis provinciae, regionis vero Żelechoviensis et parochiae Maciejovicensis, non procul a *Kobylnica*. Altera ejus nominis reperitur in Sandomiriensi regione, parochiae Strzyżovicensis, de qua hic agi verisimile mihi videtur ex decreto judicii Sandomiriensis, lato 1373 anno, in causa coenobii Czervinscensis cum possessore vicinae villae *Strzyżowice,* quod in libro privilegiorum monasterii hujus reperitur pag. 4 et 5.

([14]) *Cromnova* in apographo: *Kromnow* (unum polonicum, alterum germanicum) publica villa est Masoviensis provinciae regionis Sochaczoviensis, parochiae Brochoviensis. *Strużewo* autem situm est in regione Plocensi, parochia Wronensi; ibidemque *Komsin* villa ad parochiam *Czerwińsk* pertinens.

([15]) *Suidva* in apographo dicta villa, quae una cum Wilkowiec, Olszyny, Golawice, Pomnichowo, multisque aliis monasterio proximis bonis, in privilegio Casimiri Magni anni 1361 inferius exhibito, in districtu olim Zacrotimensi sita fuisse traditur; nec in tabulis geographicis, nec in indice locorum Regni Poloniae inveniri potest.

([16]) *Parleń* villa publica est in Plocensi regione sita, parochiae Czervinscensis.



Ego Adrianus catholice ecclesie Episcopus (ss.) („*Bene valete*" in monogrammate).

† Ego Guido presbyter cardinalis tituli ss. † Ego Imarus Tusculanus Episcopus. ss. Ego Odo Diaconus Cardinalis sancti Georgii ad velum aureum. ss. † Ego Gregorius Sabinensis Episcopus. ss. † Ego Aribertus Presbyter Cardinalis tituli sancte Anastasie. ss. † Ego Julius Presbyter tituli sancti Marcelli. ss. † Ego Odo Diaconus Cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano. ss. Ego Octavianus Presbyter Cardinalis tituli sancte Cecilie. ss.

Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Rolandi sancte Romane ecclesie Presbyteri Cardinalis (et cancellarij, XIIII) kalendas Maij, Indictione III Incarnationis dominice anno M° C° L° V°. Pontificatus vero domini Adriani Pape IIII[u] anno primo.

IV.

Anno 1176, die 10ª mensis Augusti.

Casimirus dictus Justus Dux Poloniae, monasterium Cisterciensis ordinis *Sulejoviae* **fundat** (¹).

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Casimirus Dux Poloniae notum facio praesentibus et futuris, quod ego ob animae meae remedium et

(¹) Ex apographo confirmationis Boleslai Pudici an. 1262, quod e libro donationes ecclesiae metropolitanae Gnesnensi factas exhibente, in archivo Capituli ejusdem ecclesiae asservato descriptum erat.— De fundatione monasterii Sulejoviensis anno 1176, vide quod refert Długossius Lib. VI. p. 531. Conf. etiam Damalevicii „*Series Archiep. Gnesn*". p. 118. Privilegium confirmationis an. 1262 praedictum, inferius descripsimus N^ro^ L°.

omnium tam praedecessorum quam successorum mèorum, contuli deo et beatae Mariae et fratribus ordinis Cisterciensis ad claustrum construendum cum dei adjutorio et nostro, villam et fundum quae *Siliow* (2) vulgariter appellatur, cum omnibus pertinentiis suis, videlicet *Strżelce* et *Dambrowa* (3); et ut nostrae devotionis benevolentia clarius elucescat, conferimus eam cum familiis suis et utilitatibus universis. Insuper addimus ad juvamen monasterii supradicti *Bełdrzykow montem* et *Buchine* (4). Confero etiam *Campa* (5), *Pucenow* (6), *Manow*, *Szczepanow* et *Petrow* (7), sicut Comes Rescelaus (8) tenuit. His addimus *Chennam* cum haeredibus suis et *Thandow* (9). Conferimus etiam eidem claustro singulis annis tredecim plaustratas salis integraliter, sicut de Russia ducuntur, de theloneo in *Sandomiria* (10) recipiendas; et alveum salis in *Cracovia*, et novem castores annuatim de camera mea recipiendos. Foro autem praedictae ecclesiae et omnibus quae contuli,

(2) *Sulejów* nunc oppidum in sinistra ripa fluminis *Pilicia* dicti, ecclesia parochiali insigne, in regione Petricoviensi; et ejusdem nominis contiguus pagus in dextra Piliciae ripa situs, regioni tamen Opocznensi adscriptus.

(3) *Strzelce*, pago Sulejoviensi proxima villa. *Dąbrowa*, villa parochialis in territorio Opocznensi, regione Szydłoviecensi.

(4) *Bałdrzychów góra*, villa parochialis in regione Zgiersensi sita: *Busina* villa parochiae Bałdrzychoviensis, regionis autem Szadcoviensis; *Buczina* autem secundum Długossium. In apographo perperam *Bechine* legebatur.

(5) De eadem villa *Campa* privilegium Boleslai Ducis Siradiae anno 1233 monasterio Sulejoviensi collatum, et inferius Nro XXIIIto descriptum loqui videtur, eandemque a flumine Ner dicto, quin et a pago *Baldrzychów* non longe distare docet. In confirmatione vero antiqua privilegiorum et donationum monasterio impertitarum, per Conradum Ducem Cracoviae et Siradiae anno 1242 edita, inferius Nro XXXIo afferenda, in qua omnes hae villae recensentur, nulla fit de villa *Kampa* vel *Kępa* mentio; neque in Baldrichoviae oris et prope Ner flumen est aliqua hujus nominis villa: quare de pago, *Kępina* dicto, in parochia Graboviensi, regione vero Lanciciensi sito, hic agi non dubitandum putem.

(6) *Pucenów* falso authographon exhibet, *Paczanow* autem Długossius: quorum nominum quum neutrum ad ullam hujus provinciae villam applicari possit, multo verius praedictum Conradi privilegium anni 1242, Pucenoviae loco *Prasinów* villam recenset, quae hodie *Prusinovice* vocatur, parochiae Leźniczka, territorii Lanciciensis, regionis Zgiersensis.

(7) *Mianów* villa regionis Zgiersensis, parochiae *Kałów*; *Szczepanowo* in regione Lanciciensi, parochiae Umienie; *Piotrów*, ni fallor, in regione Szadcoviensi, parochia Wierzchy; aliud enim *Piotrków*, quod in regione Orłowiensi prope Gostynin in parochia Białotarsk situm est, nimis longe ab aliis praefatis bonis distat.

(8) *Ruslaum* Długossius l. c. memorat, verius tamen *Ratslaus* in praedicto Conradi Ducis anni 1242 privilegio nominatur.

(9) Vide inferius adnotationem 13am.

(10) *Sandomiria* urbs ad Vistulam, olim provinciae, nunc territorii regionisque caput.

confero plenam libertatem et omnis tributariae servitutis immunitatem, ita quod homines eorum, cujuslibet conditionis sint, ad nullam saecularem audientiam provocentur praeter nostram, et cum litera nostra quidem et sigillo. Ad castra vero construenda vel constructa linienda, vel expeditiones communes nullatenus ire compellantur. *Powoz* non ducant, *naras* et alias solutiones omnino non solvant. Theloneum et naulum, vendendo vel emendo sive itinerando, non solvant. Sciendum praeterea, quod forum monasterii supradicti cum pertinentiis suis conductum nullum ducit. Fratres autem causas, quae inter homines suos ex utraque parte contigerint, sive civiles sive criminales judicabunt, solutiones libere recepturi. Sciendum denique, quod dominus Petrus Gnesnensis Archiepiscopus, hujus sancti operis coadjutor esse cupiens, divina instinctione et mea et Fulconis Cracoviensis Episcopi petitione, decimam de *Sylio* cum pertinentiis suis, decimam de *Bela*, de *Lanchno*, de *Milejow* ([11]), de *Stampis*, de *Stibor* et *Domecelavz* ([12]) contulit eisdem fratribus. Ecclesiam quoque de *Bełdrzyków* cum decimis, decimam de *Standau*, de *Chenna*, de *Pasturow* ([13]) contulit, et sigilli sui et nostri et Fulconis Episcopi Cracoviensis munimine roboravit. Acta sunt haec anno ab incarnatione domini MCLXXVI° in ecclesia sancti Blasii.

([11]) *Biała* et *Łęczno* villae ad parochiam Sulejów pertinentes, *Milejów* villa parochialis, omnes Sulejoviae proximae, in regione Petricoviensi sitae.

([12]) *Stampis, Stibor, Domecelavz* (Domeczelan apud Długossium), corrupta nomina esse puto villarum *Stępiew* parochiae Wojkoviensis, regionis Siradiensis, vel *Stępka* parochiae Wygiełzoviensis, regionis Szadcoviensis; *Stobniciae* parochiae Sulejoviensis, et *Domiechowice* parochiae Bełchatoviensis, ambas vero regionis Petricoviensis.

([13]) *Standów* quod paulo superius *Tandów*, apud Długossium etiam Taniow dictum est, nec non *Chennam* et *Pasturów* frustra in hac provincia quaesiveris. Vero non absimile mihi tamen videtur, hic de villis Dioecesis Cracoviensis omnibus simul regioni Szydłoviensi adscriptis agi, quarum scilicet *Staniowice* ad parochiam Chomentów, *Chańcza* ad parochiam Kutuszów, *Pasturka* vero ad parochiam Pińczoviensem pertinet.

V.

Anno 1187. (Plosci).

Sententia Casimiri Justi Ducis et Monarchae Poloniae ejusque consiliariorum, de beati Benedicti capella ad canonicos ecclesiae cathedralis Plocensis pertinente, a Crivosandone vero quodam et Cetheo sibi vindicata (1).

Anno millesimo centesimo octuagesimo septimo incarnationis dominicae, Crivosandum cum Cetheo excitavit inimicus homo, injuriose reclamare capellam beati Benedicti in audientia Incliti Ducis Casimiri suorumque Principum, videlicet duorum Episcoporum, Plocensi Vitho (sic), atque Cujaviensi Stephano (sic) (2), et Zirone Illustri Comite, et Nicolao Primate (sic), quibus sic placuit litem dirimere: ut quod esset juris ecclesiae, testimonio venerabilis praepositi Barthonis, Canonicis cederet; et quod reclamantium, Crivosand sacramento retineret. Ut autem hoc firmius remaneret in posterum, sicut Crivosand tantum villam *Crow* (3) temerario sacramento avulsit ab ecclesia, in qua tamen sortem unam et villae decimam ecclesiae se confessus est dedisse, ita memoratus praepositus, *Cisow* (4) villam totam cum ecclesia Canonicis intemeratae virginis sub forma intrandi manus reverendi Episcopi Vithi et ibidem praesentis, in sempiternum confirmavit, quod supra memoratorum Episcoporum anathematis confirmatum est sententia (5).

(1) Ex exemplari Naruszeviciano manuscripto, quod in relicto post mortem ejus monumentorum corpore ad historiam Polonicam conscribendam servientium, Nro 62 reperitur, in quo autem de tabula authentica in tabulario Capituli Plocensis asservata, sigillisque Casimiri Ducis et Viti Episcopi munita, fit mentio.

(2) Errat igitur Długossius Lib. VI. p. 561 et post eum Damalevicius (Vitae Vladislaviensium Episcoporum p. 146), qui Stephanum Episcopum Cujaviensem anno demum 1190 vel 1191 ad eam dignitatem pervenisse tradunt.

(3) In indice villarum aliorumque locorum provinciae Plocensis et Masoviensis, frustra villam *Crow* vel *Krow* quaesivi; facile tamen eam esse, quae hodie *Krobia* appellatur, putem, quum ejusdem sit et provinciae Plocensis et territorii regionisque Ostrolencensis, cujus est villa *Czyżewo*, de qua inferius agetur. *Krobia* ad parochiam Kadzidlensem (Kadzidło) pertinet.

(4) *Czyżewo Kościelne* haud dubie villa ad parochiam oppidi *Czyżewo* pertinens, vel ipsum immo oppidum.

(5) „Silentio" perperam in apographo legebatur.

s, vel
t (1).

yens,
sub
num
uxor
, in
ebus
tera
oco,
que
zesk
ica,
ere

zevii
itus
lem,
pta,
ssio
nsis
207
uca

tow

ciae

nte,
em

nt:
an

Sen
Bon

Cri
ca
Pr
vie
qu
ve
Cr
sic
ec
fes
ec
Ep
su

me
qu
Du

en
ad

vil
qu
Ca

in

deo
lk ma-
pune
ı ꝰ
t cū
a me-
ura
, cum
Core-
p° dictis
tegitur:
are obti-
o soli° dī,
guis xpt
el aliq
sub

VI.

Busci, anno 1190 (?).

Dirsco Viti Episcopi Plocensis frater, villas quasdam in provincia Sandomiriensi sitas, vel monasterio Buscensi, vel uxori suae, certis conditionibus propositis, testamento donat (¹).

In nomine patris et filij et spiritus sancti. Ego Dirsco aduc (sic) vivens, offerens trado deo omnipotenti et beate Marie, fratribus et sororibus sub regula beati Augustini in *Buzsk* manentibus, quos de *Vitov* (²) per manum meam adduxi, pro salute anime mee, bona mea in hunc modum. Si uxor mea alteri viro nubere voluerit, *Visloca* (³) ei detur; si in viduitate, in habitu seculari permanserit, *Viznicia* (⁴) sibi addetur; et in his duabus tantum permaneat, cum familia sua, servis videlicet et ancillis; cetera locus habeat. Si vero aliquando divina mediante clemencia, in prefato loco, habitum religionis suscipere voluerit, ut mihi sub iuramento quandoque promisit, omnes hereditates meas ei do: scilicet partem meam de *Buzesk* cum iumentis, *Nosovo, Petrovo, Tuchapi, Bezdruovo, Rechovo, Viznica, Corenovo, Premislovo* (⁵). Si autem in alio claustro habitum suscipere

(¹) Ex archetypo in charta pergamena crassiori scripto, Leonis Comitis Rzyszczevii proprio. Sigillum parvum rotundum taeniola pergamena appensum, vetustate jam penitus deletum et attritum, in cujus margine vix literae „*onis*" legi possunt. In dorso, recentiori quidem, semper tamen antiquo charactere numerus 1190 inscriptus, annum, quo haec tabula est scripta, non obscure mihi indicare videtur. Vitus enim Episcopus Plocensis, qui testante Długossio aliisque historiographis nostratibus, semper pro conditore monasterii Buscensis et Vitoviensis est habitus, anno 1179 in Episcopatum post Lupi mortem successit, anno vero 1206 vel 1207 mortuus est. Circa annum 1190 bella tum intestina, tum cum finitimis nationibus non pauca gerebantur.

(²) *Busko* hodie oppidum parochiale in territorio et regione Stopnicensi situm. *Witow* rus Siradiensis regionis, parochiae Burzenin. (Vid. Cromeri Polonia libr. VIII. p. 144. b.).

(³) Willam *Wisłokam* in indicibus locorum omnium tam Regni Poloniae quam Galiciae frustra quaesivi.

(⁴) Villa *Wiśnicz* regionis Kielcensis parochiae vero Kozłowiensis nimis longe distante, hic potius agi de *Wiśniowa* villa parochiali regionis Staszoviensis, vel de *Winnica* ejusdem regionis Staszoviensis, parochiae vero Połaniecensis.

(⁵) *Nossów* et *Piotrów* villae in regione Opatoviensi ad parochiam Waśniow pertinent: *Tuczempy* regionis Szydłoviensis, parochialis villa; *Bezdruovo*, quod nunc non exstat, est forsan

voluerit, de his omnibus supra dictis hereditatibus et de familia, de ceterisque bonis nichil penitus sibi detur, preter vestes quibus tegitur; set omnia non (6) frater meus Episcopus Vitus, immo fratres et sorores supradicte religionis perpetuo iure obtineant. Hec autem dicta et scripta sunt in ecclesia beate Marie ante ipsius altare, sub testimonio solius dei et genitricis eius, dominique Johannis primi ibidem prepositi, facta ad eum confessione, et sacri corporis et sanguinis Christi de manu ipsius communione sumpta, dum ad bellum processi. Hec si dominus Episcopus V[itus] frater meus, vel aliqui alij cognatorum meorum immutaverint, deus omnipotens et mater pia virgo Maria vindicet in eis: sub cuius testimonio sunt hec facta. Amen.

Beszowo, villa parochialis in regione Stopnicensi, non procul a Busko sita. *Rechovo* forsan *Rzechów* regionis Solecensis, parochiae vero Ilsensis; sed quum *Biechów* villa parochialis aliis monasterii bonis sit proxima in regione Stopnicensi, facile literam *R* pro *B* errore librarii scriptam fuisse crederem, ita ut in privilegio *Bechovo* pro *Rechovo* legendum sit. *Corenovo* forsan *Korzenna* est in regione Opatoviensi, parochiae Ocieseki, non procul a Pierzchnica et Raków oppidis. *Przemysłów* et *Przymysłów* frustra in antiquis Cracoviae et Sandomiriae provinciis quaesiveris. Quid? si pagum *Przeczów*, regionis Stopnicensis, parochiae autem Beszoviensis hic intelligendum putemus?

(6) *no* cum lineola super vocalem *o* posita authographon hic exhibet.


VII.

(*Cracoviae anno 1207*).

Fulco Episcopus Cracoviensis, decimas de villis *Wojcza*, *Winiary* et *Balice* (?) pendendas, coenobio monacharum ordinis Praemonstratensis Buscensi concedit (1).

Quum precepta specialia personis specialibus specialiter constituta, quolibet (sic) generalium aliquo arcius solent constringere, ego Fulco Cracovien-

(1) Ex archetypo in charta pergamena crassiori scripto, cui sigilla sex appensa fuisse videntur; siquidem tria exstant (primum videlicet, quartum et sextum), reliquorum funiculi tantum serici (et secundi quidem et quinti nigri coloris, tertii rubeus). Primum sigillum, cujus funiculus lineus albus, ex cera vulgari alba, formae rotundae oblongae factum, imaginem repraesentat Episcopi sedentis in sella reclinatoria anconibus instructa, qui capita canum ore ad hiatum aperto referunt: altera manu lituum tenet, alteram tollit ad benedictionem (quam vocant) impertiendam. Margo sigillum cingens haec exhibet: „† *Sigill....aurentii Vratizlaviensis*



'0
10

lis
ut
n,
m
lis
ali
od
it:
et
di
to
ris
m
is,
ta
is,
st.
ni
lio
ro
at;
re
im
im
sit
rii;
sis
sit
de
ra-
tia
co-
em
am
ie-
da
ss.
21,
em
am
sse
avi

ve
ce
or
su
su
ge
co
ni
fr
or
su

Be
Ri
me
fui
est
Pr
Qu
pu

F

lib

vid
tan
fun
rep
ad
voc

sis Episcopus, precepto prohibitus apostolico predicte redditus cui ministro alienandi ecclesie, quamvis crebris precibus a venerabili fratre domino

Episcopi." Sigillum quartum non absimilis formae, cujus funiculus e flavis rubrisque filis contextus est, sedentem Episcopum praefert sinistra lituum tenentem, dextra aut stellam, aut ramum cum lilio: inscriptio haec legitur: „*Fulco E...... acoviensis*". Sextum sigillum rotundum, cujus margines valde sunt laesi, effigiem Episcopi sedentis repraesentans, sinistra manu lituum tenentis, dextra subnitentis alam minus affabre expressum; ex inscriptionis vestigiis vix oculis conspiciendis: „*..... cra.... nsis eccles..*" conjicere sinit, scriptum fuisse: „Sigillum capituli Cracoviensis ecclesie." In authographo, quod hic describitur, hoc singulare observatur, quod Canonicorum Cracoviensium mentio sic est facta, quasi singuli eorum nomina sua posuissent: estque haec adjectio non modo minoribus longe literis, quam ipsum privilegium, expressa; sed et in forma earum passim observatur nonnulla differentia; quanquam in universum et ratio scribendi constans, et atramenti idem color.—Tempus, quo tabula scripta sit, etsi ex ipsa non pateat, certo tamen definiri potest. Episcopum Cracoviensem Fulconem anno 1207 die 11 mensis Septembris mortuum esse docet Długossius (Lib. VI. p. 602), eodemque anno Laurentium Episcopatum Vratislaviensem adiisse, cuncti annalium scriptores uno ore fatentur. Hinc conjectura facilis, primis octo mensibus anni 1207 donationem hanc literis consignatam fuisse. Quae res sic explorata confert ad conciliandas diversas traditiones de tempore, quo Cyprianus Episcopus Vratislaviensis, qui Laurentium proxime praecessit, sit mortuus. Nam quum Długossius (Chron. VI. 603 et hist. Episcopp. Vratisll. ap. Sommersb. Scriptt. rer. Siles. II. 164) die demum 26 mensis Novembris anni 1207 eum vita abiisse tradat, auctor vero *Chronicorum principum Poloniae* (editus a Stenzelio Scriptt. rer. Siles. T. I. p. 160) diem 16^{am} ejusdem mensis et anni ejus morti assignet, porro *Cathalogus Episcoporum Vratislaviensium* (ibid. T. II. p. 133) ad annum 1202 eam referat; unus *Sigismundus Różyc* in Chronico Episcoporum Vratislaviensium (ap. Sommersb. I. 65) vere diem 21 mensis Novembris anni 1206 vitae ejus finem adtulisse nobis tradere videtur. Długossium si in adscribendo die mortis Fulconis Episcopi erroris absolvere volumus, hanc anni 1206 cum 1207 commutati rationem statuemus, ut aut a scriptoribus annalium initium anni varie sit computatum, (videlicet ab aliis vulgari more a festo Circumcisionis, die primo mensis Januarii; ab aliis, ritu ecclesiastico illis temporibus usitato, a festo Incarnationis domini die 25 mensis Martii, ab aliis denique, a Calendis Septembribus) aut Pisana computandi ratio cum Florentina sit commutata. Utut sit, ita sunt in hac tabula cuncta comparata, ut de ejus authentica fide dubitari nequeat. Nomina quidem omnium Canonicorum Cracoviensium indicare videntur, Cracoviae conscriptam fuisse. Verba: „*hoc opus misericordie factum tam solempniter*" et praesentia Laurentii Episcopi Vratislaviensis, vix dubitare sinunt, sigilla, quae nunc desiderantur, Episcoporum fuisse, mediumque rubro funiculo appensum Archiepiscopi Gnesnensis. Quinque autem sacerdotum tantae dignitatis conventus, eam opinionem movet, hoc tempore Cracoviae celebratam fuisse synodum illam, in qua componebantur lites jam dudum exortae inter Henricum Archiepiscopum et Vladislaum Ducem cognomine „Laskonogi", capiebanturque consilia de mutanda ecclesiae Polonicae forma, ac praecipue de condemnando sacerdotum matrimonio (Vid. Długoss. VI. 624. Cf. Naruszewicz Hist. T. IV. p. 119. ed. Mostov. et *Röpell Geschichte Polens* p. 419—421, inprimis autem epistolae Innocentii III ab iis allatae). Quod ad Vitum Episcopum Plocensem attinet, de eo veluti etiam tum vivente sermo esse videtur; unde conjicimus, errasse Lubienium (Vitae Episcopp. Plocens. Opp. postum. p. 334), qui eum jam superiore anno (1206) decessisse tradit. Nec ex eo, quod Długossius sub anno 1223 de septemdecennali ejus successoris Goslavi functione narrat, mors Viti ad annum 1206 omnino referri debet.

sov (2) dicitur, ne qua, ut solet, post terminum vite mee pro eodem hereditatis mee patrimonio suboriatur corrixacio, uxori mee quam legitime mihi sociaveram, filiéque de ipsa progenite, ob amorem dei salutisque anime mee ad claustrum sanctimonialium (3) perpetuo possidendum concedo. Ne quis autem huiusce testamenti factum irritare presumat, domini Ducis Lestconis testimonium subscribo, et Comitis Adalberti Palatini (4) et Comitis Pacozlai (5). Acta sunt hec in *Corchin* (6), et eadem *Corchin* tunc est Comiti Pacozlao data.

militis armati, dextra hastam, laeva autem manu clypeum tenentis, repraesentans. De verbis sigillo circumscriptis, nihil jam fere, litteris „ . . . . . *tcon*" exceptis, legi potest. Videtur autem doctissimo Stronczynio esse species sigilli antiquior, quo Lesco Albus ante annum 1215um uti solebat. — Quum probatum sit, usque ad annum 1206 Nicolaum (Vid. Długos. Hist. VI. 600), anno 1212mo et sine dubio annis huic proximis, Pacoslaum, (Vid. tab. anni 1212 in libro Rev. *Mathaei Gladyszevicii*, qui „Żywot błogosławionego Prandoty" inscribitur pag. 259. seqq.) anno vero 1217 et sequentibus Marcum Palatinum Cracoviensem fuisse (Vid. Nakielsc. Miechovia p. 135), qui Lesconem Album vita superavit, (ut vix aliquot anni intermedii pro quarto Palatino Cracoviensi supputando restent); quumque res literis his contenta *Corczini* agatur, in oppido olim ad provinciam Sandomiriensem pertinente; puto Adalbertum, qui inferius testis loco cum Pacoslao Comite citatur, Palatinum Sandomiriensem fuisse, qui munere hoc suo fungi non potuit, nisi post Govorconis Palatini Sandomiriensis, anno 1206 vel 1207 ad dignitatem Castellani Cracoviensis promotionem, (conf. Dług. l. c. cum praedicta apud Gładyszevicium tabula anni 1212), et antequam Jacobus Palatinus Sandomiriensis sit factus, quem jam anno 1217 ea dignitate gavisum esse scimus. Est autem intra 1206um et 1217um annus 1212 medius fere, quem maxime, propter harum, proximeque sequentium literarum (N. X) necessitudinem, utrisque indicandum censuimus.

(2) Haud dubie *Słaboszów* villa, ecclesia parochiali insignis, regionis Miechoviensis.

(3) Ad Buscense scil. claustrum. Conf. literas Dirsconis anni 1190 superius N^{ro} VI praepositas, nec non proxime sequentem tabulam.

(4) Vid. supra annotationem primam.

(5) Pacoslaum hunc postea Castellanum Cracoviensem, deinde vero anno 1223 vel 1224 Palatinum Sandomiriensem factum fuisse, non levibus argumentis tabularum authenticarum Capituli Cracoviensis anni 1224 praedicto in opere Rever. Gładyszevicii publicatarum innixus autumo, moneoque, ne cum altero Pacoslao, et quidem cum Palatino Cracoviensi confundatur, qui proxime sequentes ejusdem Slavossii literas contestatus est.

(6) Hodie *Nowe miasto* (Nova civitas) *Korczyn* vocatur, oppidum territorii et regionis Stopnicensis.

ana
ium
um,
ste-
per
et
int:
lvo
co,

imi
bro
tis,

cto

us,
one

gii

ni
io

m
st;

sov
dit
soc
me
qui
Le
Co
est

mil
sigi
doc
sol
ann
Ma
ver
18
Cr
oli
Pa
pot
Cr
12
dig
qu
inc

pr

Pa
Ca
au
qu

Sé

X.

Sine loco (circa annum 1212).

Praedia villae *Slaboszów* Slavossius praedictus monasterio Buscensi donat (¹).

Quia mundus et ea que mundi sunt, lubrica sunt, et omnia mundana in abyssum oblivionis evolvuntur, propterea ego Slavos in remedium anime mee, uxoris mee, parvulorum et omnium propinquorum meorum, predia de *Slavosov* et cum omnibus pertinentiis que cum ecclesia, monasterio sancte Marie de *Bushc* offero perpetuo hereditanda. Et ne aliquis super hoc in posterum malignari possit, sub sigillo domini Ducis Lestconis et eius Baronum congruum duxi roboranda. Testes huius donationis hij sunt: dominus Dux Lestco, Pacoslaus Palatinus (²), Ostas Castellanus (³), Ivo Cancellarius, Magister Petrus (⁴), Strezco Gnys (?), Paulus, Parcos, Jesco, Dobrogost, Martinus.

(¹) Ex tabula authentica membranacea olim monasterii Buscensis, hodie vero doctissimi Stronczyńscii propria, quae ex tribus sigillis nunc unum tantum residuum funiculo serico rubro appensum habet, effigiem sacerdotis sedentis, laeva manu librum, dextra quasi calamum tenentis, asserente praedicto doctissimo viro, praeseferens.

(²) Pacoslaus Palatinus Cracoviensis fuit anno 1212mo secundum tabulam in supradicto Gładyszevicii opere exhibitam.

(³) Ostassius iste antequam anno 1223 vel 1224 Castellanus Cracoviensis est factus, Castellanus Vislicensis fuerat, secundum Lesconis Albi anni 1224 literas, quas in annotatione quinta ad privilegium N^ro IX descriptum, commemoravimus.

(⁴) Petrum hunc anno 1220 jam dignitate Decani gavisum esse, ex argumento privilegii proxime sequentis conjectura auguror.

XI.

(Cracoviae) anno 1220.

Decretum Marci Palatini Cracoviensis inter Comitem Budivojum et Canonicum Cracoviensem Nicolaum, nec non Joannem, filios Polanini de patrimonio eorum, villa scilicet *Glew* dicta, litem dirimens (¹).

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Anno ab incarnacione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo vicesimo, judicante Marco Palatino

(¹) Ex exemplari, quod ad similitudinem authenticarum literarum in archivo quodam privato in Galicia, asservatarum, doct. Stronczyński effinxit. Tabulae authenticae sigillum deest; fila serica, quibus appensum erat, rubri sunt coloris.

Cracoviensi, mota fuit questio domino Nicolao (2) filio Polanini et fratri suo Johanni a Comite Budivoyo cum filiis suis super patrimonio ejus, quod *Glevo* (3) nuncupatur, quod pater ejus Polaninus bone memorie a Comite Vişon jure hereditario emerat, et quiete possederat, ex eo videlicet, quod Comes Budivoy dicebat, se non interfuisse dicte vendicioni, cui tamen Martinus pater Poznani interfuerat, et consenserat. Super qua questione cum satis fuisset disceptatum, Comes Budiwoy considerans jus suum debile, maxime, quia dominus Nicolaus se prescripcione tuebatur, Palatino eciam prenominato se propter bonum pacis interponente, confesus est, presente Posnano prenominati Martini filio, vendicionem et emcionem hereditariam domino Nicolao et omni juri petendi cedens, cum filiis suis, omnibus excepcionibus renunciavit, obligans se Posnano sufficienter responsurum, si quid in posterum domino N. super hoc moveret questionis. Pro quo facto dominus Nicolaus, ut omnem extingueret accionem, decem marcas puri argenti dedit Budivoyo, et filiis ejus duodecim ulnas de bruneta, et ne hec transaccio posteris vertatur in dubium, ambo presentibus sigillis hoc scriptum postulaverunt communiri. Nomina autem testium sunt hec. Ipse Palatinus Marcus, Budivoy heres cum duobus filiis Stres et Vison, Predslav Tribunus, Racibor filius Alberti, Domanus filius Dirsicrai, Andreas filius Sulconis, Martinus Lucusovic, Bozislav Thesaurarius, Michael filius Petreconis, Radavanus filius Bodepozi, Boguslavus filius Ramoldi, Petrus Villicus, Getco Subcamerarius Ducis, Petrus rsucovic (sic), Beno filius Poloni, Miloslaus. Isti fuerunt cum Palatino. Isti vero in Capitulo: Dominus Petrus Decanus (4), Magister Benedictus, Doman, Ermannus Custos, Trojan, Gaudencius, Robert, Stephan, Sdislav, Marcinus, Alexander, Silvest, Laurencius, Henricus, Blazcus, Jacobus.

(2) More aevi illius appellatio „domini" huic Nicolao adjecta, eum praestantioris sacerdotem ordinis fuisse sat denotat. Huc accedit, quod apud Nakielscium (Miechovia p. 132) in literis Vincentii Episcopi Cracoviensis anni 1214 inter complures Canonicos Cracovienses Nicolaus quidam, tum vero in literis Ivonis Episcopi Cracoviensis anni 1222, quarum exemplum in mea collectione habeo, inter ejusdem ecclesiae Canonicos, Nicolaus Archidiaconus computetur, quem utrumque eundem fuisse non dubito, et quidem Nicolaum, de quo hic agitur.

(3) *Glew* seu *Glewiec* villa territorii Miechoviensis, regionis Proszoviensis et parochiae Igołomiensis.

(4) Quum plures ante oculos habeam literas authenticas Capituli Cracoviensis annis 1212, 1222 et 1224 scriptas (quibus et aliae duae, altera anni 1207 superius Nro VII adjecta, altera

anni 1214 a Nakielscio *Miech.* p. 132 publici juris facta, accedunt), quae cunctae congruenter ab anno inde 1207, ad annum 1224 Decanum ecclesiae cathedralis Cracoviensis Vislaum seu Viceslaum fuisse docent, hic vero Petrum Decanum inter Canonicos Capituli Cracoviensis citatum reperiamus, non aliter hanc diversitatem explicari et difficultatem solvi posse arbitramur, nisi si Petrum Canonicum Cracoviensem alius alicujus ecclesiae in dioecesi Cracoviensi sitae fuisse credamus. Quam conjecturam probabilem reddit Nakielscius (Miech. p. 132), qui anno 1214 Nicolaum quendam Decanum Kielcensis ecclesiae fuisse tradit.

XII.

Anno 1221.

Lesco cognomine Albus, Dux Poloniae, partem alteram villae *Święciechów* coenobio Cisterciensium Sulejoviensi donat, alteram vero eidem coenobio vendi permittit (1).

Ego L. (estco) Dux Polonie notum facio presentibus et futuris, quod contuli capellanis meis, scilicet fratribus de Sulio, pro remedio anime mee et parentum meorum, sortem quandam in *Svescecov* (2) sicut prius tenuerat Sulislaus. Ea preter, de consensu meo, predicti fratres a filiis Rodoani Conrado videlicet et Malissa, sortem aliam ex integro, quemadmodum pater eorundem possederat in eodem loco, emerunt jure hereditario. Ut autem hoc ab omnibus ratum habeatur, sigilli mei impressione munire decrevi. Actum est hoc anno domini MCCXXI. Hujus rei testes sunt: Comes Scetheus et Comes Sgota, Petrus de *Campine* (3), Gozlaus Cantor de *Zudomer*, Nicolaus et Marius Capellani de *Blogie* (4), Florentius Capellanus de *Sarnowe* (5), Hosovoaldus Capellanus de *Slavena* (6), Stephanus

(1) Ex tabula authentica, quam possidet doctis. Stronczyński, ipse nobis exemplum descripsit, docuitque, sigillum, quod jam desideratur, olim funiculo serico rubei coloris hucusque conservato appensum fuisse.

(2) *Święciechów* pagus territorii et regionis Opocznensis ad parochiam Błogensem pertinens.

(3) Est *Kępina* villa parochiae Graboviensis, territorii vero et regionis Lanciciensis; facile autem hic de alia villa *Kępin* vel *Kępino* dicta agi posse putem, quam, licet hodie inveniri nequeat, olim inter oppidum Rozprzam et pagum parochialem Milejów regionis Petricoviensis sitam fuisse, privilegium Boleslai Pudici anni 1239 N^ro^ XXVIII° inferius proferendum docet.

(4) *Błogie* villa parochialis prope Sulejoviam regionis Opocznensis.

(5) *Żarnów* oppidum parochiale, paucis milliariis a Sulejovia distans, territorii Opocznensis, regionis Konscensis.

(6) *Sławno* villa parochialis regionis Opocznensis.

de *Belna* (7), Nicolaus rataricus (sic) in *Pe . . . . . cov* (8), et Mlogie filius ejusdem, qui de mandato meo libertatem proclamavit in foro de Sarnowe.

(7) Facile *Bieliny* pagus parochialis in Opocznensi regione.
(8) Quod rima chartam hoc in loco laedens, integrum legi impedit, sine dubio est *Petricovia* (Piotrków) oppidum, regionis caput, Sulejoviae proximum.

XIII.

Tossoci anno 1221.

Acquisitionem villae *Glinki* alias *Obiecanów* dictae, quam Obiecan miles quidam monasterio Czervinscensi donavit, Conradus Dux Masoviae ratam esse jubet (1).

Quicquid agit presencia temporalis, nisi scripti, sigili, testimonij munimine roboretur, non tenet, non recipit, non approbat posteritas antiquata. Robur etenim inconwlse firmitatis ex supradictis liquido constat emanare. Notum sit ergo universis, tam presentibus quam futuris, quod Obeczan Comes cum consilio domini Ducis Conradi Mazowie et Baronum ejus, quorum nomina subsequuntur, villam suam nomine *Glynky* (2) post obitum suum ecclesie beate Marie de Czyrwyensko cum omnibus eidem ville appendentibus plenarie condonavit. Ne ergo huic presenti actioni multorum nobilium tractate presencia, a posteris futura antiquitas ignorancia vel animo malignandi in aliquo occasionis scrupulo valeat derogare, eandem accionem scripture memoria cum sigilli mei impressione, ego Conradus Dux Mazowie volui perhennari. Huic dacioni interfuerunt Swanthoslaus Pincerna Ducis C. (onradi), Sasinus Castellanus de *Wisna* (3), Sbylud venator ejusdem Ducis, Wintego Subagazo, Abraham Subpincerna,

(1) E codice antiquo papyraceo in bibliotheca Comitis Zamojscii Varsaviae asservato, privilegia monasterii praedicti descripta complectente, de quo Nro I. insignito in praefatione libri nostri referenda retulimus; et quidem e pag. 27. 28.

(2) Villam *Glinki* seriori tempore *Obiecanów* dictam fuisse, haec inscriptio hujus privilegii in codice monasterii docet: „*Super Obyeczanowo alias Glynky*". Est autem villa *Obiecanów* regionis Pultuscensis, parochiae oppidi *Maków* asscripta.

(3) *Wizna* oppidum parochiale ad Narvam fluvium territorii et regionis Łomżensis.

Boguslaus Subdapifer, Godefridus filius Gestoldi, Thomas filius Petri, Wlosth filius Simonis, Wenceslaus Capellanus filius Swathoslai (sic), Rfalanća Castellanus de Sochaczew (4), et alij quam plures, quos omnes enarrare longum esset. Actum autem est hoc in Thossoc (5), anno gracie M° CCXXI°.

(4) *Sochaczew* oppidum ad Bzuram fluvium, regionis caput.
(5) Quae villa quodve oppidum sit, quod *Thossoc* hic dicitur, indicare nequeo. Est in regione Wągroviensi, in parochia vero oppidana Kossoviensi villa *Tosie* dicta; est quoque villa *Toki* regionis Lipnensis, ad parochiam villae Skrwilno pertinens, inter oppida Rypin et Biezuń sita, sed num alterutra earum sit eą, quam Conradus in privilegio indicari voluit, incertum est.

XIV.

Viskitiis anno 1221.

Conradus Dux Masoviae et Cujaviae, Sophia uxore sua filiisque Boleslao et Zemovito praesentibus, villam *Koskowo* monasterio Czervinscensi donat (1).

Ego Conradus Dux Mazowie et Cuyawiie, omnibus ad quos presens pagina cognoscenda pervenerit, salutem in eo qui est omni salutaris. Ne humane acciones cum mundo labili in oblivionis profundum dilabantur, opportet eas scripture memoria, sigilli impressione, testimonii voce perhennari, roborari, confirmari. Notum sit ergo presentibus, et sciant futuri, quot ecclesia beate Marie Czyrwenensis, villam nomine *Coszkowo* (2), cum omnibus silvis et utilitatibus, sibi undique pertinentibus, a nobis pro salute anime nostre, ex clemencia obtinuit, sine omni calumpnia jam ultra possidendam. Ne quis ergo hujusmodi iusto obtentui, presens vel futurus calumpniando presumat contraire, presentem paginam facti obtentus testem, sigilli mei munimine ac proborum virorum testimonio, quorum nomina subsequuntur, colligi, roborari, confirmari (feci). Habitus est hic obtentus

(1) E supradicto codice privilegiorum monastorii Czervinscensis, pag. 168.
(2) *Koskowo* pagus regionis Łomżensis, parochiae Lubotinensis, inter oppida Ostrów et Sniadów situs.

in *Wyskidk* (3) coram me et uxore mea Shaphia (sic), et liberis meis Bolezlao, Semovitho; judicante Thoma subjudice, assistentibus eciam hijs: Magistro Johanne, Preposito Adlardo, Vencezlao Subcancellario, Godpoldo, Srzeniavo, Martino, Thoma de Roicowo (4) Capellano Ducis, Capellanis: Zventozlao Pincerna, Abraham Subpincerna, Boguslao Subdapifero, Gromaza Subvenatore, Thoma et Philipo fratribus, Zasotha filio Martini, et alijs quam pluribus, quos omnes enarrare longum esset. Hoc autem factum est anno gracie M° CC° XX° I°.

(3) *Wiskitki* oppidum parochiale in regione Sochaczoviensi.
(4) *Rojewo* et *Rogowo* in regione Lipnensi, in via e Skompe Rypinum ducente, sitae sunt villae, quarum illa ad parochiam hujus pertinet. Sed de Rogowo potius hic agi puto, quum in hac, non autem in altera villa, capellanus ecclesiae addictus esse potuit.

XV.

Trojanoviae anno 1222.

Conradus Dux Masoviae ex antiquis privilegiis Boleslai avi et Casimiri patris sui exemplum sibi sumens, rusticos ascriptitios villarum monasterii Czervinscensis jurisdictioni Abbatis permittit (1).

Ego C. (onradus) dei gracia Dux Mazovie et Quiavie, omnibus, ad quos presens pagina pervenerit, salutem in auctore salutis. Notum sit presentibus et sciant futuri, quod ego Dux C. (onradus) confirmo, quod avus meus B. (oleslaus) et Kasimarus pater meus contulerunt ecclesie beate Marie Cirvenensis, scilicet quod homines eius ascripticij ubicunque constituti non debeant ab aliquo iudicarj, nisi ab Abbate loci dicti, qui si iusticiam

(1) E tabula authentica pergamena, in bibliotheca Zamojsciana Varsaviae asservata. Sigillum rotundum de cera quae olim viridis coloris fuisse videtur, in funiculo serico coloris rubri appensum, repraesentat armatum et pallio tectum equitem, qui dextra hastam tenens volitante supra caput velo instructam, ad dextram sigilli partem conversus conspicitur. Equi ornatus magnificus. Ex inscriptione sigillum ambiente ex altera parte „si . . . . .", ex altera „as . . . ." restat, reliqua abrupta interierunt.

non fecerit, tunc possunt a me vel a Palatino iudicari; tamen illud excipio, quod causa /L. marcarum ad me deferatur. Confirmo eciam, quod homines in Lomna qualescunque constituti, non debent astare castro, nec ab aliquo iudicari, nisi ab Abbate supradicto vel ab eius iudice, et quod ibidem sancta Maria habet ab antiquo iudicium /ferri et aque pariter et duellum. Confero itaque sancte Marie talem libertatem, quod homines eius in *Brohovo* (2) constituti non debent alicuj obedire in iudicio, nisi Abbati Cirvenensj, et quod sint ita per omnia liberi, sicut fuerant tempore Sironis et Oltonis, excepta causa de sere fractura (sic), de qua ego solus debeo iudicare. Acta sunt ista in Troyanovo (3) cum fundaretur ibi ecclesia. Huius rei testes sunt: Paulus Episcopus Poznanie, Adlardus Prepositus, Wencezlaus Subcancellarius, Gunterus Canonicus de Plosch, Gizmarus de Gambin (4) Capellanus, Domannic Subtesaurarius, Thomas Subiudex, Widgo Subagaso, Creslaus filius Sandonis, Nicholaus filius A...... oldi (5). Hec sunt acta anno M° CC° XX° II° ab incarnacione domini, sub Abbate Wencezlavo.

(2) *Brochów* villa parochialis regionis Sochaczoviensis.
(3) *Trojanów* villa parochialis supradictae regionis.
(4) *Gombin* oppidum parochiale regionis Gostinensis.
(5) „Astoldi" legitur in altero hujus privilegii exemplo; hujus autem chartae rima verbum integrum legi non sinit.

XVI.

Trojanoviae anno 1222.

Proxime praecedentis privilegii alterum exemplar, ampliori designatione rusticorum ascripticiorum auctum (1).

† In nomine domini amen. Cum sacre sit consuetudinis gesta mortalium, maxime pio dicata conditori (?), ad temerarie irritacionis enervacionem scrip-

(1) Descriptum e tabula authentica pergamena doctissimi Stronczyńscii; cui quidem tabulae in funiculo serico rubri coloris sigillum de cera vulgari rotundum, forma oblonga appensum est, ducem cataphractum, dextra gladium destrictum, sinistra vero manu magnum oblongum clypeum ac ducale vexillum tenentem repraesentans; in margine haec verba adscripta sunt: „† *S. Conradi Ducis Mazovie et Cuiavie*" Conf. privil. proxime praecedens.

tis perhennare, presentibus igitur pateat et futuris, quod nos C. (onradus) dei gracia Dux Mazovie et Cujavie innovantes confirmamus perpetuam libertatem Cirvenensi ecclesie ob eterne felicitatis adeptionem collatam per Serenissimos Principes, nostrum videlicet avum B. (oleslaum) et patrem Kasimirum, ita, quod in Lomna omnes ascripti castro non astent, nec ab aliquo judicentur, nisi a suo Abbate vel ab ejus judice: quorum avi et attavi propter posteritatis memoriam, ne temporum prolixitate libertatis sibi assumat (sic) presumptionem, huic scripto nominatim sunt inserti. Radosta cum filiis Selistryo, Milosca et Smatco; Gruvina cum filiis; Uston cum filiis, Puten, Presus, Mileg, Policart, Suchova cum filiis; Karsna cum filiis; Bogusa cum filiis; Bandk cum filio Nedano; Ben cum filio Goliano et filiis ejus Dvoris, Jak et Andrea; Crisan cum filiis; Radowg cum fratribus Ciber, Cirma et filiis eorum; Bojan cum filio Nenomislo. Post multum vero temporis, prefatus Milosca volens deliberari, procidit ad pedes quarti Ducis Bolezlavi, quem Wido Abbas Cirvenensis cum fratribus sui conventus Faleta et Beneda convictum, in eodem loco reposuit. Abbate vero defuncto, idem Milosca profugus latuit in *Secluk* (²) sub Duce Kasimiro, quem iterum Fulcoldus Abbas convincens coram eodem Duce, eidem loco reddidit: liberi quoque eis commanentes eadem fruentur libertate, ibidem examen ferri et aque et duellum antiquitus collatum suscipientes. Conferimus etiam eandem libertatem hominibus qualibuscunque in Brochov constitutis, quam habuerunt tempore Sironis et Oltonis filii ejus, et ne alicuius obediant iudicio, quam sui Abbatis excepta causa L marcarum, nostro jure (? juri) spectante. Actum in Trojanov in fundacione ecclesie, anno domini millesimo CC° XX° II°. Cujus rei testes sunt hij: Paulus Episcopus Poznaniensis, Gunterus Decanus Plocensis, Adlardus Prepositus, Wencezlaus Subcancellarius, Gismarus Capellanus de Kambin, Gotpoldus Capellanus curie, Cresslavus filius Sandonis, Matheus filius Ratibor, Nicholaus filius Borim, Nicholaus filius Astoldi, et alii plures, quos scribere fastidivit.

(²) *Siekluki* pagus parochiae Błotnicensis, regionis Radomiensis, inter Jedlińsk et Białobrzegi oppida situs.

XVII.

Anno 1223.

Ziemomyslius Dux Cujaviae, filius Conradi Ducis Masoviae, villanis trium pagorum *Marulewy, Batkowo* et *Szropsko* (?), privilegium, quod dicebatur juris Theutonici, confert (¹).

Nos Zemomislus dei gracia Dux Cuiavie, hominibus villarum sancti spiritus in juvene Vladislavia (²) fratrum Cruciferorum stellatorum ordinis sancti Augustini videlicet *Marulewo, Bathkowo, Sropsko* (³), libertatem contulimus ob amorem dei omnipotentis et beate Marie virginis secundum jus Theutonicorum, ut ulterius nullo jure Polonico sint adstricti. Contulimus itaque ipsas villas memoratas fratribus supradictis in perpetuum possidendas, hoc solum excepto, quod ad defensionem terre si fines hostes invaserint, et ville predicte tenebuntur venire. Volumus eciam, ut ipsi villani nullo judicio astare debeant, nisi coram suo magistro, qui dictis villis prefuerit, et tantum in magnis causis coram nobis. Collectam vero, quod moris est in Theuthonicalibus villis, nobis tenebuntur solvere; si autem terra lesa fuerit, aut ville predicte fratrum nominatorum, tunc ipsis de eisdem graciam faciemus: singulis autem annis nobis tres fertones argenti persolvant in die beati Martini. Et ut hec donacio robur perpetue firmitatis obtineat, testes huic sunt quam plurimi. Anno Christi M° CC° XX° III°.

(¹) Ex apographo quod doct. Stronczyński e tabulario Capituli Cujaviensis desumsit, et quidem ex copia ibidem asservata. De Duce Zemomyslo nihil nobis hucusque notum erat, nisi eum ante annum 1242 mortuum esse. (Vid. Szczygielski Tynecia p. 151. Naruszew. Hist. IV. 239). Conf. etiam priv. anni 1231 inferius N^ro XX exhibitum.

(²) *Inowroclaw* urbs, nunc Borussicae ditionis, regionis caput, in Magno Ducatu Posnaniensi.

(³) *Marulewy* (germanice *Friedrichsfelde*), praedium rusticum, et *Batkowo* pagus Inovroclaviensis parochiae, proxima urbi bona; quae tamen sit villa *Sropsko,* nescio, quum nullus ejus nominis pagus in propinquo praedictorum sit locorum. Paulo remotior est autem pagus *Srubsko* dictus ad bona Wierzbiczany, ad parochiam vero Ostrowo pertinens.

XVIII.

Cracoviae anno 1227. die 28. m. Septembris.

Ivo Episcopus Cracoviensis, ecclesiam sanctae Trinitatis Cracoviae, quae usque ad id tempus parochialis erat, monachis ordinis Praedicatorum contulit ab omni sollicitudine curae parochialis immunem (¹).

In nomine sancte trinitatis et individue unitatis, amen. Ego Ivo dei miseratione Cracoviensis Episcopus, notum facio tam presentibus quam futuris, quod communi consilio et pari consensu fratrum Canonicorum videlicet ecclesie beati Wencezlai, ecclesiam sancte Trinitatis in Cracov sitam, filiis in Christo karissimis fratribus ordinis Predicatorum contuli, ut ibidem deo auxiliante in perpetuum moraturi, verbo et exemplo populo dei proficiant ad salutem. Verum quia, ut ait apostolus, ubi spiritus ibi libertas, dignum et justum et rationi visum est consentaneum, quot eos, quos in fervore spiritus sancti ad diligendum olim concepi, jam in ulnis meis genitos, uberibus lactem libertatis. Volo itaque predictam ecclesiam ipsorum regimini subjectam, ab omni sollicitudine cure parrochialis esse immunem, nisi eisdem fratribus infirmos, propter opus misericordie, cui insistunt, aliquando placuerit visitare. Sepulturam vero, que ammodo undecunque ibidem contigerit, et alias oblationes privilegio securitatis coronavi, addens, ut nullus ibi de meis subjectis aliquomodo habeat respectum, ut aliquam aliquando expetat portionem. Ad hujus igitur robur libertatis perpetuandum, quod

(¹) Ex archetypo in charta pergamena crassiori compositissimis atque clarissimis literis scripto, in tabulario monasterii fratrum Praedicatorum ordinis sancti Dominici Cracoviensis asservato. Primum, scilicet Episcopi sigillum, jam totum desideratur, ita ut ejus funiculus tantum rubeus sericus, quo appensum erat, exstet. Alterum autem, Capituli Cracoviensis sigillum de cera vetustate exsiccata atque arida sufflavi coloris oblongum, funiculoque serico rubeo appensum, licet ab imo et a margine laesum, clare tamen ecclesiam repraesentat, quae contabulata turri a sinistra, janua vero quasi palma quadam exornata, in media parte, nec non parva cruce in dextra tecti ora, instructa est. Alterum eadem manu scriptum et illi persimile archetypum exemplum membranaceum, in tabulario hypothecarum Cracoviensi asservatur. Monasterii fratrum Dominicanorum Cracoviensis fundationem per Ivonem Episcopum, Długossius ad annum 1222 refert. Lib. VI. p. 627.

interdum tinea labentis temporis novit enervare, supradictam voluntatem, sigillis meo et Capituli beati Wencezlai communivi, et seculorum seculis observandam transmisi. Datum anno ab incarnatione domini millesimo CC° XX° VII° quarto kalendas Octobris, in die sancti Wencezlai, Epacta XII, concurrente IIII, luna XIIII (²), pontificatus mei anno decimo.

(²) Ut plurimae Episcopi Ivonis tabulae, ita et haec, exactissima temporum rationis designatione excellit: siquidem hic, et Epactarum, et Concurrentis, et lunae numerus, (Epactarum tamen numerus ad veteriorem computandi rationem, in auctoris anonymi „*Fastis Consularibus*" observatam) recte denotatus est, quum reapse aureus numerus XII, circulus vero solaris IV ad annum 1227 spectaret, die vero 15ma mensis Septembris ejusdem anni luna intermenstrua fuisset. — Inconstantiam varietatemque mentis veterum illius aevi scriptorum, in hac vel illa methodo Epactarum computationis recipienda ut cognoscas, confer hoc privilegium nostrum non solum cum tabula anni 1227 apud *Nakielscium* (l. c. p. 148), sed etiam cum tabulis anni 1224 N^{ris} X et XI in *Gladyszevicii* „*vita Ep. Prandotae*" (p. 240 seqq.) descriptis, quarum illa, licet vix viginti circiter diebus privilegio nostro posterior, hae vero, licet ab eodem Ivone Episcopo tertio anno ante profectae, recentiori ratione Dyonisiana et Bedana Epactarum numerum subductum tradunt.—Nec itaque mirandum est, praedictam anni 1227^{mi} apud Nakielscium tabulam, in qua et Indictionis, et Concurrentis, et lunae numerum egregie denotatum esse probavi, Epactae *primum* numerum exhibere, quem *duodecimum* tabula haec nostra ejusdem anni exhibet.— Ad haec conf. *Ideleri Handbuch der Chronologie* II. 306. seqq.

XIX.

Scariszoviae anno 1228. m. Martio.

Grimislava vidua, olim Lesconis Albi Cracoviae et Sandomiriae Ducis uxor, jus venandi in silvis Castellaniae Wolboriensis Michaeli Episcopo Cujaviensi restituit (¹).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Ego Grimislava Cracovie Ductrix (sic) et Sandomirie, presentibus et futuris notum facere dignum duxi, quod venerabilem fratrem (²) meum Michaelem Cujaviensem Episcopum in sylvis Castellanie Volboriensis (³) quas limitant fluvii Pilca, Pirsna,

(¹) Ex apographo a doct. Stronczyński in tabulario Capituli Cujaviensis exarato, quod ex copia ibidem asservata descripsit.
(²) Nonne potius „*patrem*" legendum est?
(³) *Wolbórz* oppidum hodie parochiale regionis Petricoviensis prope Petricoviam, ad fluvium Wolborcam.

Sraba, Volborica, Jesni, in villa *Bielevicze* (4) cum tota familia, quod ab ecclesia, tota Cracoviensi et Sandomiriensi milicia pro eo testimonium perhibente, male esse alienata comperi, plenarie restitui; protestans solenniter, neminem in sylvis supradictis preter solum ipsum Episcopum habere ius venandi. Verum ne ista nostra restitucio processu temporis possit ab aliquo, sicut fieri solitum est, impediri, presentem paginam sigilli nostri munimine, subnotatis testibus, roboravi. Actum est autem istud in colloquio in *Scarozovia*, anno incarnacionis domini M° CC° XX° VIII° mense Martio, presentibus Duce Conrado Masovie et Cuiavie cum Boleslao et Casimiro suis filiis, Ivone Cracoviensi Episcopo, Christiano Prussie Episcopo, Marco Cracoviensi Palatino, Pacoslao Sandomiriense Palatino, Arnoldo Cuiavie Palatino.

(4) *Bielewice* villam in Wolboriensi ora frustra quaesivi; sed est *Bielska Wola* pagus Petricoviensis regionis et Sulejoviensis parochiae, quem cum *Bielewice* villa eundem esse, et nomen more aevi illius tunc temporis mutasse puto, quum eidem privilegium et libertas (wola) juris theutonici impertitum est. Prope Wolboriam oppidum non paucos rivos tabula mea geographica regionis hujus repraesentat, nomina eorum autem, nisi Piliciae et Wolborcae fluminibus, non designat.

XX.

Zgiersii anno 1231. die 23. m. Martii.

Michael Episcopus Cujaviensis, villam *Barkowice* ad ecclesiam suam Cathedralem Vladislaviensem pertinentem cum villa *Lubotyń* coenobii Cisterciensium Sulejoviensis propria commutat, praesente et assentiente Duce Conrado Masoviensi (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti, amen. Licet in contractibus bone fidei equitas iuris suadet contrahentibus et fidei constantia, ea que

(1) Ex tabula authentica membranacea doct. Stronczyńscii propria, quae primitus quatuor sigillis cereis munita fuisse videtur, licet duo tantum, secundum videlicet et quartum, in funiculis lineis rubeis appensa nunc exstent; quorum alterum Michaelis Episcopi Cujaviensis, alterum alius cujusdam Episcopi esse dicitur, quem Paulum Episcopum Posnaniensem fuisse effici potest ex verbi fragmento „*nanie*," quod unicum in sigillo, ceteris inscriptionis literis jam plane deletis, adhuc legere potuit doct. Stronczyńscius. Tabula haec jam in juridicis commentariis „*Themis Polonica*" dictis, sed minus accurate typis descripta est. (T. V. p. 419 seqq. Varsav. 1829). Conferatur quoque ibidem paululum discrepans sigillorum descriptio.

inter contrahentes convenerunt firmiter observari, solet tamen, tum per oblivionem, tum per inficiationem quoque, humane conditionis infirmitas veritatem celando prevaricari. Valitura igitur in perpetuum per hoc memoriale instrumentum confirmetur permutatio, quam ego Michael Kuyaviensis Episcopus, consensu mei Capituli ecclesie sancte Marie Wlodislavie veteris feci, permutando villam que *Barchoviz* (2) vocatur, cum Abbate Willermo de Syluio, ceteris fratribus idem consentientibus, recipiens pro villa nominata aliud predium *Lybotin* (3) dictum, quot situm est in mea dyocesi. Et quot secundum pias constitutiones imperiales (4), ne res sacre domus perperam alienari possint cavetur, tam ecclesie nostre quam sacri cenobii domus indempnitati hac permutatione prediorum sufficienter est consultum. Quantum enim utraque memorata possessio ex distantia prediorum a limitibus suarum ecclesiarum, tum sumptibus, tum et variis vie dispendiis, tum et principum perangariis ob magnum spacium terre, quot hinc inde intervenerat, raro adita et ob hoc minime defensata fatigari consueverat, tamen nunc permutatione facta, villa de *Barchoviz* in vicino cenobii posita et villa de *Lybotin* in nostra Dyocesi sita, secura gaudent quiete. Sed ne legentibus videatur hoc factum obviare voluntati principis, noverint omnes, quot sicut magna liberalitate usus est Dux Conradus cum filiis suis Bolezlao, Kasimyro, Semovito, Zemomisto (sic), in absolutione peccatorum et pro remedio animarum tam sue quam suorum, conferendo villam de *Lybotin* dicto claustro, sic et benivolentie sue beneficium non abstulit in facta permutatione. Et hoc ipsum etiam placet suis filiis, quot liquido apparet per appensionem sigillorum tam Ducis C. (onradi) quam filiorum suorum. Sed ne videar ego Dux C. (onradus) velle statum dicti claustri deteriorare, sicut villam de *Lybotin* pro salute anime mee datam ab exactione publicarum functionum immunem feceram, sic etiam volo omnes scire, villam de *Barchoviz* esse liberam ab omnibus perangariis, tam *poralne* quam aliis omnibus, quibus

(2) *Włocławek* oppidum, territorii Cujaviensis caput, ad Vistulam. *Barkowice* villa regionis Petricoviensis, parochiae Sulejoviensis.

(3) *Lubotyń* villa parochialis regionis Brestensis-Cujaviensis.

(4) Constitutiones Leonis et Anthemii, tum et Anastasii, nec non Justiniani Imperatorum doctus Episcopus hic sine dubio significare voluit. Vid. Constt. 14. et 17. § I. Cod. *de sacrosanctis ecclesiis* (1. 2.) et Novell. Justiniani 7. et 120.

homines terre istius per ducales satellites gravari consveverunt. Et quia hoc factum, tam ducali presentia, quam consensu partium est roboratum, nullus unquam attemptet irritandum: quot quisquis ecclesiastice indempnitati detrectare presumit, dei omnipotentis indignationem in extremo sentiet examine. Acta sunt hec anno gratie MCCXXXI° in solempnitate paschali (5), agente festum Duce Conrado cum Duce Logizlao (6) in villa que dicitur *Sguyr* (7), presentibus plurimis nobilibus Polonie. Cujuscunque hominis bone opinionis et bone fame appensum huic instrumento sigillum fuerit, hij omnes testes sunt hujus facti.

(5) Festum paschae anno 1231. die 23 mensis Martii celebrabatur.
(6) Logislaum hic nominatum non alium nisi Vladislaum Odonis Ducem Poloniae Majoris fuisse puto, qui eodem 1231 anno, cum Duce Conrado multos congressus habuit. Vid. Röpelli *Gesch. von Polen I.* 452.
(7) *Zgierz* hodie oppidum parochiale Lanciciensis territorii et regionis caput, non longe a Lancicia distat.

XXI.

Lanciciae anno 1232.

Michael Episcopus Cujaviensis inito cum Sulejoviensi Cisterciensium coenobio, de commutanda villa Lubotyń cum villa Barkowice pacto, de singulis quibusdam et quidem de commodis dicti coenobii stipulatur (1).

In nomine sancte trinitatis. Ego Michael Episcopus Kuyaviensis simul cum Capitulo ecclesie sancte Marie Wladizlavie veteris, presentibus

(1) Ex archetypo, quod nunc d. Stronczyński possidet. Sigilla tabulae undecim appensa fuere; quorum nunc quatuor supersunt, reliquorum (scil. 2^{di}, 6^{ti}, 7^{ni}, 8^{vi}, 9^{ni}, 10^{mi}) tantum funiculi serici subflavi coloris; unius autem (quinti) nulla vestigia. Primum eorum, quae exstant, e vulgari cera factum funiculo subflavi coloris appensum, est Vladislaviensis Capituli. Tertium e viridi cera, cujus funiculus sericus rubeus, repraesentat Episcopum sedentem; leguntur autem in ambitu haec: „*Sigillu*. . . . . *Lau*. . . . *Vratislavien*. . . . *Epi*. . . ". Quartum huic non absimile, sacerdotem genibus nixum exhibet cum verbis: „*S*. . . . . *Balduini Decani ci*. . . . *nensis*". Undecimum denique, cujus cerae funiculique idem color, sedentem personam repraesentat, manuque aliquid tenentem, quod quid sit, oculi investigare nequeunt; ex inscriptione autem haec tantum supersunt: „. . . . *Thome Doctoris dec*. . . . .". Credimus hunc esse Thomam Canonicum Vratislaviensem clarum doctrina virum, quem anno eodem

et futuris liquere cupientes contractum commutacionis, que de Ducis C. (onradi) et filiorum ipsius consensu facta est inter nos et dominum Guillermum Abbatem totumque conventum de *Syluiov,* de villa nostra, que nominatur *Barchoviz* et villa dictorum fratrum nomine *Luboctin,* que in nostra sita est diocesi, in presentia domini Fulconis Archiepiscopi Gneznensis et Suffraganeorum ejus, videlicet L. (aurentii) Episcopi Wratzlaviensis, P. (auli) Episcopi Poznaniensis, L. (aurentii) Episcopi Lubensis, protestamur justo titulo et bona fide. Set ne malicia hominum prefatam domum in prenominata villa aut ejus terminis vel utilitatibus, hoc est: silvis, pratis, mellificio, aliquando inquietet, eam certis terminis et allodiis circummunire jure spondemus, omnia que ad ipsam spectant de jure restituentes. Verum jam sepius dicte ville coloni, qui nostre ecclesie jure ascripticio tenentur, principi terre mel et vaccam et alia servicia de fundo ville reddebant, quos, facta commutacione, in nostrum transtulimus Episcopatum; nos paci nominati monasterij providentes, in perpetuum eisdem solutiones et publicas expensas domino terre reddere parati sumus, aut cum ipso ut poterimus con.........(2), cenobium in nullo ex possessione jam dicte ville ducalibus impendiis obligatum profitentes, et ad hoc nos et nostram ecclesiam in posterum, si quando domus de Sylujov.........(3) ulsata, debere teneri. Facta et roborata sunt hec anno domini M° CC° XXX° II° in *Lanchicia* in consecratione dicti Fulchonis Archiepiscopi, presentibus quorum nomina ista sunt..........(4) de *Secechovia,*

(die 15 mensis Augusti) Laurentio Episcopo Vratislaviensi successisse constat. (Vid. Długoss. Chron. VI. 648. Ejusd. Hist. Smogorz. & apud Sommersb. *Scriptt. rer. Siles.* T. II p. 165. Ibid. p. 155 seqq. Vita Thomae I. Epi. Vratisl.). Privilegium hoc ante mensem Julium anni 1232 datum fuisse inde conjicimus, quod die 9 ejus mensis et anni Laurentius Episcopus e vita abiit. (Długoss. ibid.). Errat igitur Długossius tradens Episcopum Thomam a Vincentio etiamtum Archiepiscopo Gnesnensi, qui Fulconem in ea dignitate praecessit, inauguratum fuisse. Neque in minori errore versatur, quod attinet ad nomen successoris Vincentii, siquidem duobus locis pro Fulcone (polon. Pełka) Petrum eum appellat. L. VI. p. 647. et 648; de quo Damalevicius (*Ser. Archiepp. Gnesn.* p. 134) meliora tradit.

(2) In hoc mutilato loco suspicor scriptum fuisse verbum: „*concordari*" vel *convenire*".

(3) Simili ratione hic verba: „*fuerit pulsata*" excidisse credo.

(4) Hic, nisi fallor, Sieciechoviensis Abbatis nomen positum fuit. Procul dubio autem eo tempore Nicolaus dictus Gallicus hac dignitate functus est, quem in privilegio tabularii Capituli Cracoviensis anni 1224 nominari video, et qui testante Długossio (L. VI. p. 651), Boleslaum Pudicum matremque ejus Grimislavam in carcere castri Sieciechoviensis detentos, ex eodem, anno 1234, liberavit. Est autem *Sieciechów* oppidum parochiale prope Vistulam situm Radomiensis territorii, Koszenicensis vero regionis.

Balduinus Decanus Gnjizenensis (sic), Albertus Decanus, Albertus Archidiaconus Lanchicienses, Magister Andreas de Crachovia, Magister Fridericus de *Meschovia* (5).

(5) Forsan *Mechovia* (Miechów) hic intelligenda est, oppidum 5. milliariis a Cracovia distans, territorii regionisque caput.

XXII.

Posnaniae anno 1232. die 3. m. Julii.

Vladislaus filius Odonis Dux Poloniae Majoris villam *Straszkówek* coenobio Cisterciensium Sulejoviensi donat (1).

In nomine sancte et individue trinitatis. Noverit presens etas omniumque futurorum posteritas, quod ego Wlodislaus pie recordacionis Odonis filius dei gracia Dux Polonie contuli deo et beate Marie et domui de *Syliov* et fratribus ibidem deo servientibus, eorumque successoribus villam que dicitur *Strasowiz* (2), in remissionem peccatorum meorum libere et quiete perpe-

(1) E privilegio confirmationis Casimiri Ducis Cujaviae et Lanciciae, anni 1260, quod vid. inferius Nro XLVIII.

(2) Villa *Straszewice*, de qua in privilegio quoque Conradi tum temporis Ducis Cracoviae et Lanciciae anni 1242 infra N° XXXI° est sermo, neque in regno Poloniae, neque in Ducatu Posnaniensi usquam reperitur. Nobis verisimillimum tamen videtur, indicari hoc loco villam *Straszkówek* territorii regionisque Lanciciensis, parochiae vero Kłodaviensis; in praedicto enim an. 1242 privilegio, villa *Strassoviz* plurimis aliis villis annumeratur, quae quum ibidem ditionis Conradi Ducis (scilicet Lanciciensis) fuisse dicantur, hodie reapse, omnes fere sibi vicinae, in regione Lanciciensi reperiuntur. Sed difficilior de castro hic *Wilem* dicto conjectura, quum munitissimum tunc temporis castrum *Wieleń* nuncupatum (*Filehne* Germanis) hodie ditionis Borussicae oppidum in Ducatu Posnaniensi et quidem in territorio Bydgostiensi et regione Czarnkoviensi ad fluvium Noteciam situm, nimis longe a *Straszkówek* villa praedicta distet; in propinquo autem oppidi hujus nullus sit locus nomini *Straszewice* similis. Sed et in Lanciciensi ora, in propinquo villae *Straszkówek* olim castrum aliquod ad fluvium Ner situm fuisse, exstra ullum dubium positum est; siquidem ibi in regione Wartensi sit parochialis villa Grodzisko dicta, quod nomen idiomate polonico vel antiquum castrum denotat, vel locum, quo

tualiter possidendam, villam scilicet, que pertinet ad *Naaroch* de *Wilem* cum omnibus pertinenciis, que ad supranominatum castrum spectabant. Ut igitur donum nostrum ratum et firmum habeatur, presentem paginam sigilli nostri munimine dignum duximus roborandam. Et si quis super hoc donacionem nostram instinctu inimici presumptuose in aliquo quocunque tempore violare temptaverit, tamquam nostre dignitatis reus, vindicta legis humane multetur. Acta sunt hec anno ab in carnacione domini M° CC° XXX° II° existente Duce in *Posnania* cum Episcopo civitatis ejusdem et suis baronibus, quinto die post festum beati Petri, quinto nonas Julii. Testes hujus donacionis sunt: Episcopus P. (aulus) Posananiensis (sic), Prepositus de *Santhec* (sic) (3), Egidius Capellanus de *Ligheni* (4), G. clericus curie.

olim castrum situm erat. Castrum ergo, quod ibi antiquitus exstiterat, non aliud esse, quam hoc, de quo hic agitur, eo facilius effici potest, quod villae praedictae *Grodzisko* proxima sit alia parochialis villa, etiam nunc *Wielenin* dicta.

(3) Sine dubio *Santok*, olim castrum, hodie oppidulum ditionis Borussicae, *Zantoch* germanice dictum in districtu Francofurtiensi, ubi Notecia cum Warta confluit, prope Landsberg oppidum situm.

(4) Forsan *Lijewo* in Cujavia, regionis Brestensis, parochiae Kruszynensis, vel *Lechlin* pagus parochialis regionis Wągrovicensis, territorii vero Bydgostiensis in Magno Ducatu Posnaniensi.

XXIII.

Petricoviae anno 1233.

Boleslaus (filius Conradi) Dux Siradiae fratribus Cisterciensibus monasterii Sulejoviensis, licentiam capiendi castores in utraque ripa fluminis Ner, in propinquo villae *Baldrichoviae* largitur (1).

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Bolezlaus Dux Zyrrazie (sic) contuli deo et beate Marie et ecclesie de *Suluyov* et fratribus, aquam de *Baldricov* que *Nyr* vocitur (sic), cum castoribus in utraque ripa manenti-

(1) Ex tabula authentica d. Stronczyńscii. propria, cujus sigillum abruptum filis flavi coloris appensum erat.

bus, quantum ipsorum ibidem durat allodium, scilicet a fine metarum ville, que *Campa* (2) dicitur, usque ad finem metarum de *Baldrycov* perpetualiter possidere, ut ex hoc memoria mei in orationibus et bonis spiritualibus frequentius habeatur: et ut hoc in posterum maneat inviolabile, coram baronibus meis confirmavi et sigilli mei munimine roboravi. Hujus donationis et elemosine testes sunt, qui presentes fuerunt: Suguegnercus (sic) Subcamerarius, Fulco Venator, Venceslaus Signifer, Drogoignius Subvenator, Bresopas Subdapifer, Johannes filius Miculonis, Petrus filius Gyrzycrai (sic), Mirozlaus clericus curie. Si quis vero stimulo Sathane concitatus, contra privilegium istud agere quicquam presumpserit, anathematis sententia ex parte omnium fidelium perpetualiter et condempnabiliter feriatur. Acta sunt hec in *Petrcov*, anno gratie MCCXXXIII°. Indictione XVI (sic) (3), Epacta VII, concurrente V.

(2) Conf. tabulam Nro IV supra descriptam, eique adjectas annotationes quartam et quintam.

(3) Numerus Indictionis Romanae XVIus, nonnisi errore scribae ita designari potuit, loco VIti competentis: Epactarum autem VIIus, secundum recentiorem Dyonisianam rationem computandi positus, et Concurrentis numerus recte indicatus est.

XXIV.

Anno 1233.

Vladislaus filius Ottonis Dux Poloniae Majoris villae Panigrodz ad coenobium Cisterciensium Leknense pertinenti juris Theutonici Culmensis privilegium confert, et Hardegenum aliosque Germanae nationis advenas ibidem degentes in patrocinium suum recipit (1).

† In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Wlodizlavus filius dominj Odonis Dux Gneznensis, fidelibus Christi in perpetuum. Universis tam

(1) Ex tabula authentica pergamena doctissimi Josephi Muczkovscii Cracoviensis Jagellonicae Universitatis Professoris propria. Sigilla, quae tria appensa fuisse foramina chartae indicant, desunt; unius tantum funiculus exstat subsericus rubei coloris.

presentibus quam futuris notum esse volumus, quod ad petitionem dominj Heinrici Abbatis, et conventus *Lugnensis* (2), Hardegenum et sequaces suos Theutonicos, quibus dictj Abbas et conventus *Pangroz* cum quadraginta mansis franconicalibus, iure theutonico perpetualiter possidendos contulerunt, sub nostra protectione ac defensione (sic) in honorem dei suscepimus, libertate donavimus; ita, quod sine theloneo valeant fines terre nostre peragrare; sine omni exactione juris pollonicalis sedebunt; mecum tamen ibunt in expedicionem ad terre mee defensionem; decimas suas tamen solvent monasterio supradicto. Nullus sine sigillo nostro eos provocet, non (sic) ante iudicem, nisi (sic) ante me ipsum, sed libertas omnimoda in perpetuum eis rata consistat, nostro consignata sigillo a nullo successorum nostrorum violanda. Actum anno dominice incarnacionis millesimo ducentesimo tricesimo tertio. Utentur autem supradictj jure Culminensi.

(2) Vid. ad privilegium anni 1153 superius Nro II descriptum, annotationem secundam.

XXV.

Sine loco, anno 1234. die 23. mens. Maji.

Fulco Archiepiscopus, donationem decimarum a Vincentio praedecessore suo in quadam territorii Naklensis parte coenobio Lubucensi Vratislaviensis dioeceseos concessarum, confirmat (1).

Nos Fulko dei gracia Gneznensis ecclesie Archiepiscopus presens scriptum inspecturis salutem in domino sempiternam. Universa facta que sanctione racionabilium virorum ordinantur, immo ipsa decernente racione ordinata roborantur, a posteris non tantum sunt firmiter observanda, set etiam autenticis suis juste ad hec postulatis affructuosissime confirmanda;

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in archivo Posnaniensis provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doctiss. Stronczyński. Sigilli abrupti funiculus flavi et rubei coloris superest sericus. — De donatione cujusdam territorii Naklensis portiunculae coenobio Lubucensi a Duce Vladislao filio Ottonis facta, vide in Büschingii libro, qui „*Urkunden des Klosters Leubus*" inscribitur, tabulam ibidem Nro XLIX exhibitam.

nam et majoris firmitatis est edificium cui diversitas columpnarum accomodat fulcimentum. Nos igitur donacionem decimationis in parte territorii de *Nakel* (2) concessi per bone memorie W. (ladislaum) (3) Ducem Polonie monasterio de *Lubes* Wratislaviensis diocesis perpetuo possidendi, non in prejudicium ecclesie sue laudabilis memorie W. (incentius) (4) antecessor noster de consensu sui Capituli cum summa deliberatione factum, expressis tamen certis terminis dicti territorii, appensione proprii sigilli suique capituli communivit (5). Quam prout intelleximus in scripto contineri nostri predecessoris, in quantum possimus, nostri sigilli munimine roboramus. Actum anno gracie M° CC XXX° IIII° Indictione VII (6) X Kalendas Junii.

(2) *Naklo* oppidum, olim castrum munitissimum in M. Ducatu Posnaniensi, ad fluvium Noteciam, territorii Bydgostiensis, regionis Wyrzyscensis.
(3) Vladislaus Laskonogi Dux Poloniae Majoris, anno 1231 mortuus. (Vid. Boguph. apud Sommersb. II. 58).
(4) Vincentius Archiepiscopus, anno 1230 secundum Damalevicii opinionem, anno vero 1232 secundum Długossium mortuus est. Vid. Damal. Series Archiepp. p. 133. Długoss. VI. 648.
(5) In hoc obscuro verborum circuitu, quaedam deesse videntur.
(6) Indictionis numerus recte indicatus est.

XXVI.

Cracoviae anno 1236 die 18. m. Augusti.

Vitus Praepositus Cracoviensis villam *Smroków* Henrico Praeposito Miechoviensis coenobii vendit (1).

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Quoniam super hiis, que inter mortales aguntur, per temporis successionem questio dubietatis

(1) E tabula authentica pergamena oblonga, Leonis Comitis Rzyszczevii propria, cui duo in funiculis subsericis rubei coloris appensa sunt de cera vulgari formae oblongae sigilla, quorum primum sigillo tabulae anni 1227 superius N^{ro} XIX exhibitae simillimum, haec in ambitu verborum fragmenta repraesentat. „....... *iensis* ..... *ie* ..... *i Wencesl* ..." (Sigillum Cracoviensis ecclesie sancti Wenceslai): in altero vero vetustate jam fere prorsus

quandoque solet oriri, necesse est, ut quorum notitia transmittenda est posteris, personarum testimonio et litterarum memoria perhennentur. Ego igitur Vitus dei gracia Cracoviensis Prepositus, notum facio tam presentis quam futuri temporis Christianis, quibus hec littera fuerit ostensa, quod villam meam *Zmrocov*(2) vendidi pro LX marcis Henrico Preposito Mechoviensi cum omnibus attinenciis predicte domuj perpetuo servituram. Et ne factum meum racionabiliter celebratum in posterum possit in irritum revocarj, coram Capitulo Cracoviensi ad manus fratris Willelmj eandem villam resignavj domui memorate, rogans, tale factum meum sigillo Capituli confirmarj, ac meo confirmavj. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XXX° VI°, XVIII° Kalendas Septembris. Testes qui hoc audiverunt et viderunt hij sunt: Andreas Scolasticus, Radulfus Cantor, Nicolaus Custos, Waltherus, Fridericus, Vincencius, Zulizlaus, Johannes, Albertus, Zulizlaus, Troianus Canonici; Gerardus Submagister et frater eius Johannes, Alexander, Petrus, Gregorius, Woizlaus, Tobias, Amilis Vicarij, Ctzima, Petrus, Sanctuarius, Augustinus, Boguzlaus et alij quam plures.

deleto, vix personae alicujus vestigium conspici potest, quod num Virginis Mariae, an sacerdotis sit imago, frustra discernere tentabis. Legitur quidem hoc monumentum in Nakielsoii *Miechovia* fol. 160, sed multis ibi mendis scatet.

(2) *Smroków* villa territorii et regionis Miechoviensis, parochiae Czaplensis.

XXVII.

In villa Blogie anno 1237.

Boleslai (alii Conradi) Ducis Masoviae decretum, quo limites inter praedia monasterii Sulejoviensis et heredum villae cujusdam *Vochrz* dictae, constituuntur (1).

Ego B. (oleslaus) dei gracia Dux Mazovie scire volo universos, ad quorum presenciam presens littera pervenerit, quot querela que vertebatur

(1) Ex exemplari ad similitudinem tabulae authenticae efficto privilegium hoc doctiss. Stronczyński descripsit et apographum nobiscum communicavit, asserens, in exemplari effictum etiam fuisse sigillum, equitem cataphractum equo insedentem, et in margine verborum fragmenta: „. . . . olesla . . . . . . ucis Mazovie . . . . . mir . . . . . . " (Sigillum Boleslai Ducis Mazovie et Sandomirie) repraesentans.

inter fratres de *Suluyo* ex una parte, et Voncam et alios heredes de *Vochrz* (2) ex altera parte, de quodam angulo terre qui jacet inter graniciam dictorum fratrum et dictos fratres, coram nobis judicio fuit terminata, et mete de utriusque partis consensu et nostro [per ali]quam (3) viam que descendit de *Sarnoe* in Suluyo inter eos assignate. Et ne supradictum judicium per quamlibet partem possit revocari, vel de supradictis metis querela possit in posterum suscitari, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes: Pachozlaus senex de *Sarnoe* Castellanus, qui supradictam causam coram me judicavit, et Bogdanus Camerarius, qui metas de utriusque partis consensu et nostro, coram vicinia fecit et incidit, et multi alii qui presentes sunt. Acta sunt hec anno gracie M° CC° XXX° VII° in *Bologue* (4). Sciendum vero, quod predicti heredes a supradictis fratribus de Suluyo pro laboribus eorum, extirpationibus et arboribus, XV mensuras mellis susceperunt.

(2) Quinam locus sit hic corrupte indicatus, num *Wojcin* parochialis villa inter Sulejoviam et Żarnów sita regionis Opocznensis, an vero *Wąsosze* territorii Opocznensis, regionis vero et parochiae Końscensis villa, an alia, mecum ipse dubito.
(3) Verborum fragmenta in exemplari omissa, sic restituenda puto.
(4) *Błogie* villam Sulejoviae proximam ut intelligamus, situs loci nos movet.

XXVIII.

Predboriae anno 1239.

Boleslaus Pudicus Dux Sandomiriae donationem villae *Kępino* a Fulcone Archiepiscopo Gnesnensi coenobio Sulejoviensi factam, ratam esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quoniam mundus caducus est, et diversis quotidie casibus variatur, idcirco necesse est actiones legitimas, quae memoria indigent, per scripti continentiam in notitiam transmitti posterorum. Ea propter, ego Boleslaus dei gratia Dux Sandomiriae cum matre mea universis

(1) Apographon e libro privilegiorum coenobii Sulejoviensis auctoritate publica anno 1816 descriptum, nobis rescribendum concessit doctis. Ignatius Rychter.

praesentibus et posteris notum esse volo, quod venerabilis Pater Fulco divina providentia Gnesnensis ecclesiae Archiepiscopus, villam *Campino* inter *Rozprzam* et *Milejow* (2) sitam, quam a fratre suo patruele Comite Petro et filio suo Mironesio pro alia villa *Quiliva* (3) nomine recambiverat, eisdem etiam praesentibus et consentientibus domui de *Sulejow* pro remedio animae suae contulit jure hereditario in aeternum possidendam. Actum in *Przedbórz* (4) in colloquio inter me et matrem meam cum Baronibus meis ex una parte, et patruum meum Ducem Conradum et filium ejus Semovitum ex altera, VII Idus (5) celebrata, anno gratiae MCCXXXIX: praesentibus etiam quam pluribus, quorum nomina sunt haec: Dominus Vislavus Episcopus Cracoviensis, Pacoslaus Palatinus Sandomiriae, Mstivuj Palatinus Lanciciae (6), Pacoslaus Palatinus *Visliciae* (7), Jacobus Castellanus Sandomiriae, Thomas Castellanus Lanciciae, Zdislaus Castellanus de *Malgoszcz* (8), Michael Pincerna, Nicolaus Judex, Bronisius? (9) Prandota Praepositus *Kielcensis* (10), Petrus Subcamerarius, Falibosius domini Archiepiscopi Camerarius, dominus Volimirus Archidiaconus de *Ruda* (11). Datum per manum Januszii domini Archiepiscopi Cancellarii. Ut autem tam solenne factum perpetuae firmitatis robur obtineat, praesentem paginam nostro, nec non aliorum sigillis, feci roborari.

(2) Vid. priv. anni 1221 Nro XII praemissum, in annotatione tertia.

(3) E situ loci verisimillimum nobis videtur, hic de villa *Kwilno* agi, territorii Lanciciensis regionis Zgiersensis parochiae vero Gecznensis, inter Zgierz et Piątek oppida sita.

(4) *Przedbórz* oppidum provinciae Sandomiriensis, regionis Końscensis, ad fluvium Piliciam.

(5) Mensis ejus anni non est indicatus.

(6) *Lancicia* (Łęczyca) oppidum, olim totius provinciae hujus nominis, hodie territorii regionisque caput, ad Bzuram fluvium.

(7) *Wiślica* oppidum parochiale ad Nidam, Stopnicensis territorii et regionis.

(8) *Malogoszcz* oppidum parochiale Kielcensis territorii et regionis.

(9) Quid? si loco Bronisii „Dominus" legendum esse putemus?

(10) *Kielce* urbs, nunc territorii regionisque, anno vero superiore etiam provinciae sui nominis caput.

(11) Villa parochialis territorii Opatoviensis, regionis Solecensis, *Ruda Kościelna* dicta hic forsan intelligenda est; nisi quis malit hunc Archidiaconum ad insigne tunc temporis castrum oppidumque Ruda referre, quod diu caput regionis olim Rudensis fuerat ecclesiamque principalem habuerat, unde oppidanos et collegium Wieluńium proximum (oppidum Calissiensis provinciae, territorii regionisque caput) secessisse, Długossius Lib. I p. 42 testatur.

XXIX.

Petricoviae, anno 1241. die 10. m. Novembris.

Conradus Dux Cracoviae et Lanciciae cum filio suo Ziemovito, villam coenobii Sulejoviensis, *Kępino* dictam, ab angariis nonnullis liberat (¹).

In nomine domini nostri Jesu Christi, amen. Licet quedam facta universitati hominum evidenter nota sint, solet tamen frequenter accidere, quot humanis actibus cum testes defuerint, attemptat calumpnia novercari. Idcirco necesse est, actiones legitimas, que memoria indigent, per scripti continenciam in noticiam transmitti posterorum. Noverint igitur universi presentes et posteri, quot nos Conradus dei gracia Dux Cracovie et Lanchicie una cum filio nostro Duce Semovito, ville *Campino* nomine, quam venerabilis pater noster Fulco Gneznensis ecclesie Archiepiscopus domui de *Suliow* jure hereditario in eternum possidendam coram nobis contulit (²), ad petitionem ejusdem domini Archiepiscopi et pro salute animarum nostrarum, talem contulimus libertatem, quot incole ville memorate ab omni servitute sint exempte (sic), ex quibus servitutibus quasdam specificari voluimus: videlicet *povoz*, *naramb*, *nastava* et *veznica*, et ab omnibus aliis, quocunque vocabulo censeantur. Adicimus eciam, quot citati coram nobis tantum respondeant. Datum in *Potrkow* IIIIª Idus Novembris, anno gracie M° CC° XL° primo; presente ipso domino Archiepiscopo, et aliis quorum nomina subscripta sunt, videlicet: Mstivyo Palatino Cracoviensi, Bogusa Palatino Lanchiciensi, Wseborio Castellano de Siraz, domino Wolimiro Cancellario nostro, Nicholao Dapifero, Domavycio Thezaurario, Symone Agazone, Floriano Subpincerna. Ut autem hec nostra donatio perpetue firmitatis robur obtineat, presentem paginam nostro et aliorum tunc presentium sigillis roboravimus.

(¹) E tabula authentica membranacea doct. Stronczynii propria, quae, quum olim quatuor instructa esset sigillis, nunc nisi funiculos sericos tres appensos habet, quorum qui ad primum sigillum pertinuerat, filis rubei coloris, ii vero, quibus tertium et quartum sigillum erat appensum, filis rubei et flavi coloris contexti sunt.

(²) Vid. privil. Boleslai Pudici proxime procedens N° XXVIII.

XXX.

Gnesnae, anno 1242. die 30. m. Aprilis.

Premislai Boleslaique fratrum, Ducum Poloniae Majoris edictum, contra nefarios turbatores pacis monasticae coenobii Benedictinorum *Lubinensis* direptoresque bonorum ejus (¹).

In nomine domini, amen. Multis incommodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia, litterarum ac testium munimine roboramus. Noverint igitur universi tam presentes quam futuri presentem litteram habituri, quot nos Premisl et Boleslaus dei gracia Duces Majoris Polonie auditis multimodis molestiarum querelis dilecti Capellani nostri domini Woyslai Abbatis et fratrum ejus monasterii de *Lubyn* (²) quas quidam feroces eis in bonis eorum ymmo et in ipso monasterio in ipsas personas religiosas, timore dei postposito et rigore nostro retrojecto, fastu superbie tumentes ausu temerario inferre non formidant; et cum prefatum monasterium et personas in ibi deo militantes ob religiosam conversacionem speciali gracia et favore prosequamur, et ordo justicie et rigoris exigat, ut juxta debitum dignitatis nostre, cura debita ipsorum dispendiis occurramus et profectibus, talium eorundem ferocitatis temeritatisque tyrannidem refrenantes compescuimus, prout debite meruerunt. Quare, ut talia in posterum non admittantur, inito communi consilio, rite decernentes, dignum duximus statuendum: ut quicunque seu nobiles sive ignobiles cujuscunque condicionis aut dignitatis extiterint, Abbati seu fratribus suis dicti monasterii, sive villanis eorum, in bonis ipsorum et precipue in monasterio quippiam molestie seu violencie intulerint, nobis et nostris successoribus penam que *sedmcessant* dicitur,

(¹) E tabula authentica pergamena, in tabulario provinciae Posnaniensis asservata, (cujus alterum sigillum totum desideratur, alterum de cera vulgari, sigillis Praemislai II persimile esse dicitur) descripsit doctiss. Stronczyński. Sigilla filis rubeis appensa erant.

(²) *Lubin*, monasterium et villa parochialis in M. Ducatu Posnaniensi, territorii Posnaniensis, regionis Kostanensis, in via e Dolsko Krzyvinum ducente. Coenobium monachorum ordinis S. Benedicti ibi a Michaële quodam nobili Polono anno 1113 fundatum esse, Długossius L. IV. p. 399. narrat.

debebunt, et Abbati dicti monasterii penam solvent, que *pintnacessce* nuncupatur. Hoc decretum nostrum ratum et firmum, nostris ac perpetuis temporibus censuimus duraturum. In hujus rei testimonium, presentem litteram sibi dari jussimus, nostrorum sigillorum munimine roboratam. Actum et datum in Gnezna infra octavam beati Adalberti Episcopi et Martyris, patroni Polonorum, anno domini M° CC° quadragesimo secundo. Presentibus hijs: domino Bogufalo Episcopo Poznaniensi, Bogumilo Palatino Poznaniensi, Dirsicrayo Palatino Kalissiensi [3], Domarato Judice Poznaniensi, Jaroslao Judice Kalissiensi, Mathia Notario nostro, et aliis multis fide dignis.

(3) *Calissia* (Kalisz) urbs Regni Poloniae, nunc territorii regionisque, anno vero superiore etiam provinciae sui nominis caput, ubi rivus Swendry cum fluvio Prosna confluit.

XXXI.

Radgosti, anno 1242. die 23. Octobris.

Conradus Dux Cracoviae et Lanciciae, privilegia monasterii Cisterciensium Sulejoviensis refert ac renovat (1).

Principum terrenorum munificencia liberalis, quod gratis tribuit, existimat se debere, et nisi crescat in suis beneficijs, se nichil iudicat contulisse. Set quoniam eorum donaciones sepius per successores malivolos rescinduntur, cum pocius deberent ampliari, in oblivionis pernicie seu privilegiorum vetustate corrosorum viciacione suam nequiciam fulcientes, providencia laudabilis adinvenit, acta mortalium litterarum apicibus comendare, antiquata quoque scripta renovare, contra morbum duplicem duplex antidotum preparando. Ea propter noverint universi tam presentes quam posteri presentem paginam inspecturi, quod nos Conradus dei gracia Cracovie et

(1) Ex apographo sub finem XV vel initio XVI^{mi} seculi concinnato, quod, quantum cum confirmatione Lesconis cognomine Nigri anni 1279 concinnat, cujus tabulam authenticam Comes Rzyszczevius habet, ex annotationibus nostris perspicies. Conf. Lesconis praedictam confirm. infra N° LXI. exhibitam.—Verba uncis inclusa ea esse scias, quae quum in charta confirmationis anni 1279 avulsa sint, secundum apographi antiqui tenorem restituimus.

Lancicie Dux, una cum filiis nostris Bolezlao Mazovie, Kazimiro Cujavie Ducibus et Duce Semovitho, ad memoriam reducentes, quam speciali prerogativa dileccionis gloriose memorie illustris Dux Kazimirus pater noster ecclesiam beate Marie sanctique Thome de *Suleijov* fratresque Cisterciensis ordinis ibidem commorantes de Romanis partibus (2) evocatos dilexerit, pium affectum ejus benigno favore prosequentes, privilegia dudum confecta, tam super donacionibus ac libertatibus patris nostri supradicti, quam nostris seu aliorum quorumcunque donacionibus seu eciam acquisicionibus eorundem fratrum videntes processu longi temporis viciata, captato tempore oportuno, studuimus renovare quicquam in eisdem privilegiis seu aliis instrumentis reperimus, in presenti pagina propriis vocabulis conpendiosius declarantes. Contulit siquidem pie recordacionis pater noster predictis fratribus XIII. plaustratas (3) salis singulis annis persolvendas sine diminucione, secundum quod de Rusia adducuntur de theloneo Sandomiriensi, et alveum salis annuatim in Cracovia. Item villis, colonis, et foro ipsius ecclesie cum pertinencijs suis, videlicet: *Strelech*, *Dambrove* et ville de *Baldrichov* cum pertinenciis suis, plenam contulit libertatem, et ab omni jugo tributarie servitutis exemit; ita, quod conductum nullum ducant, nec ab aliquo recipiant, excepto solummodo Ducis tentorio. Item aliis villis: *Mileijov* scilicet cum pertinenciis (4) *Monti* et *Bucine*, *Prussinove*, *Manoe*, *Stephanoe*, et *Potrove* cum pertinencijs earundem, sicut Raslaus Palatinus tenuit, eandem contulit libertatem, et homines eorum a *povolove*, *podvorove*, *naraz*, *povoz*, *vivoz*, *vimoth*, *nastava*, *vesinica*, *strosa* et ab omnibus aliis servitutibus et

(2) Pro „*Romanis partibus*", confirmatio anni 1279 habet „*Morimundo*", quod est oppidum in Burgundia, nunc Franco-Gallicae ditionis. — Casimiri Ducis privilegium anni 1176 huic monasterio collatum, vide N° IV.

(3) Sic et in privilegio Casimiri N^ro^ IV. praemisso; *quatuordecim* autem *plaustratas*, in confirmatione Lesconis Nigri legimus.

(4) „*Cum pertinentiis Wole et Zacrovice, Monti* et cet.", habet privil. confirm. anni 1279.— E plurimis in regione Petricoviensi villis *Wola* dictis, Milejoviae proximae duae sunt; quarum. *Wola Bogdańska* altera, altera *Wola Krzystoporska* dicitur, ambae parochiae Bogdanoviensis Quum autem nec Zakrowice, nec Zakrzowice villa in hac provincia exstet, e multis villis Zakrzew, Zakrzów, Zakrzówek dictis, haec quae Milejoviae propior nobis videtur, est villa *Zakrzewek* dicta, regionis et parochiae Radomscensis, quae tamen quatuor milliariis a Milejovia distat. De situ ceterarum, hoc privilegii loco enumeratarum villarum, jam in annotationibus ad privilegium N^ro^ IV referenda retulimus.

exaccionibus, quocunque vocabulo censeantur, a castris firmandis, ab expedicionibus et ab aliis laboribus universis penitus liberavit, nec aliquubi, nisi coram Duce, provocentur, litteris ipsius sigillo signatis: capita quoque que in villis eorum ab hominibus suis contingerint, libere recipient; theloneum, ubicunque vadunt, vendunt, vel emunt quocunque modo, nullatenus solvant. Item sub dominio fratris nostri, in villis bone memorie Ducis Lestconis acquisitis, scilicet: *Ocaline, Lanchnò, Crisanov, Svecehov* et *Pasturov* (5) eandem optinent libertatem, et a predictis servitutibus et exaccionibus penitus sint inmunes. Item in villis sub nostro dominio acquisitis, videlicet: *Ylove, Vissocine* (6) cum castoribus, *Bar*[*covice*] (7), quam habent pro commutacione facta de *Lubocin; Dobrechav, Pechove, Unane, Jacove, Strassevizi, Campina* (8) cum pertinencijs suis, per omnia consimilem obtinent libertatem, [et a predictis] servitutibus et exactionibus penitus sunt

(5) *Okalina*, territorii, regionis et parochiae Opatoviensis villa ecclesiastica. Ut autem *Lanchno* non aliam villam denotare credamus, nisi *Łęczno* Petricoviensis regionis, Sulejoviensis parochiae, tabula Casimiri Ducis Cujaviae et Lanciciae anni 1251 nos movet, inferius N° XXXVII° exhibita. *Krzyżanów* villa ejusdem regionis, parochiae Milejoviensis; *Swięciechów* pagus Opocznensis regionis, parochiae Blogensis; *Pasturów* villam nullibi invenire potui; *Pasturka* vero, vel *Pastérka*, villa olim ecclesiastica regionis Szydłoviensis, parochiae Pińczoviensis, nimis longe a Sulejovia aliisque monasterii bonis distante, hic villam *Paskrzyn* regionis Petricoviensis, parochiae Ręcznensis forsan intelligi puto, quae in propinquo praedictarum villarum (Łęczno et Krzyżanów) sita est. Conf. tab. an. 1262 inf. N^ro^ L. exhibitam.

(6) *Iłowo* territorii Cujaviensis, regionis Brestensis, parochiae Swierczynensis villa, non longe distat ab altera hic nominata villa *Wysocin*, ejusdem territorii, regionis vero Radziejoviensis, parochiae Bądcoviensis.

(7) B. „*cum pertinencijs, videlicet Preglov*," adjicit confirmatio anni 1279: est autem *Przygłów* villa Sulejoviae proxima. Monumentum commutationis villae Barkowice cum villa Lubotyń (N° XXI) praemisimus.

(8) *Dobrechów*, ut non aliam esse villam putemus, nisi *Dobrowo* parochialem, Koninensis territorii et regionis, argumentum privilegiorum inferius N^ris^ XXXIX et LXVIII exhibitorum, nec non tabulae in Damalevicii Serie Archiepp. Gnesn. *pag.* 101 *seqq.* typis descriptae, nos movet. Huc accidit, quod villae simul cum villa *Dobrehov* hic enumeratae, *Pieczew* videlicet, *Umienie, Jacków, Straszówek* et *Kępina*, licet trans fluvium Vartam, in Lanciciensi finitima regione sitae, in propinquo tamen sunt Dobroviae. Siquidem *Pieczew* parochialis villa, vix uno milliario ab oppido Dąbie distet, *Umienie* itidem parochialis villa, inter Dąbie et Kłodavam oppida, *Jacków* seu *Jaków* parochiae Siedlicensis, in via e Lancicia Kłodavam ducente, *Straszkówek* autem parochiae Kłodaviensis eidem oppido proxima villa, *Kępina* denique, parochiae Graboviensis villa, inter Pieczew et Jaków villas fere media est.

inmunes. Item aquam de *Pilcia* (9) pro anima dicti fratris nostri Lestconis eis datam, aquam que Baldrichov que *Nir* (9) vocatur, et aquam que *Luceza* (9) nuncupatur, plena [libertate pos]sideant. Circa Su[lejov vero] et ubique infra terminos et methas ipsorum, castores per piscatores suos in utraque ripa libere possunt piscari. Has igitur donaciones et libertates superius annotatas, ratas et firmas, illibatas et inconcussas volentes in perpetuum permanere, sepedictis fratribus de Suleyov confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus decernentes, ut nulli omnino successorum nostrorum liceat hanc paginam nostre perpetue confirmacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, quam nos eciam, ad maioris roboris firmitatem, sigilli nostri munimine duximus roborandam. Huius rei testes (10) et consencientes sunt: filii nostri Boleslaus, Kazimirus, Semovitus, item Vosinicus (? Volimirus) (11) Cancellarius et frater eius Strezco, Nicolaus Cancellarius (?) de *Respir* (12), et plures alii. Acta sunt hec anno domini M° CC° II° (sic) (13) decimo Kalendas Novembris in *Radagoste* (14).

(9) *Pilicia* fluvius, cujus fons circa oppidum Piliciam, Olcussiensis territorii, regionis caput, ostia vero circa villam Ostrówek territorii Varsaviensis, regionis Czerscensis, parochiae Konarensis, ubi Vistulam intrat. *Nér* fluvius, fontem prope villam Giemzów regionis Petricoviensis, parochiae Rzgovensis habet; intrat vero Vartam, prope villam parochialem Chełmno, Lanciciensis territorii regionisque. Rivus *Luciąźna*, qui in confirmatione anni 1279 *Luceza*, in apographo autem seculi XVI^mi^ *Luchczyna* corrupte nominatur, fontem circa villam Gomolin Petricoviae proximam habere videtur, licet Długossius (I. 14.) eum ad villam Bliszyn, Rozprae oppido proximam referat; intrat autem fluvium Piliciam circa villam Barkowice monasterii Sulejoviensis.

(10) Testes in privilegio anni 1242 prolati in solo apographo recensentur.

(11) Quem Vosinicum in apographo corrupte nominatum videmus Cancellarium, eum in ejusdem 1242^di^ et 1243^tii^ anni privilegiis Conradi, apud Nakielscium (Miechovia pag. 164 et 166) et Szczygielscium (Tinecia pag. 152) Volimirum appellari scias. Conf. ad privil. N^ro^ XLII exhibitum annotationem quartam.

(12) Citatio duorum Cancellariorum, quae in tabulis hujus aevi rarissime occurrit, suspecta mihi videtur, ita ut hoc corrupto apographi loco potius verba „*Castellanus de Rospir*" legere maluerim. Et reapse Nicolaum Castellanum de Rosprza loco testis citatum in privilegio Conradi ejusdem anni videmus apud Nakielscium p. 164. Est autem *Rospir* oppidum parochiale olim castrum *Rosprza*, Petricoviensis regionis.

(13) In apographo antiquo annus MCCII indicatus est, omisso (quod saepissime in antiquis tabulis offendimus) quadragenario annorum numero; quem autem quadragenarium ideo esse arbitramur, quod Conradus anno 1232 titulum Ducis Cracoviae et Lanciciae usurpare nondum solitus est.

(14) *Radogoszcz* villa territorii Lanciciensis, regionis Zgiersensis, parochiae Łodzensis, in via ex oppido Łódź Zgiersium ducente.

XXXII.

Krisci, anno 1245 die 28. Aprilis.

Conradus Dux Lanciciae villam *Służewo*, Gotardo Comiti donat (1).

In nomine domini, amen. Annorum temporumque velocia considerando curricula, et quia aput tepidos successores non memorialis habetur recordacio, nisi scripti fulciantur munimine; sciant igitur moderni, notescant et posteri: quod nos Conradus dei gracia Dux Lanciciensis, cum omni consensu et voluntate nostrorum dilectorum filiorum Bolesłai et Semoviti Mazoviensium, et Kazimiri Kuyaviensis, Comiti Gotardo et sue posteritati villam que *Sluzewo* (2) wlgariter nuncupatur, ubi ecclesia sitta est, contullimus pro fideli et competenti ejus servicio, cum jure patronatus et utilitatibus hereditariis, cum omnibus agris, pratis, mellificijs, venacionibus capreolinis et ceteris utilibus que ad usus sibi competi videbitur (sic). Incolle ejusdem ville, nec coram Pallatino, nec Castellano vel coram Judicibus cittati ne astent,

(1) E libris Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae (vulgo Metryka Koronna dicti), quibus antiquitus quaecumque documenta privata et publica, ad majorem fidem et diuturnam securitatem, publica auctoritate inseri solebant; et quidem e pag. 754. XII[mi] eorum antiquiorum librorum, qui, quum singulari tunc temporis usitata forma angusta a ceteris differrent, vulgo „*Dudki*" appellabantur. Relata autem ibi sunt uno contextu, praeter hoc anni 1245[ti], alia quoque annorum 1261 et 1378 privilegia, quae utraque ad eandem villae Służewo donationem, donationisque posteriorem confirmationem spectant; quorum tamen alterum, quod scilicet anni 1261 esse dicitur, quum pluribus in locis evidenter sit interpolatum, etiam hanc anni dieique, quo latum est, literam falsam praeseferre videtur; siquidem Conradus Dux Masoviae anno jam 1247 obiit, Conradus autem nepos ejus Dux Czerscensis, anno 1261 nondum summam imperii, dum pater ejus viveret, exercebat. (Conf. Boguphali Chron. ap. Sommersb. II. 63. Baszko ibid. p. 74 et Anonymus Chronicorum brevv. Cracoviensium scriptor ibid. p. 83). Melius ergo temporis ratio servata est in alio quodam hujus tabulae, de qua loquimur, exemplo, secundum quod in opere Bartossii Paprockii, *Herby Rycerstwa* etc. inscripto, p. 276 typis vulgata est, ibique Varsaviae anno 1241 impertita esse dicitur. Monendi quoque sunt lectores, in libros tabularii praedictos, sive negligentia describentium, sive imperitia, permultos irrepsisse errores, quae eo subtiliorem censuram requirunt, quo difficilius ab adulterationibus falsariorum discerni possunt.

(2) *Służewo* oppidum parochiale est, et eidem vicinus pagus, territorii Cujaviensis, regionis Radziejoviensis.

nisi ad Ducem provocentur, et Dux eos judicat (sic) vel curie Judex tantum. Ut autem instrumentum hoc perpetue firmitatis obtineat a posteris (sic), impressionis nostre munimine dignum duximus roborare (sic). Hec acta sunt sub testimonio domini Stanislai Episcopi Poznaniensis (3). Datum in *Krysk* (4), presentibus his, quorum nomina subscribuntur: Mzczyvugio et Nicolao Palatinis, W.[olimiro] Cancellario, Damiano Thezaurario (5), Lassota Pincerna, Alberto Subjudice, et aliis quam pluribus nostris fidelibus fide dignis. Sub anno domini millessimo ducentesimo quadragesimo quinto, tercia die post festum sancti Marci.

(3) In nulla dioecesi tunc temporis fuit Episcopus, cui nomen esset Stanislai; quare errore librarii hic loco Boguphali (Episcopi Posnaniensis) Stanislaum positum esse autumo.

(4) *Krysk* villa parochialis territorii et regionis Plocensis. Sed est hujus privilegii aliud apographon, a doct. Joanne Komiérowski olim (ut traditur) ex archetypo descriptum, quod hic pro *Krysko* villa, oppidum Czersk habet. Utri autem lectioni major fides habenda sit, decernere non ausim; ad lectionem *Krysk* recipiendam inclinatur animus non magni intervalli ejus villae a Służewo ratione.

(5) Eundem hunc esse Thesaurarium, qui in privilegio anni 1242 apud Szczygielscium p. 152, corrupte *Vomauger* appellatur, veri simile est.

XXXIII.

Czervinscii, anno 1246.

Boleslaus Dux Masoviae villam *Osmolino* coenobii Czervinscensis a contributionibus vulgo Narzaz et Podworowe dictis liberat (1).

Bolezlaus dei gracia Dux Mazovie. Notum esse volumus universis, quod nos ob divine gracie compensacionem, fratribus de *Cyrvensk* iure perpetuo contulimus in villa eorum, que dicitur *Osmolino* (2), omne *narzas*

(1) Ex archetypo in charta membranacea scripto, in bibliotheca Comitum Zamojsciorum Varsaviae asservato, cujus sigillum, quod (ut apparet) funiculo serico viridis coloris appensum erat, jam desideratur. Est autem tabula haec in antiquo libro privilegiorum monasterii Imo p. 75 sqq. descripta.

(2) Non de *Osmolin* oppido territorii regionisque Gostinensis, sed de villa *Osmolinko* nunc dicta, territorii regionisque Plocensis, parochiae vero Bodzanoviensis hic agi, ex aliis inferioris

et *podworove*, indulgentes eis waccam, porcum, pernam, kyzam et arietem (3). Conferimus eciam eisdem fratribus in eodem *Osmolino* cmethones iudicare et castores in terminis ei attinentibus circumquaque possidendos, pro nostra nostrorumque successorum legitimorum salute. Qui vero hanc donacionem nostram racionabilem ritamque violaverit, indignacionem omnipotentis dej et beate virginis Marie prorsus se sciat incursurum. Testes huius nostre donacionis sunt: Crivosud Pincerna, Jascoldus, Dobrogost, Mscivug Subiudex, Thesim (?), Stephannus, Jascoldus filius Viti, Petrus Subdapifer, Damianus, Nicolaus filius Dobrogostonis, Syroslaus, Jacobus Sacerdos, Jaccobus *Coritowo* (4), item Jaccobus *Coritko* (5), Miroslaus Cappellanus, Nicolaus Cappellanus, Jaccobus Minutor, et alij quam plurimi fide digni. Actum et datum in curia hospitalis ecclesie *Cyrvenensis*, anno gracie M° CC° XL° VI°.

temporis scriptis coenobii, imprimis autem ex pacto, scilicet de mola Osmolinensi Zalewek dicta, sopita de eadem controversia, anno 1520 cum Erasmo Episcopo Plocensi inito, et in libro privill. monasterii II^do^ pag. 218, 219, descripto, edocemur, quo villa haec villae Niesłuchowo, quae Plocensis est regionis et parochiae Myszeviensis (Miszewo murowane), finitima esse traditur. *Oszmolino* in lib. privill. legitur.

(3) Angariae in archetypo *podworove* et *kyza* nuncupatae, in libro privill. alia scribendi ratione, *podworne* et *cyza* relatae sunt.

(4) *Korytowo* villa regionis Plocensis, parochiae Skołatoviensis, prope Czerwińsk.

(5) Quatenus hic de villa, non vero de cognomine Jacobi agatur, puto, vel villam *Korytko*, territorii et regionis Lanciciensis, parochiae *Bierzwienna długa*, vel potius aliud quoddam praedium ad villam praedictam *Korytowo* pertinens, hic intelligi.

XXXIV.

Modrzae, anno 1246. die 21. Decembris.

Premislaus Dux Majoris Poloniae jus piscandi in lacubus coenobii Lubinensis, incolis vicinarum villarum deminuit et certis legibus coërcet (1).

In nomine domini, amen. Dum vivit littera, vivit et actio commissa littere, cujus assertio nutrit memoriam, et roborata suscipit incrementum.

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in Posnaniensi archivo provinciae privilegia sublatorum coenobiorum continente asservatur, descripsit doct. Stronczyński. Sigilli abrupti funiculus ruber

Et quia facta mortalium laudabilia frequenter oblivionis interitu ab hominum memoria sejunguntur, ob hoc provida et racionabilis sapientum decrevit auctoritas, ut quicquid aput homines agitur dignum noticia sive laude, id ipsum debeat autenticarum serie litterarum posterorum memorie commendari. Quocirca nos Premisl dei gracia Dux Polonie scire damus ac protestamur omnibus, tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quod dominus Woyslaus Abbas *Lubiniensis* cenobii, cum communi consensu fratrum suorum, de bona voluntate ac libera condicione, quamdiu ei et fratribus suis placuerit, ad nostram instanciam kamerariis nostris de *Dambize* (2), scilicet Nerado et Bratonio, concessit usum exercere piscandi cum reti parvulo, quod vulgariter *potrestnicha* nominatur; non tamquam eis aliquod jus hereditarium ibi habentibus, set quicquid de gracia fieri potest, pro tempore, et non in omni superficie, set tantum prope litus in lacu illius ville, que dicitur *Mostezsici* (3), que eciam cum eodem lacu et omnibus utilitatibus ibi provenientibus, ad monasterium supradictum pertinet ex integro. Insuper nos protestamur et volumus, ne sors illa, que appellatur *Motholevici* (4), penitus in supradicto lacu ullo jure vel utilitate gaudeat assecuta. Sane eciam precipimus et perpetimus, ratum teneri stricte mandamus, nostre gracie nostrorumque successorum sub obtentu, omnibusque circumquaque sedentibus precipue supra dicti Dambize et Motholevici atterminis, illius lacus qui vocatur *Gelenzevo* (5), usque ad magnum lacum et alium de *Cychov* (6), ne quispiam in eosdem terminos penes utrumque litus sursum sive deorsum aliquo fructu vel quomodo sibi conquirendo, manum audeat

superest sericus. De argumento hujus tabulae locisque in eadem commemoratis, confer privileg. Praemislai II an. 1294 in codice diplom. Raczyńsciano p. 22.

(2) Veri simillimum est, hic de villa *Dembiec* M. Ducatus Posnaniensis parochiae Gryzynensis, regionis Costanensis, territorii Posnaniensis agi; quae in propinquo coenobii Lubinensis ad lacum Vojnicensem sita est.

(3) *Mościszki* pagus parochiae Lubinensis, ejusdem Costanensis regionis, ad lacum qui hodie Morkensis, a villa Morka, dicitur.

(4) *Motolewice* aut *Motolewo*, sive ea villa sit, sive praedium ad bona Dembiec pertinens, nunc neque in indice locorum M. Ducatus Posnaniensis, neque in tabula geographica territorii, ullum vestigium reperitur.

(5) *Jelenczewo* parochiae Rombinensis, regionis Sremensis villa est in litore praedicti Morkensis lacus, qui, ut ex hoc privilegio apparet, olim Jelenczewo appellabatur.

(6) *Cichowo*, villa parochiae Dalevensis, regionis Costanensis, ad lacum, cui idem est nomen.

immittere violentam. In cujus rei testimonium, ne aliquis tam sollempni nostre protestationi simulque confirmationi ausu temerario valeat contraire, presentem paginam sigilli nostri munimine confirmamus. Actum et datum in *Moder* (7), anno incarnacionis domini M° CC° quadragesimo sexto. Hujus rei testes sunt: Comes Bogumilus Palatinus Poznaniensis, Domaradus Judex curie nostre, Trebeslaus Castellanus de *Cbansin* (8), Pachozlaus Venator curie nostre, Johannes Cancellarius, ego Michael Canonicus ecclesie beati Pauli de Kalis et beati Georgii de castro Gneznensi hijs etiam interfui, et ad mandatum predicti Ducis ista conscripsi in die beati Thome Apostoli.

(7) *Modrze*, villa parochialis regionis Posnaniensis, non longe a lacu Stricoviense distans.
(8) *Zbąszyn* oppidum parochiale et castrum (Germanis Bentschen), in Magno Ducatu Posnaniensi, regionis Medziricensis, in litore lacus ejusdem nominis.

XXXV.

Cracoviae, anno 1249 die 25. m. Julii.

Boleslaus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, nonam partem annui proventus salis, quem de fodinis Bochnensibus percipiebat, coenobio Cisterciensium *Wąchocensi* donat; eidemque, si quando in Cracoviensi vel Sandomiriensi Ducatu nova salis, plumbi, cupri vel stanni metalla opera sua invenerit et instituerit, vel intermissa recoluerit, tertiam, si vero auri vel argenti, quintam partem reditus inde habendi assignat (1).

In nomine sancte et individue trinitatis, amen. Apostolica doctrina instructi didicimus: qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam eternam. Huius igitur benedictionis cupientes gratia participari, nos Bolezlaus filius Lestconis, dei gracia Dux Cracovie et Sudomirie, presenti pagina omnibus in Christo fidelibus notum facimus, quot claustro de *Wanchoz* (2) Cisterciensis ordinis in honore (sic) beate Marie virginis

(1) E tabula authentica membranacea Ill. Comitis Josephi Rusiecki propria, sigillo et funiculo, quo sigillum appensum fuisse videtur, jam destituta doct. Ant. Muczkowski descripsit.
(2) *Wąchock* oppidum parochiale et *Wąchock Klasztór* pagus oppido proximus in regione Solecensi, territorii Opatoviensis. Coenobium Cisterciensium Wąchocense anno 1179, a Gedeone Episcopo Cracoviensi fundatum fuisse, Długossius Lib. VI. pag. 540 refert.

constructo, et fratribus ibidem deo famulantibus, pro salute nostra et parentum nostrorum, ad peticionem matris nostre, devota liberalitate in villa, que dicitur ***Bochna*** (3), salis nonam partem in elemosinam contulimus, de toto sale Ducis, quod in prefato loco est vel esse poterit, excepto sale quod ad castrum Cracovie ab antiquo pertinere cognoscitur, ratione et modo tali servato: quod sal ducale sive per mensuras, sive per alveos, vel eciam sartagines (?) (4) distribuatur, nichilominus tamen de ipso sale prefatum cenobium nonam partem percipiet. In qua porcione nulli omnino aliquod ius liceat habere, vel aliquam iniuriam facere, sed elemosina nostra ea libertate et plenitudine, qua donata est, semper gaudeat. Preterea de consilio nostrorum Baronum communi utilitati nostri Ducatus providentes, Abbati et fratribus prenominati monasterij tale privilegium damus, quot ubicunque locorum in Ducatu Cracoviensi sive dominio Sudomiriensi de novo sal invenerint, vel inventum cum nostro adiutorio reparaverint, inde partem terciam iure hereditario in perpetuum percipiant, nulla obstante contradictione, vel monetariorum et thelonneariorum quavis irrumpente exactione. Concedimus eciam sepius nominate ecclesie, ut si metalla aliqua auri argentique invenerint, aut inveniri fecerint, ex hijs quintam partem in perpetuam possessionem habeant. De plumbo vero invento, cupro vel stanno, portionem terciam habebunt. Ut igitur privilegium gracie et devocionis nostre inconvulsum permaneat, contra quoscumque violatores vindictam omnipotentis dei, et beate Marie virginis et omnium sanctorum, tamquam adversus sacrilegos invocamus, et hanc ferendam domino Episcopo et Capitulo Cracoviensis ecclesie relinquimus, et sub protectione (sic) sedis apostolice et prefate ecclesie hoc privilegium committimus. Acta sunt hec anno domini M° CC° quadragesimo nono, in die beati Jacobi, in civitate Cracovie. Presente domino Prandota Cracoviensi Episcopo, assidentibus nobilibus, quorum ista sunt nomina: Michael Castellanus Cracovie, Clemens Palatinus Cracovie, Sudo Palatinus Sudomir, Stephanus Castellanus Sudomir,

(3) *Bochnia* oppidum parochiale in Galicia, territorii (Circulus ibi vocatur) caput, etiamnunc salinis uberrimis celebre, olim Cracoviensi provinciae adscriptum erat.
(4) „*Ex sartagine*" hic potius legendum esse puto.

Gethco de *Sudech (? Sadech)* (5) Castellanus, Msluy Castellanus Wizliciensis, Sulek Castellanus de *Bresch* (6), Nicolaus Pincerna Cracoviensis, Sudo Subcamerarius Cracoviensis, Falizlaus Subcamerarius Sudomiriensis, Pribizlaus Castellanus de Malogost. Et ista sunt nomina Canonicorum: Fulco Decanus Cracoviensis, Gregorius Prepositus eiusdem (sic), Nicholaus Scolasticus Cracoviensis, Jacobus Prepositus Wizliciensis, Fulco Cancellarius curie, et Sobeslaus Subcancellarius, qui hoc privilegium sigillavit.

(5) *Sądecz, Sandecz,* vel *Sącz* hodie Polonis vocatur; et quidem hic de *antiqua Sandecia* agitur, oppido scilicet parochiali in Galicia, Sandecensis territorii, cujus *Nova Sandecia* caput est.

(6) *Brzeško* oppidum in Galicia parochiale, Bochnensis territorii.

XXXVI.

Cramsci anno 1251.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae privilegium Ducis Casimiri cognomine Justi, avi sui, Lądensi coenobio anno 1150 impertitum renovat, et ratum esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Omnis actio legitima temporalis, memoria indigens, ne pravorum hominum suggestionibus infirmetur, utile et cautum est, ut scripture testimonio roboretur. Ideo nos Kazimirus, dei gracia Dux

(1) Ex archetypo in charta membranacea scripto Ill. Comitis Josephi Rusiecki proprio. Sigilli dimidia pars avulsa; residua pars altera funiculo serico viridis coloris appensa, leonem sursum erectum repraesentat; unde conjectura capi possit, in parte avulsa sigilli aquilam cum leone dorso conjunctam effictam fuisse; quod serioris temporis sigilla provinciae Cujaviensis et Lanciciensis insigne repraesentant. Verborum in ambitu sigilli impressorum, nonnisi fragmenta „. . . . . *imirus dei* . . . . ." conspiciuntur. Est autem in hoc monumento, sive antiqui librarii errore, sive falsarii tabulae a Casimiro Cujaviensi confirmatae vitio, vel Casimiri avi nomen perperam indicatum, vel anni 1150mi litera. Anno enim eo, Casimirus cognomine Justus annos pubertatis nondum egressus, summae imperii in provinciis Poloniae majoris praeesse non potuit; siquidem has tunc temporis Miecislaus dictus Senex in sua potestate et ditione tenebat, ipse vero, ut auctor est Matthaeus annalium scriptor ei aequalis (Ep. XXXI. 742), quasi filius familias in domo fratris Boleslai curabatur. Eundem Casimirum, quum anno 1157 Imperatori Friderico obses datus esset, ante reditum suum e Germania, nullius provinciae imperium exercuisse [illegible]

Cujavie et Lancicie, notum esse volumus, tam presentibus quam posteris, quot pro remedio anime nostre ac omnium parentum nostrorum, renovavimus privilegium gloriosi Ducis Kazimirj avi nostri, nimia vetustate simul et negligentia contritum, quot fratribus de *Lynda* ordinis Cysterciensis super ipsorum hereditatibus scilicet *Cloba* et *Chocene* (2) noscitur contulisse, anno domini M° C° quinquagesimo: in quo continebatur, quot homines predictarum villarum ab omni jure polonicali liberi essent et exempti, videlicet: a *powos*, ab omni *prewot*, a *strosa*, a *dan*, *naraz*, *potvorove*, *targone* (sic), *mostne*, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione vel custodia aut conductu castorariorum, a custodia et solucione erodiorum, quot *sokol* dicitur; a vicinia, quot *opole* wlgariter nuncupatur; ab omni exactione sive collectione; a vecturis et expedicionibus, et ab omnibus juribus in dominio nostro constitutis, quibuscunque censeantur nominibus (3). Nulli ergo Castellanorum aut judicum scitandi (sic) aut judicandi, in prefatis hominibus seu villis prescriptis jus aliquot reservantes. (4) Sed cum gravis causa emerserit, que coram Abbate vel eius iudice convenienter diffiniri non poterit, ad presenciam nostram cum anulo nostro scitari debent; remittentes Abbati quicquid iure iudicij cesserit, et nusquam incarcerari, nisi in stabulo Abbatis (5). Continebatur nichilominus in eodem privilegio, quot predictarum villarum homines in subsidium prenominatorum fratrum annuatim solvere tenentur LX^a manipulos nove siliginis, quinque capecia annone metere, tribus diebus segetes purgare, per unum diem triturare, rete trahere, in festo sancti Michaelis modium avene, pro tribus panibus mensuram tritici, tres urnas brasij, tres chitas lini, tres plaustratas feni totidemque lignorum, duos truncos de pino, et cum necessitas fratrum exegerit, tam pedestres quam equestres mandata eorum dirigere. Nos vero progenitorum nostrorum devocionem pio prosequentes affectu, iam dictas hereditates cum hominibus et eorum servicijs, simul et libertatibus, fratribus

(2) Conf. ad privilegium anni 1145 N° I^mo praemissum, annotationem primam et secundam.

(3) Commata (quae dicuntur) in hac exactionum enumeratione ita posuimus, ut in archetypo reapse punctis designata sunt.

(4) Verba privilegii ad hunc usque locum praemissa, omnino cum verbis privilegii Miecislai anni 1145 concinere, facile cognosces.

(5) Hanc praecedentem privilegii partem, tabulae anni 1145 in Lelevelii opere supradicto (Pocz. prawod. pol.) descriptae assutam esse, alterutram conferendo videbis.

domus Lyndensis inviolabiliter confirmamus. Ut autem hoc nostrum factum in honore (sic) dei sancteque Marie genitricis eiusdem ratum ac firmum permaneat imperpetuum (sic), presentem cedulam sigilli nostri appensione duximus roborandam. Acta sunt hec in *Crampsko*, (6) anno gracie M° CC° quinquagesimo primo. Presentibus: domino Fulcone Archiepiscopo, Bogusa Palatino Cujavie, Johanne filio Sulizlavi, Budizlavo Judice Lanciciense, Thoma Subdapifero, et aliis quam pluribus.

(6) *Kramsko* villa parochialis territorii et regionis Coninensis.

XXXVII.

Kovaliae, anno 1251. die 9. men. Septembris.

Casimiri Ducis Cujaviae et Lanciciae decretum, litem de villa *Łęczna* inter Petrum Abbatem coenobii Sulejoviensis et Misliborium quemdam nobilem, dirimens (1).

In nomine domini, amen. Quum decursu temporis calumpnia consuevit actibus hominum novercari, litterarum testimonia et testium subscripcio sollerter hoc debent precavere. Hinc est, quod nos Kazimirus dei gracia Dux Lancicie et Cujavie notum facimus universis tam presentibus quam futuris: quod cum Comes Misliborius venerabilem virum dominum Petrum Abbatem de *Suliow* coram nobis et nostris Baronibus judicio conveniret super hereditatem *Lanchino* (2), que sita est juxta villam monasterii de Suliow, asserens, ipsam ad tempus tantummodo dicto monasterio pro quadam summa pecunie obligatam, sibi vero et suis successoribus a progenitoribus suis, quos eandem hereditatem obligasse dixerat, jure hereditario pertinere; quam videlicet obligacionis summam idem Misliborius in presenti velle refundere se dicebat. Super hiis autem prenominatus Abbas ibidem judicio

(1) E tabula authentica membranacea, doct. Stronczyńscii propria, cujus sigillum jam desideratur, funiculus autem sericus rubei est coloris. Conf. tabulam Vladislai Loctici anni 1291 inferius Nro LXXV exhibitam.
(2) Vid. ad privil. anni 1176 N° IVto praemissum annotationem *undecimam*.

requisitus respondebat, quia dictam hereditatem *Lanchino* cum suis pertinenciis ex gracia et donacione pie recordacionis incliti Ducis Cracovie Lestconis patrui nostri longo jam tempore quiete et legitime domus de Suliov possideret, ad quod probandum, jam dicti Ducis Lestconis privilegium sufficiens et approbatum coram nobis et nostro judicio demonstravit: ex cujus privilegii tenore comperimus, quod predicta hereditas *Lanchino* ab initio semper ducalis fuerat, nec umquam quisquam militum ipsam hereditarie possederat. Invenimus eciam in eodem privilegio, quod prefatus Dux Lestco supradictam hereditatem *Lanchino* Comiti Chocemiro de *Chelm* (3) pro quibusdam serviciis contulerat, sed cum ipsam modico tempore tenuisset, processu temporis idem Chocemirus per ordinacionem dicti Ducis, receptis, loco predictorum serviciorum suorum, per manum Abbatis de Suliow, octoginta quinque marcis fusi et puri argenti, sepedictam hereditatem *Lanchino* in manus ejusdem patrui nostri voluntarie resignavit. Continebatur insuper in dicto privilegio, quod cum prenominatus patruus noster Dux Lestco hereditatem *Lanchino* sibi jam resignatam retineret, et ipsam pro suo libitu, quo vellet, convertere posset, in remedium animarum parentum suorum et sue salutis profectum, Abbati Wilhelmo et ejus monasterio de Suliow eandem hereditatem *Lanchino* donavit, jure hereditario perpetuo possidendam. Hiis itaque per ordinem ad plenum cognitis, cum jam dictus Misliborius contra dictum privilegium excipere quicquam non haberet, ipse de prefata hereditate *Lanchino* justo nostro judicio una cum posteris suis abjudicatus est, perpetuo ipsis super ejusmodi actione silencio inposito. Nos vero Abbati de Suliow et ejus monasterii plenam et approbatam intuentes justiciam, et partis adverse contradictionem juste et penitus destructam, sicut extunc sepedictum monasterium de Suliow hereditatem *Lanchino* justo titulo dinoscitur possidere, sic et nunc ipsam in futurum auctoritate nostra eidem monasterio et fratribus ibidem deo servientibus, sine alicujus contradictione perpetuo confirmamus. Et ne cuiquam dubium aliquot super hiis valeat suboriri, presentem paginam nostro sigillo fecimus roborari. Actum

(3) Villa parochialis *Chelm* vel *Chelmo* dicta, territorii Petricoviensis, regionis Radomscensis, non longe a bonis coenobii distans, et inter Radomsk et Przedbórz oppida sita, hic sine dubio intelligitur.

et datum in *Chowaln* (4), anno domini M. CC. quinquagesimo primo, in die beati Gorgonii martyris. Presentibus hiis nobilibus: Comite Seceyo Palatino Lanciciensi, Janusio Cancellario nostro, Panczlao Castellano Lanciciensi, Buzizlao Judice, qui hanc causam terminavit, Vitcone Thezaurario, Thoma Subdapifero, et aliis quam pluribus.

(4) *Kowal* oppidum territorii Cujaviensis, regionis caput.

XXXVIII.

Junivladislaviae, anno 1251 die 5. m. Octobris.

Michaël Episcopus Cujaviensis, decimas de villis *Byszewo*, *Saltno*, *Wiążowno* et *Trzyszczyno* ad ecclesiam Byszeviensem attinentes, monasterio Cisterciensium Byszeviae, munificentia (ut apparet) Ducis Casimiri Cujaviensis et Lanciciensis exstruendo, concedit (1).

In nomine patris, et filii, et spiritus sancti, amen. Confirmari et eternari firmis litterarum debet apicibus sollempnis actio, ne perire possit prolixi temporis intervallo. Notum sit ergo presentibus et futuris, quod nos My-

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in archivo provinciali Posnaniae inter tabulas sublatorum coenobiorum servatur, descripsit doct. Stronczyński, nosque docuit, appensa esse quatuor cerea sigilla. Horum primum pusillum, capituli (ut videtur) Vladislaviensis, ovali forma, figuram hominis stantis, oculis vix discernendam repraesentat; verborum autem in ambitu scriptorum vix haec residua leguntur; „*S.... s.... eccle...*" Alterum, maximam partem integrum, Episcopum repraesentat solemni ornatu cum infula et lituo, quem manu sinistra tenet; in sinistra sigilli parte haec supersunt reliqua: „....... *islaviensis Epi*....." (procul dubio Michaelis). Tertium Ducis Casimiri quale sit, nobiscum non communicavit doctiss. Stronczyński. Quartum (ut opinamur, Capituli Krusvicensis) exhibet imaginem S[ti] Petri Apostoli, episcopali veste indutum, altera manu clavem, altera librum tenentem; leguntur autem haec: „..... *illum beati Petri*... ... *swicensis*......" Sigilla haec filis sericis neque contextis, nec in funiculum tortis appensa sunt.—*Dlugossius* narrat (VII. 850), hoc Cisterciensium coenobium primum in villa *Szpital* (territorii et regionis Lipnoviensis) ad Vistulam, ex adverso urbis Włocławek sita institutam fuisse, dein Byszeviam, et inde extremo anno 1288 a Vislao Episcopo Cujaviensi in oppidum *Koronowo* ad Obram translatum, quum Byszeviae annos 70 mansisset. Quod quidem 70 annorum spatium vel ideo nobis suspectum est, quod in privilegio *de construendo* nunc demum coenobio est sermo, ab anno vero 1251 ad 1288 vix anni 36 elapsi sunt. Neque minus in nomine fluvii

chael dei gracia Wladizlaviensis ecclesie Episcopus, devocionem et affectum pii principis Kazimiri Ducis Lanchicie et Cujavie, quem habet ad claustrum Cysterciensis ordinis construendum in fundo de *Byssovia* (2), intuentes, tam ad peticionem ipsius, quam ob remedium anime nostre et predecessorum ac successorum nostrorum, decimas ecclesie de *Bissovia*, videlicet de *Sadlno*, de *Wanzovno*, de *Trischino* (3) et de ipsa *Bissovia* fratribus ibidem deo et beate Marie servituris in subsidium et juvamen confirmamus in perpetuum possidendas. Ut autem presens scriptum nostre confirmacionis perpetue firmitatis robur obtineat, sigillo predicti Ducis Kazimiri, et nostro, cum Capitulorum nostrorum Wladizlaviensis et *Cruswiciensis* (4) sigillis roboramus. Datum in *Wladizlavia juvene* (5), in presencia Ducis et Baronum suorum, Wolimiro Cancellario, Mauricio Subcancellario, Ewardo, Adolfo, et aliis multis Capellanis curie, et nostris. Anno incarnacionis domini M° CC° quinquagesimo primo, III° Nonas Octobris, in die beati Francisci Confessoris.

errat Dlugossius, (nisi hunc errorem typothetae incuriae tribuere malis); siquidem oppidum Koronowo (in Ducatu Posnaniensi, regione et territorio Bidgostiensi) non ad *Obram*, sed ad *Brdam* flumen est situm. In commentario, quem doctis. vir Jabczyński, Canonicus Posnaniensis in usum theologorum edit (inscriptum est opus: Archiwum teologiczne), nimirum libello quarto anni 1836 p. 437 traditur (non indicato tamen fonte, unde haec hausta sint), coenobium Cisterciensium in villa Szpital a Palatino Masoviensi nomine Bogusz a. 1243 fundatum, et anno sequente ab Innocentio IV^to^ P. M. confirmatum fuisse; tum vero a. 1250 a Nicolao Casimiri Ducis Cujaviensis Thesaurario donatione multarum villarum (inter quas villae: Byszewo, Sałtno, Więzowna, Trzyszczyna nominantur) dotatum. Quod quidem non temere tradi, verisimile fit ex privilegio Ducis Casimiri a. 1253, quod infra N^ro^ XLII. posuimus.

(2) *Byszewo* villa parochialis in M. Ducatu Posnaniensi, territorii et regionis Bidgostiensis, in propinquo Coronoviae oppidi.

(3) *Sałtno* et *Więzowno* villae Byszeviae proximae, ejusque parochiae adscriptae. *Trzeszczyno* autem villa in via publica de Koronowo Bidgostiam ducente, parochiae Wtelnensis.

(4) *Kruświca* oppidum M. Ducatus Posnaniensis, territorii Bidgostiensis, regionis Junivladislaviensis, ad lacum *Goplo*.

(5) *Junivladislavia* (*Inowrocław* Polonis) urbs M. Ducatus Posnaniensis, in territorio Bidgostiensi, regionis sui nominis caput.

XXXIX.

Sine loco, anno 1252 die 25. m. Maji.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae villam ecclesiamque *Dobroviensem* cum aliis ad eandem pertinentibus bonis, a Christiano Episcopo Prussiae monasterio Sulejoviensi Cisterciensium restitutas, eidem monasterio addicit, et a variis, quae tum in Polonia in usu fuere, angariis, immunes reddit (1).

In nomine domini, amen. Licet quaedam facta universitati hominum evidenter nota sint, solet tamen frequenter accidere, quod humanis actibus, cum testes defuerint, attentet calumnia novercari. Idcirco necesse est, actiones legitimas, quae memoria indigent, per scripti continentiam in notitiam transmitti posterorum. Nos igitur Casimirus dei gratia Dux Lanciciae et Cujaviae notum facimus praesentibus et futuris, quod, cum ratione dotis Inclytae Ducissae Constantiae uxoris nostrae et matris nobilium Ducum Lestkonis et Semomisli filiorum nostrorum, Lendensem (2) castellaturam teneremus, accedens ad nos piae recordationis Christianus (3) quondam Cisterciensis ordinis monachus, et post, divina providentia super terram

(1) Ex apographo de libro privilegiorum tabularii Capituli metropolitani Gnesnensis, olim auctoritate *Francisci Waliński* Canonici et Notarii Capituli ejusdem, descripto. Villam ecclesiamque *Dobroviensem* cum bonis et decimis ad eam pertinentibus, antiquissimis temporibus (intra 1168 et 1172 scilicet annum), Bogumilum Archiepiscopum Gnesnensem, ad manus Boguphali monachi Leknensis, Capitulo generali monachorum ordinis Cisterciensis, concessisse, post mortem autem ejus, ab eodem Capitulo, Episcopo Prussiae Christiano (qui etiam monachus Cisterciensis erat), ad tempus vitae suae collatum fuisse, ex privilegio Vladislai Odonis anni 1232, in Damalevicii Serie Archiepp. Gnesn. p. 101 — 103 typis descripto, cognoscimus, videmusque, jam tum, anno scilicet 1232, Christianum eundem bona praedicta Vilhelmo Abbati Sulejoviensi, post mortem suam, jure dominii possidenda assignasse.

(2) Oppidum *Ląd* ad Vartam; vid. annotationem privilegio N° I praemissam primam, in fine. De diuturnis inimicitiis bellisque, quibus illa Lądensis Castellania Duci Majoris Poloniae Boleslao et Casimiro Cujaviensi occasionem praebuit, vid. *Boguphalus* p. 62, 63, 71, 72; *Dlugossius* Lib. VII. 708, 752; *Naruszew.* IV. 239 sqq. V. 90—104.

(3) Episcopum hunc anno 1245 mortuum esse Dlugossius Lib. VII. p. 703 refert. Conf. literas Innocentii Papae IV. anni 1245, in *Voigtii* Codice diplomatico Prussico, T. I. N^ro^ LXII. ibidemque literas Heidenrici Episcopi Culmensis anni 1246 N^ro^ LXVI. descriptas.

Prussiae consecratus Episcopus, humiliter supplicando nos rogavit, quod nos villam, quae *Dobrow* (4) vulgariter nuncupatur, cum suis pertinentiis, quam tempore sui monachatus et etiam episcopatus ratione Cisterciensis ordinis, cui ab antiquo collata fuerat, libere ac pacifice multis annis possederat, domui sanctae Mariae et fratribus de Suliyow Cisterciensis ordinis, ratione ejusdem ordinis, post ejus obitum confirmare dignaremur. Nos autem deo militantibus subvenire pium ac saluti esse necessarium considerantes, praedictam villam *Dobrow* cum omnibus pertinentiis suis ac utilitatibus universis, videlicet: capella, piscatoribus, sanctuariis et villis, quarum nomina sunt haec: *Lesno, Rulichow (? Rzuchów), Zadowo* et *Kwetkowo* (5), memoratae domui et capellanis nostris de Suligow ratione Cisterciensis ordinis, cui collatae fuerant ab antiquo, nullo reclamante, in remissionem peccatorum nostrorum, haereditario jure possidendas perpetuo confirmamus. Et ut nostra libertas clarius elucescat, volumus ut incolae dictarum villarum tam liberi, quam alii, ab omni *prewod*, a *stroza*, a *dain* (sic), a *mostowe*, a *powoz, a naraz*, a *powołowe*, *podworowe*, et a *poradlne*, et ab omnibus aliis servitutibus et exactionibus, angariis et perangariis penitus sint immunes. Ad nullam etiam expeditionem ire compellantur, nisi tunc, quando terram nostram exercitus invaserit alienus; nullum castrum neque novum, neque vetus aedificare teneantur, et ad nullam saecularem provocentur audientiam, praeter nostram, et hoc cum litera nostro sigillo sigillata. Furtum et homicidium et omnes culpas alias, quae ab hominibus dictarum villarum contigerint, fratres nominatae domus judicabunt, solutionem libere recepturi. Et ut ampliori adhuc nostra utantur gratia, damus eis libere piscationes castorum per piscatores suos, et venationes ferarum in haere-

(4) Conf. ad privil. anni 1242 superius N^ro^ XXXI^mo^ praemissum annotationem octavam, nec non privilegium anni 1288 inferius N^ro^ LXVIII^vo^ exhibitum.

(5) *Leszno* parochiae Graboviensis; *Rzuchów*, quod in apographo perperam *Rulichów* descriptum esse, duo privilegia, alterum anni 1232 apud Damalevicium (Ser. Archiepp. Gnesn. p. 101—103), alterum anni 1288 inferius N^ro^ LXVIII^vo^ prolatum, docent, parochiae Chełmnensis ad Vartam fluvium, ambae territorii et regionis Lanciciensis villae, Dobroviae proximae, quae in altero Vartae litore sita est. *Sadów* villa inter Turek et Brudzewo oppida sita, quae licet in indice locorum Regni Poloniae non inveniatur, Turecensis tamen parochiae addicta esse videtur; territorii autem et regionis Coninensis est. *Kwiatkowo* villa ejusdem regionis, parochiae Dobroviensis, Kwaczowo apud Damalevicium perperam legitur l. c.

ditatibus praenotatis, et ubicunque vadunt, emunt vel vendunt per terram nostram, theloneum aut vectigal nullatenus solvere teneantur. Acta sunt haec coram venarabili patre domino Fulcone Gnesnensi Archiepiscopo, qui ad petitionem nostram et ob salutem animae suae decimas villarum praefatae ecclesiae de ***Dobrow***, quarum nomina sunt haec: ipsum ***Dobrow, Lesno, Rulichow (?) Zadow*** et ***Kwetkow***, deinde ***Chelm, Krobewo (?), Dambe, Hostrowo, Komorowo, Karsowo, Zakrzewo***, ***Brisekrze***, ***Sławęczyno, Grabow***, item ***Brusowo, Januszow, Kolnica, Chocemino*** et ***Veglowach*** (6), quas eadem ecclesia ab antiquo legitime dignoscitur possidere, saepe dictae domui de Suligow, et fratribus ibidem deo servientibus, perpetuo confirmavit. Et quia probationum copia subtrahitur et veritas occultatur, nos in hujus facti testimonium, praesentem paginam sigilli nostri et praefati domini Fulconis Archiepiscopi, una cum Capitulorum suorum Gnesnensis videlicet et Lanciciensis, sigillorum munimine roboramus. Hujus vero rei testes sunt: Wolimirus Cancellarius, Stresco Castellanus de *Spicimir* (7), Jacobus Subcamerarius, Vitus Subjudex, Thomas Subdapifer, Mauritius Subcancellarius, Evardus, Adolfus et multi alii. Datum anno gratiae Millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, octavo Kalendas Junii in die beati Urbani Martyris.

(6) *Chelm,* quod nunc *Chełmno* dicitur, villa parochialis ad Vartam; *Dąbie* oppidum parochiale; *Ostrowo* parochiae Umienensis; *Karszewo* parochiae Dąbiensis; *Grabów* villa parochialis; *Byszew* (quae hic corrupte Brisekrze, in aliis vero tabulis Bissekre nuncupatur) et *Sławęcin*, utraeque parochiae Graboviensis villae; omnia haec bona Lanciciensis sunt territorii regionisque. *Brudzewo* oppidum parochiale, *Janiszew* villa parochialis, *Kolnica* villa parochiae Brudzeviensis, territorii regionisque Coninensis sunt bona; nec non *Koźmin* pagus parochiae Dobroviensis, quem hic et apud Damalevicium falso *Chocemino* et *Chotemino* nominatum esse, jam accuratior in privilegio anni 1288 lectio docet, ubi *Chozmino* legimus. Quod quidem privilegium inferius Nro LXVIIIvo exhibitum, tabulaeque multo majori fide dignae anni 1290 (Nro LXXIIItio positae) congruens, nomina ceterarum quoque villarum in hac nostra tabula tam vitiata esse demonstrat, ut non dubitem, pro Zakrzewo villam *Krzewo,* pro Krobewo villam *Grabiéna* seu *Grabina,* pro Veglowach autem duas villas, *Wolam* scilicet (*różostowa* dictam) et *Głowy* intelligendas esse, quarum alterae, Krzewo scilicet parochiae Dąbiensis et Grabina parochiae Chełmnensis, Lanciciensis sunt regionis, alterae vero, Wola scilicet parochiae Brudzeviensis et Głowy parochiae Dobroviensis, Coninensi sunt adscriptae territorio et regioni.—Villam tamen *Komorowo* in propinquo omnium praemissorum bonorum invenire non potui.

(7) *Spicimierz* villa parochiae Uniejoviensis, territorii Calissiensis Vartensisque regionis, ad Vartam fluvium.

XL.

Zawichostiae, anno 1252.

Boleslaus Dux Cracoviae et Sandomiriae innovat et auget privilegia à Lescone Duce conventui Monialium in *Busk* data (¹).

In nomine sancte et individue trinitatis, scilicet patris, et filii, et spiritus sancti, amen. Nos videlicet Bolezlaus dei gracia Dux Cracovie et Sudomirie, universis Christi fidelibus in perpetuum. Quum, ut ait auctoritas, omnes morimur et quasi aqua dilabimur, ne gesta mortalium digna celebri memoria et perpetua, prolapsu et volubilitate temporum, prorsus ab humana elabj recordacione queant, et jn dubium revocari apul posteros, haut dubium opere precium est, ejusmodj fide instrumentorum et testium perhenarj. Quare nimirum imitati vestigia beate recordationis gloriosissimi Principis dominj Lestkonis, quondam Illustris Polonorum Ducis patris nostri, nichilominus et cupientes per opera misericordie deum reddere nobis propicium et placatum, pariter ad peticionem serenissime sponse Christi, germane nostre scilicet sororis Salomee, quondam Regine et consortis invictissimj Hungarorum Regis Colommanj, privilegium libertatis olim a prefato progenitore nostro concessum ecclesie ancillarum Christi de *Busesk* (²), dignum duximus innovare; statuentes jure perpetuo, ut homines eidem ecclesie cujuscumque sint condicionis, utpote tam ascripti quam liberi, pro quacumque causa nullatenus debeant ad presenciam *Castellani Wisliciensis* (³) provocarj; Palatino dumtaxat excepto. Ad hoc et intuitu dei, et in favorem memorate ecclesie, memoratos homines eiusdem duximus prorsus absolven-

(¹) Ex archetypo in pergameno scripto, Ill. Josephi Rusieckii proprio. Sigillum aliqua sui parte destructum, exhibet virum armatum stantem, dextra manu hastam tenentem, sinistra innixum scuto triangulari, in quo effigies aquilae expansis alis subvolantis conspicitur. E literis in ambitu nonnisi vox „*Cracojensis*" integra superest. Sigillum suspensum in filo serico rubri coloris.

(²) Vid. ad privil. anni 1190 N^ro^ VI. praemissum annotationem *secundam*.

(³) Verba: „*Castellani Visliciensis*" ab alia manu profecta, atque inferiore tempore inscripta esse videntur.

dos ab exactionibus honerosis, que vulgariter *strosa, povolove, stan, podvode, prevod,* ydiomate polonico nuncupantur. Insuper de omni lucro salis reperti circa Busesk dimidiam partem usque ad XV^{cim} annos ecclesie concedimus sepedicte, decernentes, eandem extunc gaudere partis tercie porcione. Datum in *Zavichost* (4) per manum fratris Bartholomej Lectoris Brunensis de ordine fratrum Minorum (5). Anno gracie M° CC° LII°. Indictione decima (6).

(4) *Zawichost* oppidum ad Vistulam parochiale, Sandomiriensis territorii regionisque.

(5) Bartholomaeus Lector Brunensis ordinis Fratrum Minorum (Franciscanorum) idem est, qui et Magister Bartholomaeus de Praga vel de Bohemia dicebatur. Sic enim eum promiscue in literis Pontificum nominatum animadvertimus, ex iisdemque perspicimus, eum anno 1255 et 1257 jussu Alexandri IV. P. M. in Polonia, Bohemia, Moravia et Austria hortatum esse homines, ut bellum pro sacris christianis contra Lithuanos et Jasvingos susciperent; anno autem 1257 ab eodem Pontifice, una cum Lamberto ejusdem ordinis monacho, quaesitorem fidei contra haereticos in finibus Poloniae et Bohemiae institutum, nec non ad preces Boleslai Pudici, Episcopum primarium Lucoviensem, pro convertendis ad veram fidem Lithuanis designatum fuisse. Vid. in *Bullario Franciscano* literae Alexandri IV^{ti} N^{ro} 92, 267, 268, 283, 288, 326. Eodem etiam Bartholomaeo mediante, privilegium Boleslai Pudici, libertates et immunitates ecclesiae Cathedralis Cracoviensis enucleans, anno 1255 impertitum est. Vid. Fejeri *Cod. dipl. Hung.* T. IV. vol. 2. p. 354, 355.

(6) Indictionis Romanae numerus bene indicatus est.

XLI.

Dluscae, anno 1253 die 15. m. Maji.

Boleslaus Dux Poloniae Majoris donationem villae *Koszuty* a *Bogussio* nobili Polono Lendensi monasterio factam ratam esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quum numerus dierum cum cursu temporis subito pertransit, et humane nature memoria facile in obliuionem labitur, necesse est, ut acta hominum tenore litterarum ac testibus fide dignis firmiter roborentur. Hinc est, quod nos Boleslauus dei gracia Dux Polonie notum facimus universis Christi fidelibus, et presentibus protestamur, quod

(1) E tabula authentica membranacea, sigillo jam prorsus carente, quae Ill. Josephi Rusieckii propria est.

Comes Boguzsa heres de *Cossutha* (2), in remedium anime sue ac suorum parentum, legauit coenobio Lendensi hereditatem suam *Cossuth* prefatam, cum omnibus sortibus attinentibus, prout in presenciarum possidet, nichil penitus excipiendo. Ita tamen, si duo filij sui Gerwardus et Grimislaus adhuc existentes puerulj, absque liberis heredibus uiam uniuerse carnis intrauerint, domus Lendensis sepedictam hereditatem iure hereditario possidebit, annuentibus dictis duobus filijs suis, et ad manus Mathie Abbatis eiusdem monasterij se conferentibus, fraternitati ordinis se ac sue fidei commiserunt (sic). Nos vero, fratres monasterij Lendensis pie deuocionis studio prosequentes, hanc ordinacionem, ob honorem dei ac gloriose virginis et matris Marie, nec non ad salutem nostram perpetuam confirmamus. Datum et actum in *Dlusca* (3), anno domini M° CC° LIII° Idus Maij, presentibus nostris Baronibus, videlicet: Comite Erkenboldo Palatino Kalisiensi, Johanne Cancellario, Johanne Castellano Kalisiensi, Comite Mathia Castellano Lendensi, et alijs quam pluribus fide dignis. Et ne in posterum aliquo malignante hec tam salubris ordinacio ualeat irritari, presentem cedulam sigilli nostri appensione fecimus communirj.

(2) *Koszuty* villa parochialis territorii regionisque Coninensis.
(3) *Dluska* villa parochiae Ciążynensis, territorii Coninensis, regionis vero Pysdrensis.

XLII.

Klobiae, anno 1253 die 25. men. Julii.

Casimirus Dux Cujaviae et Lanciciae testatur, Nicolaum Thesaurarium villam *Byssovia* nuncupatam aliasque nonnullas, pro erigendo monasterio, fratribus ordinis Cisterciensis contulisse (1).

In nomine domini, amen. Quoniam modernorum facta haberi solent dubia, nisi literarum apicibus roborentur, ideo nos Kazymirus dei gracia

(1) Ex archetypo in tabulario publico provinciae Ducatus Posnaniensis, in collectione scriptorum, ad sublata coenobia spectantium, descripsit doct. Stronczyński. Sigillum deest; funiculus autem sericus flavi est coloris. Conf. privil. anni 1251 superius Nro XXXVIII° praemissum, et *Archivum theolog.* Jabczyńscii ibid. citatum.

Dux Cuyavie et Lanchicie, notum facimus presentibus et futuris, quod bone memorie Comes Nycolaus quondam fidelis Thezaurizarius (sic) noster, villam et fundum que *Byssovia* wlgariter nuncupatur, cum omnibus pertinenciis suis, et cum villis, quarum nomina sunt hec: *Wirchocino* cum sortibus suis sive bonis, videlicet: *Rybino* et *Popelevo*, eidem Wirchocino attinentibus, *Sadlno*, *Wansovno, Gorsevo cum Janyssevo* sorte sibi adjacente, *Trischino* (2) cum omnibus pertinenciis, utilitatibus et juribus suis nobis obtulit, et coram Baronibus nostris resignavit, petens, ut monasterium Cysterciensis ordinis ibidem fundare dignaremur. Nos vero cultum dei pio devocionis affectu cupientes promovere, dictam villam et fundum cum villis prenominatis, sicut idem Comes tenuit, contulimus deo et beate ac semper gloriose virgini Marie, et fratribus de Bissovia in remedium anime nostre, predecessorumque ac successorum nostrorum, nec non et dicti Comitis Nycolai, ad construendum claustrum cum dei adjutorio et nostro juvamine, cum omnibus pertinenciis suis ac utilitatibus universis, videlicet terris cultis et incultis, stagnis, rivis, pratis, pascuis, paludibus, lacubus, silvis, rubetis, et nemoribus, mellificia quoque et liberum jus piscandi, castores in stagnis capiendi, et auctoritatem in predictis hereditatibus venandi. Omnia ista integra fratribus ibidem deo servientibus contulimus jure perpetuo possidenda. Dedimus eciam fratribus ac hominibus in ipsa Byssovia et in villis predictis commorantibus, ut a *prevod,* a *povoz, wyvoz, wymed, nastava*, *vesnica,* a *naraz,* a *mostne,* a *poradlne*, a *povolove, podvorove,* et a *stroza*, et ab omni alio quocunque gravamine, liberi penitus sint et absoluti. *Sochol* non custodient, et castorum captores recipere non tenebuntur; ad expediciones non ibunt, excepto solo, quando Cuyavia ab alieno exercitu invadetur. Nullum castrum neque novum, neque vetus edificabunt; ad pontem castri quando ipsum reparare contingerit, non laborabunt, neque aliquod vectigal prestabunt. Et ut ampliori adhuc nostra utantur gracia, volumus, ut nullus

(2) ***Wierzchocin regale*** **dictum, villa parochialis in M. Ducatu Posnaniensi, territorii regionisque Bydgostiensis; *Popielewo,* praedium rusticum ad eandem villam pertinens; praedium vero *Rybino* non invenimus. Sed nec villa *Gorzewo* in regione Bidgostiensi exstat, nec praedium *Janiszewo;* est tamen praedium *Janowo* ad fluvium Brdam situm, villae *Trzyszczyn* proximum, quod ad monasterium Coronoviense (prius Byszoviense) pertinebat. De Byssovia, Saltno, Wiązowno et Trzyszczyno villis, superius in annotatione secunda et tertia ad privil. Nro XXXVIIIo praemissum locuti sumus.**

Palatinorum, Castellanorum nostrorum, aut Judicum, aliquam habeat facultatem judicandi prenominatas villas fratrum; et homines eorum coram nullo respondebunt, nisi coram Abbate dicti monasterii, vel cui ipse comiserit vices suas. Omne igitur jus ac jurisdictionem, omnia quoque judicia de alto et de parvo et de quacunque causa in omnibus prorsus locis, tam in terris quam in aquis intra dictorum bonorum terminos contentis, dictis fratribus ac monasterio conferimus liberaliter et devote, jure proprietatis perpetuo possidenda. Et ut hec donacio nostra in perpetuum firma ac inviolata permaneat, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in *Cloba* (3), anno gracie M° CC° quinquagesimo tercio, in die beati Jacobi Apostoli, presentibus hijs: Venerabili patre Domino Volymiro Episcopo Cuyaviensi (4), Comite Bogussa Palatino Cuyaviensi, Comite Boguslao Castellano de *Bydgostia* (5), Vito Judice, Mauricio Subcancellario, Magistro Wencezlao, et multis alijs nobilibus ac fide dignis.

(3) *Klobia* villa parochialis territorii Cujaviensis, regionis Brestensis, prope oppidum Lubraniec sita.

(4) Quem olim Ducis Conradi, anno vero adhuc praecedente (1252) mense Majo, Casimiri Cujaviensis Ducis Cancellarium fuisse vidimus Volimirum, eum die quo privilegium hoc collatum est, jam Episcopum Vladislaviensem fuisse animadvertimus. (Conf. privil. Nris XXIX, XXXI, XXXII, XXXVIII et XXXIX). Dlugossus autem (VII. p. 744) tradit, Volimirum anno demum 1256 Episcopum Cujaviensem factum esse; quem tamen supra (p. 735) jam a. 1254 Episcopi dignitate fungentem Cracoviae testem fuisse solenniter promulgatae canonisationis (quam dicunt) S. Stanislai retulerat. Damalevicius vero (*Vitae Episcopp. Vladisl.* p. 184) eum anno demum 1258 Michaëli, quem hoc anno mortuum esse tradit, in episcopatu successisse autumat. Quantopere igitur erret uterque, vel ex hoc privilegio patet.

(5) *Bydgoszcz* (*Bromberg* Germanis) urbs in M. Ducatu Posnaniensi, ditionis Borussicae, ad Brdam fluvium, territorii caput.

XLIII.

Czerwinscii, (anno 1254) die 10. m. Februarii.

Opiso Abbas Monasterii S[u] Pauli Mesaniensis Legatus Apostolicus, coenobium Augustianorum Czervinscensium ejusque bona in patrocinium suum recipit, atque Archiepiscopo Gnesnensi et Abbati monasterii Wąchocensis, executionem poenarum ecclesiasticarum contra turbatores pacis monasterii indictarum committit (1).

Venerabili in Christo patri dei gracia Archiepiscopo Gnesnensi et discreto ac religioso viro Abbati monasterij de *Wancock* czysterciensis ordinis Cracoviensis dioceseos ffrater Opizo monasterii de *Mezano* (2) Abbas, apostolice sedis Legatus in vero salutari salutem. Justis petencium desiderijs dignum est, nos facilem prebere consensum, et vota, que a racionis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Inde est, quod nos postulacionibus iustis et precibus virorum venerabilium et religiosorum Abbatis et conventus ecclesie sancte Marie de *Czurwyensk* (sic) ordinis sancti Augustini Ploczensis dioceseos, grato convenientes assensu, ecclesiam ipsam cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, que largicione pia quorumlibet fidelium de iure possident, vel alio iusto modo acquisierunt, iam dudum, et que sunt eis per Romanorum Pontificum privilegia confirmata (3), sub dei et nostra proteccione suscipimus, et specialiter prebendam Płoczensis ecclesie maioris cum thaberna, et aliam prebendam cum pertinencijs suis in ecclesia sancti Michaelis; sartaginem salis in *Sgowanthka*, decimas tocius Czurwyensk, et lacum totum ibi iuxta positum, qui vicus wlgariter appellatur, et in eodem Czyrwyensk decimum nonum forum taberne, decimam nonam marcam iudiciorum, decimam noctem in clausura, nonam et decimam (sic) navem, decimum poletrum de grege domini Episcopi Ploczensis; *Sedlecz, Parlino, Comsino, Garwolewo, Chmelewo, Boline, Olsino,*

(1) Ex antiquo I[mo] libro privilegiorum coenobii Czervinscensis, nunc in bibliotheca Zamojsciana Varsaviae asservato, p. 102—104 descriptum.

(2) Abbatia monasterii S[ti] Pauli Mesaniensis in Italia, olim Placentinensis dioeceseos. Vid. *Bullar. Franciscanum*, T. II. p. 181.

(3) Conf. Adriani Papae IV. privilegium anni 1155 N[ro] III. praemissum.

Noszylsk et eius capellam, de *Babussa* capellam, *Scolatowo* cum capella, *Domoslawe, Pomnychowo* et eius capellam, theloneum et transitum aque, *Tarnowo* et lacum eius, *Zbicze, Wyelyschewo, Scrissewo* et lacum eius cum castoribus, *Lasisca*, *Drogolinum*, *Sascow,* capellam eius, theloneum, castores et quaslibet ipsius *Sascow* villas, *Zuzolam,* omnes redditus et quaslibet villas eius; *Lomnam* et eius capellam et redditus, *Brochow* et eius capellam, redditus atque villas, *Borzaczyn* et eius capellam, ac alios ipsius redditus; capellam in *Cochow* cum eius redditibus, et tres ipsius *Cochow* sortes, ac omnium predictarum ecclesiarum et villarum decimas ([4]). Item decimas quas predicti Abbas et conventus habent in *Boguschin*, in *Prusczyno*, *Gawarce*, *Posarin* ([5]), ex ista parte rivuli *Brodi* ([6]), *Murcow, Crobici*, *Cobylnyky, Nescbud*, *Kutcicze*, *Byelynyky*, *Passer*, *Falconarius Glomczensis* (?) ([7]), *Vicowo, Wyschegrad, Janikowo*, *Manczin*, *Camyenycza,*

([4]) *Sielce, Chmielewo* et *Bolino* villae publicae parochiae Czervinscensis; *Olszyny* parochiae Krzyscensis, *Baboszewo* et *Pomnichowo* villae parochiales; omnes Plocensis sunt territorii et regionis; *Domoslaw,* villa publica parochiae Winnicensis, regionis Pultuscensis, *Łasice* villa parochiae Brochoviensis, prope Czerwińsk, sed in altero Vistulae littore sita Sochaczoviensis territorii et regionis; *Drogolino* nullibi exstat, sed *Drogoszewo* villa est parochiae Andreoviensis, territorii et regionis Ostrolencensis, cui etiam proximae villae *Zaszków* parochiae oppidanae Nurensis, et *Żuzela* parochialis ad Bugum fluvium sita, adscriptae sunt. Est tamen etiam exiguus pagus *Drogule,* (*Jarłuty* dictus) parochiae Podosiensis, Pultuscensis regionis. *Brochów* villa parochialis Sochaczoviensis regionis; *Borzęcin* villa parochialis Varsaviensis regionis. Villas, quae hic *Tarnowo* et *Zbicze* nuncupantur, non alias esse, nisi *Czarnowo* parochiae Pomnichoviensis, regionis Plocensis, et *Izbiciam*, parochiae Zegrzensis, regionis finitimae Pultuscensis, quum situs locorum indicat, tum argumentum tabulae Casimiri Magni anni 1361, inferius exhibitae. *Wieliszew,* parochialis villa Varsaviensis regionis, non longe a Pomnichów distat. De ceteris in privilegio laudatis locis, videlicet de *Zgłowiączka, Parleń*, *Komsin*, *Garwolewo, Nasielsk*, *Skolatowo*, *Strużewo*, *Łomna* et *Kochów*, jam in annotationibus ad tabulam Nro III praemissam referenda retulimus.

([5]) *Boguszyn* et ambae *Gavareciae*, (*Gawarzec* scilicet *dolny* et *górny*) parochiae Czerwinscensis, *Pruszczyn* parochiae Orzymoviensis, *Posarzyn* parochiae Wyszogrodiensis, villae, omnes territorii regionisque Plocensis.

([6]) Interpunctionis (quae dicuntur) signa negligentius in antiqua scriptura adjecta, dubitationem mihi movent, num hic de rivulo quodam *Brody* dicto, an vero de alterutra villarum *Brody,* quae ambae Orzymoviensis parochiae sunt, agatur.

([7]) *Murków* parochiae Orzymoviensis, *Krobice* vel *Krubice* parochiae Bulcoviensis, *Kobylniki* et *Kucice* parochiales villae, omnes sunt Plocensis territorii et regionis.. *Byelenyky* veri simile mihi videtur, significare villam nunc *Bielice* dictam Kobylnicensis parochiae, *Nescbud* nisi sit *Nacpolsk* parochiae Żukoviensis, aliis supra nominatis villis vicinum, nescio, quid significet. Quae autem subjecta sit notio verbis: „*Passer Falconarius Glomczensis*," certe non aliud conjectura assequi possum, quam quod hic, non de persona quadam, sed de locis agatur, quorum

Slothopolicze, *Sabowo*, *Sironimo*, *Zalessye* (8), in hospitali de Czurwyensk; que omnia pacifice possident et quiete. Sane, quia predicti Abbas et conventus sub regulari habitu vitam suam ducentes et laudis sacrificium domino cummulantes (v. ymmolantes), non pro eis tantummodo, sed pro aliorum eciam redempcione peccaminum domino deo fundant oraciones et preces, ac ad ipsorum accedentibus domum, omnia caritatis subsidia et humanitatis solacia erogent liberaliter et libenter, ipsis Abbati et fratribus debemus nos, in quibus expedit, manum porrigere auxilij salutaris; et ne aliqui, qui recipere iuvamen nomine domini non formidant, ipsos maliciose impetant, et super bonis, que iuste vel possident, vel debent eciam possidere, molestent, eosdem contra malefactores seu inquietatores eorum opportunis suffragijs confovere. Vestre itaque providencie comittimus, et qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus provide attendentes, quod geminum bonum agit, gemina laude dignum, qui tuetur a potentibus impotentes, et opprimere volentibus facultatem subripit delinquendi, sepedicto Abbati et fratribus defensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem contra indulta privilegiorum apostolice sedis et Legatorum ipsius, super premissis quibuslibet ab aliquibus indebite molestari; molestatores huiusmodi, nisi post competentem ammonicionem resipiscere procuraverint, excommunicacionis vinculo innodetis. Quod si non ambo pro hijs exequendis potueritis vel volueritis interesse, alter vestrum habens pre oculis solum deum, ea exequi non postponat. Datum in *Czurwyensk*, IIII Ydus Ffebruarij, Pontificatus domini Innocencij Pape quarti anno undecimo (9).

nomina more illius aevi, ex polonico in latinum versa sunt; siquidem *passer* (wróbel Polonis), villam *Wróblewo* parochiae Radzyminensis, *falconarius* (Sokolnik Polonis) villam *Sokolniki* parochiae Baboszoviensis, *Glomczensis* autem, villam *Glowczyn* parochiae Kobylnicensis, mihi denotare videtur; quae quum in archetypo *Glowczin* scripta esset, verbum hoc inscitia et errore librarii tabulam describentis, pro verbo *Glomczeñ* sic compendio scripturae exarato habitum, et ad falconarium, ac si persona esset, relatum esse puto. Sunt autem reapse villae praedictae *Wróblewo*, *Sokolniki* et *Glowczyn*, et sibi invicem, et ceteris suprascriptis villis proximae, Plocensis territorii et regionis.

(8) *Wykowo* villa parochiae Slupnensis, *Wyszogród*, hodie parochiale oppidum ad Vistulam, *Janikowo* villa parochiae Czervinscensis, *Męczenin* parochiae Zagrobensis, *Kamienica* parochialis villa, *Złotopolice* parochiae Kamienicensis, *Żabowo* parochiae Dziektarzoviensis, *Żéromin* parochiae Kamienicensis, *Zalesie* forsan id, quod Drobinensis est parochiae; omnia autem haec bona Plocensis sunt territorii et regionis.

(9) Innocentius Papa IV. die 25 Junii anno 1243 electus, die 7ma Decembris anno 1254 obiit.

XLIV.

Sine loco, anno 1254 die 28. mens. Junii.

Boleslaus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, coenobium sacrarum virginum ordinis Praemonstratensis in villa *Krzyżanowice* fundat, eidemque et hanc et alias decem villas, tum a se, tum ab aliis nonnullis nobilibus Poloniae donatas, variisque beneficiis impertitas assignat (¹).

In nomine sanctae et individuae trinitatis, patris, et filii, et spiritus sancti, amen. Ut nostrae devotionis sacrificium oleo sancti spiritus infusum, fiat holocaustum igne coelestis tabernaculi consumendum, nos Boleslaus filius Lesconis, dei gratia Dux Cracoviae et Sandomiriae, omnibus Christi fidelibus praesentem paginam inspecturis, fundamenta, progressus et conservationem architecturae, quam ad honorem filii dei domini nostri Jesu Christi et beatae Mariae semper virginis ejusdem genitricis exemimus (? ereximus?) devota petitione dictae (?) matris nostrae Grzymislavae, et ob salutem dilecti patris nostri Lesconis, et uxoris nostrae Gunebundis (sic) et parentum nostrorum, nostram simul et successorum nostrorum villam, quae vulgo *Krzizanowicz* (²) nuncupatur, scripto praesenti declaramus inibi monasterium sanctimonialium ordinis Praemonstratensis, dispositione legitima et principali auctoritate constituentes, praemium nostrae munificentiae in aeterno reponentes tabernaculo. Igitur universitas noverit (³) christicolarum, praelibato monasterio nos omnem libertatem, immunitatem, exemptionem, securitatem, protectionem perpetuo conservandam contulisse. Cujus territorii quantitatem, utilitates, limites singillatim in hac pagina descripsimus, et possessiones supradictas, colonos, possessionum asscriptiones subnotavimus nominatim, ne quando perverso intellectu successio mortalium sinistra interpretatione

(¹) E tabula confirmationis Sigismundi I. Regis Poloniae, anno 1547 die 22 mens. Decembris impertita, et in libro 73ᵘᵒ tabularii regii Varsaviensis vulgo *Metryka Koronna* dicti fol. 373 seqq. descripta, sed permultis scatente mendis. De fundatione monasterii Krzyżanovicensis vide sis Dlugossii libr. VII. pag. 737.

(²) *Krzyżanowice* villa parochialis ad Nidam rivum sita, Stopnicensis territorii et regionis.

(³) In libro tabularii perperam verbum „*noviter*" pro verbo „*noverit*" scriptum est.

nostram donationem pervertat et ordinationem. Sunt autem ista, quae praefatae contulimus ecclesiae, videlicet: ipsam villam, quae vulgariter *Krzizanowicz* nuncupatur, cum villis sibi adjunctis, quarum ista sunt nomina: *Cobilnik, Cowalno, Suchorowicze*(?) (4) cum omnibus utilitatibus ad easdem pertinentibus, pratis, agris, pascuis, fluviis, molendinis aedificatis sive aedificandis, secundum quod personaliter easdem villas coadunatas, cum nostris Baronibus Mischione et Abraham (5) Castellano Visliciae, et aliis nostris curialibus circuivimus, et terminos, qui vulgo *granycze* appellantur, per ambitum fieri praecepimus. In quarum territorio liceat opifices collocare in libertate et jure pleno *Novifori* Vratislaviensis diocesis. Qui tali donantur privilegio: ut nulli Palatino vel Castellano, sive Judicibus eorum sint subjecti. Nec citentur, nisi literá sigillata sigillo Ducis, et hoc tantum ad praesentiam ipsius Ducis: poena autem sive sanguinis, sive cujuslibet criminis perpetrati, ad praefatum pertinet coenobium. Subnotamus omnes ipsorum etiam alias villas in eodem privilegio donatas, quarum ista sunt nomina: *Solnik* cum suis pertinentiis, *Inuwencwicz* (? In Umenowicz) (6) quatuor sortes, in quibus

(4) *Kobylniki* villa ad Nidam, parochiae Vislicensis *Kowala* parochiae Pińczoviensis, territorii regionisque Stopnicensis villae sunt. Quae autem hic *Suchorowice*, apud Dlugossium vero l. c. *Swieborowice* appellatur villa, quum nullo in ea provincia loco inveniri possit, puto nomen utrumque falso scriptum, villam autem non aliam esse, nisi *Sędziejowice* parochialem, in propinquo oppidi Pinczoviae praedictaeque villae *Kowala*, in Stopnicensi territorio, regione vero Szydłoviensi sitam. *Sudoiovicze*, ut antiqua ratione scribebatur nomen villae, facile in *Suchorovicze* detorqueri potuit.

(5) Mstionem seu Mstivojum Castellanum Visliciensem anno 1249 et 1250 fuisse, tabulae eorum annorum demonstrant, altera nostro corpori Nro XXXV inserta, altera in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Cracoviensis asservata. Adamum (non vero Abraham) hac dignitate anno 1252 functum esse, tabulae duae, altera Nakielscii *Miechovia* (p. 33, 34), altera Gładyszevicii libro, qui „*Żywot błogosławionego Prandoty*" inscribitur, (p. 225) contentae docent; anno denique 1255 mense Septembri, jam Sulconem castro Visliciensi praefuisse, tabula anni hujus in praedicto Gładyszevicii opere descripta (p. 230) indicat. Quae quum ita sint, vitium quoddam in utroque horum nominum inesse, nemo est, qui dubitet.

(6) Non *Solnik* sed *Solec* nomen est villae territorii Stopnicensis, regionis autem et parochiae Szydłoviensis, de qua hic res agi mihi videtur; licet et alia sit *Solec* villa parochialis Stopnicensis regionis, inter Korczynum et Visliciam oppida sita. Quod autem „*Inuwencwicz*" scriptum est in libro tabularii Varsaviensis, verbum hoc vitio scribentis ex duobus, scilicet: „*in Umenowicz*" ortum facile quisque mihi consentiet; est enim villa *Umianowice* parochiae Kijensis, ejusdem Stopnicensis territorii et Szydłoviensis regionis, ceteris olim coenobii bonis vicina. *Innowidz* apud Dlugossium l. c. perperam legitur.

locati sunt ministeriales famuli, quorum ista sunt nomina: Jacobus pistor et successio ejus, Gogich cocus, Mantar cocus et successio eorum, Sestrzewał faber et successio ejus, Paulus piscator et successio ejus, Boguslaus cocus et successio ejus, Masto cum fratre suo Martino et successores eorum, Miloslaus Agazo et successio ejus. Huic privilegio communitis (?) Pacoslai cujusdam (?) (7) Palatini Sandomiriensis fidelis nostri donationem villarum saepefato claustro factam inserimus, et auctoritate nostra in omni libertate confirmamus, et vocabula ipsarum villarum nominatim exprimimus, videlicet: *Sorbkowo, Conary, Cliczanowo, Wolia,* quae vulgariter *Grochovisko* nuncupatur, *Lesczyncza* villa (8), quam contulit Comes Gethco coram nobis, pro remedio animae suae et uxoris suae, et filiae, et antecessorum suorum. Quarum villarum colonis talem contulimus libertatem, quod non provocentur ad Palatinos, ad Castellanos, nec ad Judices eorum, nisi ad solum Ducem, et hoc litera et sigillo. Poena autem homicidii, causae cujuslibet criminis inter homines earundem villarum patrati, monasterio jam dicto pertinebunt. Ab omnibus vero exactionibus, angariis, praeangariis, ducalibus expensis, *powos, stroza, poradlie,* ad (sic) aedificationem castrorum, forensi theloneo, expeditionibus, exceptis expeditionibus in defensione propriae terrae, et aliis indictis et subindictis consuetudinariis sive emergentibus, denunctiamus liberos et absolutos. Hujus autem donationis et confirmationis testes hi sunt: Gethco Castellanus Defadech (? de Sandech) (9), Boguslaus Dapifer Sando-

(7) Verbum „*cujusdam*" de verbo *condam* scripturae, compendio notato detortum est. Pacoslaum Palatinum Sandomiriensem ad edendam tabulam anni 1239 Nro XXVIII praemissam, testis personam sustinuisse, anno vero 1241 in pugna Chmielnicensi a Tartaris victum et occisum fuisse, (auctore Dlugossio L. VII. p. 673) scimus.

(8) *Szarbków* villa parochiae Sędziejovicensis, regionis Szydłoviensis; *Konary* parochiae Szczaworyżensis, et *Grochowiska* parochiae Bogucicensis, in Stopnicensi sunt regione. *Kłęczanowo* autem villa est parochialis Sandomiriensis territorii et regionis, in via publica e Sandomiria Opatoviam ducente; quae quum nobis nimis longe a ceteris coenobii villis distare videatur, de villa *Kliszów* parochiae Kijensis Stopnicensis territorii et Szydłoviensis regionis potius hic agi putamus. Num autem *Leśnica* parochiae Małogostensis, Kielcensis vero territorii et regionis villa, an vero *Leszczyny* parochialis villa ejusdem regionis, in via e Kielcia Bodzentinum ducente sita, hic intelligenda sit, dubium est mihi, quum utraque nimis a ceteris bonis coenobii remota sit.

(9) „*Defadech*" verbum vitiatum est, quod „*de Sandech*" (scilicet Sandecz) legi debet. De Getcone Castellano Sandecensi in multis aequalibus monumentis mentio est. Conf. in Nakielscii *Miechovia* tabulam anni 1255 (p. 174).

miriensis, Petrus filius Dirszicragii Cancellarius (?) Cracoviensis, Sudo Subcancellarius (?) (10), Kilianus Subjudex, Przibislaus Subdapifer, Joannes Subpincerna, Boguslaus de *Sancia* (11), Jacobus filius Pacoslai, Sulko filius Michaelis, Artinanus (?) Physicus, Valterus Capellanus, Nedanech Capellanus. Datum anno gratiae Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, quarto Kalendas Junii (?) (12), in vigilia Apostolorum Petri et Pauli.

(10) Qui Cancellarius et Subcancellarius perperam hic vocantur Petrus et Sando, horum ille Camerarius, hic Subcamerarius erat Cracoviensis, ut nobis e quadam tabula ejusdem 1254 anni in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Cracoviensis asservata liquet, quae multo majori fide digna est. Conf. in Nakielscii Miechovia (p. 176) tabulam anni 1256, qua idem Petrus Camerarius Cracoviensis filius non Dirsicrai sed Viti cujusdam esse dicitur.

(11) Villa parochialis *Sonka* vel *Sanka* dicta territorii Reipublicae Cracoviensis forsan hic intelligenda est.

(12) Hanc etiam Dlugossius l. c. indicat fundationis monasterii Krzyżanovicensis diem, qui et villas ejusdem duas, hic silentio praetermissas, *Kostrz* scilicet et *Biernątowice* in Galicia, et quidem in territorio Bochnensi sitas indicat. Sed quum dies sanctis Petro et Paulo Apostolis sacrata, dies 29 mensis Junii sit, falso hic scripta puto verba: *„quarto Kalendas Junii"*, siquidem dies *„quinta ante Kalendas Julii"* rectius scribi debuisset.

XLV.

Rafaloviae, anno 1256 die 21. m. Aprilis.

Ziemovitus Dux Masoviensis et Czerscensis, incolas villae *Wilkowiec*, coenobii Czervinscensis propriae, a variis angariis liberat (1).

In nomine domini, amen. Cum tempus more profluentis unde continue moveatur, sepe ea, que aguntur in tempore, pariter corruunt cum labente, nisi fuerint literarum ac testium ydonea caucione perhennata. Inde est, quod nos Semouitus dei gracia Dux Mazovie et de *Czyrnsk* (sic) (2), notum facimus universis, presentes literas inspecturis, quod ob remedium nostrorum peccatorum, ville pertinenti ecclesie sancte Marie in *Czyrwyensk*, que *Wylcowyecz* (3) wlgariter nuccupatur, talem duximus emunitatem (sic) conferendam, ut incole ejusdem ville, cujuscunque condicionis, ascripticij seu liberi, et eciam

(1) Ex antiquo manu scripto libro I^mo^ privilegiorum monasterii Czervinscensis, p. 46.

(2) *Czérsk* oppidum parochiale Varsaviensis territorii, nunc regionis, olim autem Ducatus sui nominis caput.

(3) *Wilkowiec* villa Plocensis territorii et regionis, parochiae Czervinscensis.

ipsa villa ab omni exaccione et vexacione prediali sive personali penitus sint immunes; et licet easdem exacciones vel vexaciones sub signo universali contentas in premissis sufficienter videamur tetigisse, tamen uotis nostris per omnia satisfacere cupientes, non inutiliter nominatim singulas duximus repetendas: edificaciones vel renovaciones castrorum, judicia ante castrum, *povos, strosa, noras* (sic), *poddymye* (sic), recepcio venatorum, castrorum (sic, pro *castorariorum*), vel quorumlibet aliorum. Item caniductorum, pistorum, łagenariorum, et penitus quorumlibet officialium aliorum. Actum sub testimonio Thome Cancellarij, Laurencij Thezaurarij, Potrconis Subpincerne, Blasei Subagazonis, Strambote Subvenatoris, Nicolai Vexiliferi, Getconis filii Oltonis; anno domini M° CC. LVI. XI° Kalendas Maij in *Rapalow* (³).

(³) Tres sunt in propinquo oppidi Masoviensis *Zgiersii* villae, quae *Rafałów* dicuntur; duae territorii Lanciciensis, regionis Zgiersensis (altera parochiae Alexandroviensi, altera Parzęczeviensi adscripta); tertia finitimi Ravensis territorii et Brzezinensis regionis, parochiae vero Dobrensis.

XLVI.

Korczyni, anno 1257 die 2. m. Martii.

Boleslai Pudici Ducis Cracoviae et Sandomiriae privilegium fundationis monasterii Zavichostensis, sacrarum virginum ordinis sanctae Clarae (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam omnes morimur et quasi aque dilabimur, ne mortalium gesta celebri et perpetua memoria semper digna,

(¹) Ex apographo privilegii Augusti II[di] Regis anni 1726, in quo et haec nostra tabula, et confirmationes ejus, videlicet anni 1395 Palatini Cracoviensis Spytconis, Sigismundi Augusti Regis anni 1569, Michaelis I[mi] anni 1670, nec non Johannis III[ii] anni 1683 continentur, descripsit doctiss. Stronczyński, a quo edocti sumus, archetypon privilegii Zavichostiae asservari, et in confirmatione praedicta Spytconis de sigillo Ducis funiculo serico filis rubeis et flavis contexto mentionem factam esse. Eandem nostram tabulam novisse videtur Dlugossius, qui (Lib. VII. p. 753) de coenobio hoc Zavichostiae condito fusius narravit. Quod autem fundationem hanc ibidem ad annum 1258 relatam esse videmus, id non auctoris, sed librarii vel typothetae culpa factum esse putamus, qui, quum annorum numeros chronicis Dlugossii in margine libri appo-

temporis decursu in oblivionem adducta queant apud posteros pati ex ambiguitate discrimen, digne solent perpetuate res instrumentorum munimine cum expressione testium perennari. Hinc est, quod nos Boleslaus dei gracia Cracoviensis et Sandomiriensis Dux: universis Christi fidelibus in omne seculum presens pariter et futurum presentibus fecimus manifestum, quod pro remedio felicis anime patris nostri clare memorie illustris Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis Lesconis et incolumitate nostra, et nostre ingenue genitricis Grimislave, et Cunegundis nostre generose consortis, semper preponentes deum in conspectu nostro, a quo habemus quod vivimus, et paternorum principatuum gubernacula possidemus, constructo per nos, de consensu illustrium principum fratrum nostrorum, Casimiri Lanciciensis et Cujaviensis et Semoviti Mazovie Ducum, et venerabilis patris Prandothe Episcopi Cracoviensis, nec non et de tocius Ducatus nostri consensu Baronum, fundato et constructo monasterio ordinis Sancte Clare in oppido nostro *Zawichostensi*(²), pro sustentacione sororum ejusdem ordinis ipsum monasterium presidiis, proventibus, seu immunitatibus infra scriptis duximus dotandum. Contulimus siquidem eidem monasterio villas infra nominatas cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, molendinis videlicet, tabernis, que nunc sunt et erunt in posterum, et cum pratis, nemoribus, piscacionibus et venationibus castorum et aliarum bestiarum, et si que alie sunt commoditates quibuscunque nominibus censentur; ipsum scilicet *Zawichost* jure Theutonico locatum cum utilitatibus et piscatione Visle, cujus termini erunt

nerent, saepissime loco vero et proprio deerrabant.—Jam anno 1255, Boleslaum Pudicum ptochium et nosocomium Zavichostiae ad usum monasterii ordinis *Pauperum Dominarum Sancti Damiani Assisii*, cujus aedes tunc inhoatae erant, condidisse, eique non pauca bona donasse, privilegium nos docet anno eodem 1255 die 18 men. Aprilis Zavichostiae impertitum, ab Alexandro Papa IV. eodem anno confirmatum, et in *Bullario Franciscano* Joan. Hyac. Sbaraleae T. II. fol. 65 sq. typis descriptum. Privilegium hoc, quum magna sui parte cum verbis nostrae anni 1257 tabulae concinat, in eum errorem Naruszevicium induxerat (T. V. p. 374, nota 119), ut privilegii fundationis coenobii virginum ordinis Sanctae Clarae confirmationem pontificalem, praedicto Bullario contineri crederet. *Lucas Waddingus Hibernus*, qui in *Annalibus Minorum* (T. IV. p. 99 §. XXVII) de coenobio sacrarum virginum Ordinis S^tae Clarae Zavichostiae condito et 25 villis dotato refert, narrationis suae *Petrum Rodulphum* auctorem laudat, ita ut in ejusdem Rodulphi *Historia Seraph.* fol. 291 tenorem tabulae nostrae contineri veri simile sit. Nos tamen librum Cracoviae invenire et indicium hoc probare non potuimus.

(²) Vid. ad tabulam N^ro XL. praemissam annotat. 4^tam.

superius usque ad *Kszcie* (3), et inferius usque ad miliare, et cum villis adjacentibus, quarum nomina sunt hec: *Winary* cum lacu qui jacet in *Komorin* (4), *Peccare, Czermino, Durovo (? Duranovo), Petrovice, Borovo; Postrusnicy*(?), *Kostrow*(?), *Hosino,* (? Kosino), *Tucina* (? Szczecino), *Upiana* (?), *Daronino, Sawlonichi* (? Sadloviche), *Brzescane* (? Brzezowa), *Wangarce, Dambane, Chotków, Winare* inferius super Wislam cum clausura, *Sobotha, Wiczownica* que nunc dicitur *Ostrow,* et alias sortes in *Przewody* et *Kobiernici* cum vinea et agris Solegodonis (5); *Unanowice, Włoszczowice,* et ecclesia in *Zarnowice* (6) cum sanctuariis, quorum hec sunt nomina: Domang, Sdeslaus, Osselg, et omnibus pertinentiis suis et annuis redditibus, qui sunt hi: taberne cum theloneo ejusdem ville et aliarum pertinentiarum (sic) ad eandem; de celario Ducis sex urne melis; *stroza* duarum provinciarum *opolie* vulgariter appellatur *(? appellatarum),* decime villarum suprascriptarum:

(3) *Krzcin* villa in propinquo Vistulae fluvii, parochiae Koprzyvnicensis, territorii Sandomiriensis, regionis vero Staszoviensis.

(4) *Winiary* villa parochiae Trójcensis ad Vistulam, Zavichostiae proxima; sed pagus *Komorna* dictus, Klęczanoviensis parochiae, licet jusdem ac Winiary sit Sandomiriensis regionis, duobus tamen circiter milliariis a villa hac distat, in vicinia villae hujus nullo exstante loco, qui Komorzyn vel similiter dicatur.

(5) *Piekary* parochiae Obrazoviensis, *Czermin* parochiae Góry wysokie, *Duranów* parochiae Glinianensis, *Piotrowice* parochiae Trojcensis villae, omnes Sandomiriensis territorii et regionis; *Borów* parochialis, *Kosin* parochiae Boroviensis, *Szczecin* parochiae Gościradoviensis, villae sunt prope Zavichostiam sitae territorii Zamosciensis, regionis Kraśnicensis. *Daromin* parochiae Jankovicensis; *Sadlowice* parochiae Malicensis, *Węgrzce (Panieńskie)* et *Dębiany* parochiae Obrazoviensis sunt villae territorii et regionis Sandomiriensis; *Brzescane* autem quae dicitur, forsan est *Brzezowa* parochiae Glinianensis villa, ejusdem territorii et regionis. *Chodków* parochiae Łoniovensis, Staszoviensis est regionis, *Winiary* autem aut *Winiarki*, in vicinia villae ejusdem nominis supra memoratae est sita, eidemque Trójcensi parochiae adscripta. *Sobutka* villa parochialis Sandomiriensis règionis; *Ostrów* autem olim *Wiecownicia* dicta, aut haec est villa, quae Popcovicensi adscripta parochiae Zamoscensis est territorii et Kraśnicensis regionis, aut, quae *Ostrołęka* dicitur, prope Sandomiriam, parochiae Skotnicensis, Sandomiriensis regionis. *Przezwody* parochiae Jancovicensis, et *Kobierniki* parochiae Sandomiriensis, Sandomiriensis sunt territorii et regionis. Mentio agrorum Solegodonis, quod nomen corruptum esse videtur, facta, forsan ad villam *Sulejów* parochiae Słupiensis, Sandomiriensis regionis spectat. Quae autem sint villae, quae in nostro apographo sine dubio perperam sunt descriptae, scilicet: *Postrusniey, Kostrow, Upiana*, conjectura assequi non possum.

(6) *Włoszczowice* parochiae Piotrcovicensis villa, Stopnicensis est territorii, regionis vero Szydłoviensis. *Żarnowiec* oppidum est territorii Olcussiensis, regionis Pilcensis. Villa *Unanowice* dicta, nobis *Umianowice* parochiae Kijensis, regionis Szydłoviensis esse videtur, licet anno 1254 Dux idem Boleslaus, quatuor quaedam ejus villae praedia (sortes dicta) coenobio Sacrarum Virginum Krzyżanovicensi contulerit. Vid. tab. anni 1254 Nro XLIVto praemissam.

Żarnowiec et *Korytane*, et *Krewiczi* (? Kroczicze), *et Udorz*, et *Wierzbica*, et *Dobraczow*, et *Hocola*, et *Małyszyce*, et *Wilczow*, et *Holuza*, et *Lunonici*(?) villa per nos collata, et *Mysłowici*(?) et *Marcinowicz*, et *Przedmoszczanie* (? Przemęczany) et *Rokitno* villa ecclesie cum decima, et *Wola*, et *Moczydlana*, et *Kozłow*, et *Bobrech* (?), et *Przechody*, et *Kurozwęki* (?), et *Omesznici* (? Olesznica), et *Bobra* (? Dobra), et *Zathsa* (? Siadcza), et medium *Studeniowo* (?) ([7]), quod possidet Comes Adamus. Dedimus etiam ipsi monasterio centum marcas argenti puri, et totum valorem duorum alveorum salis qui *corito* vulgariter appellatur, in loco qui *Magnum sal* ([8]) communiter nuncupatur, et marcam auri in theloneo Cracoviensi, has (?) duas marcas auri in plumbo in *Ilkusch* ([9]) singulis annis percipiendas, et decem marcas argenti in *Charsza* ([10]) villa Episcopi, que singulis annis in signum dominii recipere consuevimus, pro utilitatibus ejusdem monasterii informandis. Incolas vero

([7]) *Koryczany* villa parochiae Żarnowiecensis, territorii Olcussiensis, regionis Pilcensis; *Krewici*, forsan est *Kroczyce* villa parochialis territorii Olcussiensis, regionis Leloviensis, in propinquo aliorum coenobii bonorum sita: *Uderz* parochiae Chlinensis, *Wierzbica* et *Dobraków* parochiae Kidoviensis, *Otola* parochiae Rokitnensis, *Małeszyce* parochiae Szczekocinensis, *Wilków* parochiae Irzondzensis, *Oludza* parochiae Rokitnensis, omnes autem territorii Olcussiensis, et regionis Pilcensis villae. Villa, que *Myslovice* in apographo perperam nuncupata est, num *Myszkowice* sit, villa parochiae Sączoviensis, territorii Olcussiensis, regionis vero Leloviensis, an vero *Mieronice* villa parochialis territorii Kielcensis, regionis vero Jędrzejoviensis, decernere non audeo. *Marcinowice* vel *Marcinkowice* parochiae Uniejoviensis, et *Przemęczany* parochiae Zielenecensis, territorii et regionis Miechoviensis sunt villae. *Rokitno* villa parochialis, et quae in propinquo Żarnovieciae est villa *Wola Libertowska* dicta, Olcussiensis sunt territorii et Pilcensis regionis. *Moczydło* parochiae Xiążensis, et *Kozłów* parochialis villa, Miechoviensis sunt territorii regionisque. *Przychody* et *Siardcza* parochiae Kidoviensis, *Dobra* parochiae oppidanae Pilcensis ejusque etiam Pilcensis regionis villae; *Kurozwęki* et *Oleśnica* oppida parochialia territorii Stopnicensis, regionis vero hoc Stopnicensis, illud Szydłoviensis, hic intelligi vehementer dubito; nulla tamen alia, quae similia nomina habeant, in propinquo praemissorum locorum bona inveni. Ceterorum locorum autem, *Lunonici* scilicet *Bobrek* et *Studenowo* nomina tam corrupta in apographo esse videntur, ut neque haec inveniri, neque alia ad veri similitudinem pro iisdem substitui potuerint.

([8]) Oppidum salis fodinis celebre *Wieliczka* nunc dictum, antiquissimis temporibus lingua latina *Magnum sal* appellabatur.

([9]) *Olkusz* oppidum parochiale, olim argenti et plumbi mineris celebre, tribus milliariis ab urbe Cracovia distans, in Regno Poloniae, territorii est caput.

([10]) Proximum videtur, hic de villa *Karczówka* (quod nomen prisca apud Polones scribendi ratione *Charczowca* scribebatur) agi, quae ab antiquissimis inde temporibus, et metallum plumbarium habet, et ad Episcopatus Cracoviensis bona pertinet.— Vid. Hieron. Łabęckii librum de metallorum operibus in Polonia (*Górnictwo w Polsce*) T. I. p. 300, 301.

ac inhabitatores villarum supradictarum ea libertate eaque immunitate gaudere volumus, et (? ut) per terram Cracoviensem et Sandomiriensem negociationis causa transeuntes in nullo loco theloneum persolvant. Quos etiam absolvimus ab omni prestacione prediali, seu personali cujuscunque census vel tributi, ad Ducem, Palatinum, Castellanum, Judicem, vel quemcunque alium suparium vel beneficiatum pertinentis; neque enim *przewod, stroza, stan, poduzne* (? podvode-?), *naramb, targowe, poradlene,* caput quod vulgariter dicitur *glowa,* et ab omni causa sanguinea, ab omni furto, et a *powolowe,* nec aliquas annonas, vaccas, porcos, oves, et quevis pejora (? pecora ?) alia pro expensis ducalibus persolvent. Nec nuntios vel legatos Ducum, seu aliquos venatores recipere cogentur inviti; generaliter autem omnes incolas absolvimus ab omnibus servitutibus, angariis et perangariis, quibuscunque nominibus denotentur, et que nunc sunt vel in posterum poterint excogitari, sive sint ordinaria, casuales (sic) vel repentina, ab edificatione castrorum vel reparatione, et ab omni expeditione vel exercitu ipsos penitus absolventes. Qui eciam incole conventi coram nobis super quibuscunque causis vel negociis, vel coram aliquo Palatino, Castellano et quovis alio Judice vel officiali, comparere vel respondere non teneantur, sed suorum tantummodo rectorum judicio sint subjecti. Ut autem nulli alteri, sed soli dicto monasterio et sororibus suprascriptis prefate ville, quas etiam jure Theutonico locari concedimus, cum omnibus suis utilitatibus deserviant, et ad ipsum monasterium pleno jure pertineant, decernimus, ut rectores villarum earundem per sororem nostram dominam Salomeam Reginam quondam Galiciae, nunc autem sub regula beate Clare domino famulantem, et Abatissam sororum ejusdem regule in ipso monasterio Zawichostensi constituantur, et earum destituantur arbitriis. In robur autem et perpetuam memoriam subscriptorum presentem litteram nostro sigillo duximus consignandam. Datum in *Tarczyn (Korczyn)* (11), anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, sexto nonas Marcii, presentibus testibus his: Illustribus Casimiro Lanciciensi

(11) Non *Tarczyni* sed *Korczyni* privilegium hoc in congressu Ducum Poloniae praefatorum latum fuisse, tum Dlugossii narratio (VII. 753), tum aliud privilegium Boleslai, quo Cunegundi uxori provinciam Sandecensem dotalitii (quod dicebatur) nomine donavit, quodque, praesentibus iisdem illustribus personis, *eodemque anno et die Korczyni* largitus est, omnem dubitationem tollunt. Vid. Naruszevicii *Hist. Pol.* T. V. p. 88 et 374.

et Cujaviensi, Semovito Mazoviensi Ducibus, Janussio Gneznensi Preposito et Cancellario Casimiro (12), Falcone (Fulcone) (13) Cracoviensi et Sandomiriensi Cancellario, Nicolao Cracoviensi, Segneo Sandomiriensi, Abraham Mazoviensi Palatinis, Boguphalo Sandomiriensi, Joanne de *Czechów* (14), Dionisio (? Bronisio) de *Beich* (15) Castellanis, Warschone Dapifero, Sulislao Agazone Sandomiriensi, et aliis quam plurimis clericis et laicis.

(12) *„Janussio Gneznensi Preposito et Cancellario Ducis Casimiri,"* hic legendum esse putamus, argumento tabulae anni 1251 Nro XXXVII praemissae, innixi.

(13) Non Falconem sed Fulconem Cancellarium Ducis Boleslai fuisse, permulta fide digna monumenta demonstrant; maxime autem privilegium eodem 1257 anno urbi Cracoviae datum, cujus archetypon in tabulario Senatus Reipublicae Cracoviensis asservatur, quodque accuratius typis descriptum in Indice Lectionum Universitatis Jagellonicae anni 18$^{17}/_{18}$ legitur. Conf. et privil. anni 1249 Nro XXXV praemissum.

(14) *Czchów* olim castrum, nunc oppidulum parochiale in Galicia, Bochnensis territorii.

(15) Ut in apographo Dionisium hunc loco testis perperam citari credamus, majori fide dignae aliae authenticae hujus temporis tabulae nos movent, quae tunc temporis *Bronissium Castellanum Biecensem* fuisse docent. Vid. tabul. authent. Capituli eccl. cathedr. Cracov. anni 1256, die 5 mensis Septembris Bazoviae vel Beszoviae latam, quae typis jam pluries descripta, in *Cod. dipl. Hungariae* Fejeri, T. IV. vol. 2. p. 354 sqq. reperitur. Est autem *Biécz* oppidum parochiale in Galicia Jaslensis territorii.

XLVII.

Czerwinsci, anno 1257 die 18. men. Julii.

Ziemovitus Dux Masoviensis et Czerscensis villam *Koski* vel *Kossevo* dictam coenobio Augustianorum Czervinscensi donat (1).

Quum pleraque mortalium gesta fonti Letheo inferuntur, nisi scriptis decernantur perhennari, cunctis igitur hanc mambranulam (sic) pateat inspecturis: quot nos diuina miseracione Semouitus Dux Mazowie et terre Czyrnensis, pro eterne felicitatis adepcione, *Czyrwenensi* monasterio. ad peticionem fratrum in eo Christo famulancium, contulimus villam *Coszky* (2)

(1) Ex antiquo libro Imo privilegiorum manu scripto, monasterii Czervinscensis, pag. 83.

(2) Non *Koski* sed *Kossewo* nuncupatur hodie villa parochiae proximi oppidi Nasielsciae adscripta, Pultuscensis territorii et regionis. Paulo remotiores sunt villae *Magna* et *Parva Rostki* dictae, parochiae Novomiastensis, ejusdem regionis.

wlgariter dictam, campo castri *Noszylsk* conterminatam, jure perpetuo possidendam. Et ne quis processu temporum huic donacioni temeritatis adinvencione presumat contraire, scriptum presens nostri sigilli appensione annuimus roborari; sub attestacione nostre curie nobilium; quorum nomina sunt hec: Paulus condam Palatinus Mazowie, Petrus Bogusic, Bogusa Janusewycz (3), Damianus Succamerarius, Jakobus Subpincerna, Martinus *Glovcino*, Boseg de *Rubov* (4), Strachota, et alij plures, quos scribere fastidivit. Actum in *Czyrwensk*, anno gracie Millesimo CCLVII. XV. Kalendas Augusti.

(3) Ex terminationibus *icz*, quae antiquitus jam (ut e priscis privilegiis patet) non in polonica tantum lingua, sed et in aliis slavicis dialectis ejusdem nominis filium denotabant, facile quis conjicere possit, laudatum in privilegio Petrum *Boguszicz* id est Bogussii filium, alterum vero Bogusium *Januszicz* id est, Janusii filium fuisse. At mihi verisimilius videtur, hic verbis *Boguszic* et *Januszevycz* non filii a patre descensionem, sed bona hereditaria Petri et Bogusii auctorem denotare voluisse; idque his de causis: primum, quod in propinquo villae Czerwińsk, ubi testes privilegio conscribendo praesentes affuerunt, sitae sunt villae *Boguszyn* parochiae Czerwinscensis et *Januszewo* parochiae Grojecensis; tum quod mos possessores bonorum nominibus ipsorum patrumque designandi posteriore dimidio seculi XIII[mi] apud nos magis magisque in desuetudinem abire coepit, inque ejus locum indicatio nobilium a bonis possessis paulatim in usum veniebat; deinde, quod eo potissimum tempore, quo haec designandi consuetudo invalescere coepit, nomini possessoris bonorum adjici solebat possessionis appellatio, non addita particula *de*. Quam rem quum alia multa, tum praecipue Masoviensia privilegia testantur; quin et in hac ipsa tabula in nomine Martini de Głowczyn idem occurrit: vide sis praeterea N[ro] XXXIII. not. quartam: denique, quod Bogusii ab Janusio descensio verbo *Januszyc*, non vero *Januszewycz* indicanda fuit; cujus terminatio magis ad villam *Januszewo* referri posse videtur.

(4) De villa *Głowczyn*, jam pag. 72. referenda retuli: *Rubów* autem mihi *Rębowo* vel *Rembowo* esse videtur villa parochialis Plocensis territorii et regionis, prope Czerwińsk et Wyszogród sita.

XLVIII.

Tuszyni, anno 1260 die 13[ma] men. Junii.

Casimirus Dux Lanciciae et Cujaviae privilegium Vladislai filii Odonis Ducis Poloniae Majoris (superius N[ro] XXIII praemissum) coenobio *Sulejoviensi* impertitum, confirmat (1).

Noverint universi, ad quos presentes littere pervenerint, quod nos Kazimirus dei gracia Dux Landchicie (sic) et Cujavie, ordinacione facta cum

(1) E tabula authentica membranacea, doctiss. Stronczyńscii propria, cujus sigillum desideratur, funiculus autem sericus rubri est coloris.

nobili viro B.(oleslao) Duce Polonie, de villis vel hereditatibus pertinentibus ad *Naaroch* de *Wilem*, possessores earum omnes fecimus coram nobis comparere, scire volentes, quo modo vel qua ratione ad eos possessiones devenissent. Inter quos venerabilis pater dominus Abbas de *Syliov* comparuit privilegium pie recordacionis Wlodiszlavi filii Odonis Ducis Polonie integrum et illesum de villa que *Strasewiz* dicitur, que ad dictum *Naaroch* pertinebat, nobis offerens sub hac forma:

„In nomine sancte et individue trinitatis. Noverit presens etas, omniumque futurorum posteritas," etc. *(Vid. privilegium Vladislai filii Odonis Posnaniae die* 3ª *mensis Julii anno* 1232 *impertitum, Nº XXIII praemissum).*

Et quia donaciones et vota fidelium a successoribus legittimis debent teneri fideliter et servari, dictam villam domui supradicte confirmamus, et sigilli nostri munimine roboramus. Acta sunt hec anno domini Mº CCº LXº, Idus Junii in *Tusine*(2). Testes: Wictco Thesaurarius noster, Benedictus Subjudex, Thomas Subdapifer.

(2) *Tuszyn,* oppidum parochiale Petricoviensis territorii et regionis.

XLIX.

Casimiriae, anno 1261 die 6. m. Februarii.

Casimiri Ducis Lanciciae et Cujaviae decretum, monasterio Sulejoviensi villam *Baldrzychów,* de qua eidem monasterio nonnulli nobiles Poloniae litem intenderant, addicens (1).

In nomine domini, amen. Licet acta hominum noticie subjaceant singulorum, processu tamen temporis, testibus deficientibus legitimis, hominum actibus consuevit calumpnia novercari, si litterarum testimonio seu testium subscripcione lucidius non fuerint roborata. Nos igitur Kazimirus dei gracia Dux Lancicie et Cujavie notum facimus universis, tam presentibus quam

(1) E tabula authentica membranacea doct. Stronczyńscii propria, sigillo jam destituta, et nonnisi funiculo serico flavi coloris adhuc instructa.

futuris, quod, cum inter wenerabilem virum dominum Petrum Abbatem de *Suliow* et ejus conventum ordinis Cysterciensis ex una parte, et nobiles viros Stephanum filium Alberti, Nicholaum filium Vogzlaij ac Baldricum filiolum ipsorum ex altera, pro hereditate que *Baldrichov* (2) vocatur, juxta fluvium qui *Nir* vocatur sita, fuisset exorta materia questionis coram nobis,— Nos et Barones nostri tunc presentes, Nicholaus videlicet filius Mistiwgij condam Palatinus Cracovie (3), Adam Castellanus de Rozpra, Sandiwogius Venator nostre curie, et Dirsicragius noster Subcamerarius, a dicto Abbate P. et ejus fratribus requisivimus, a quo vel unde prenominatam possiderent hereditatem: qui asseruerunt, quod ordo ipsorum domus, scilicet de Suliow, multis ante temporibus possedit, et privilegium domini Pape Honorii confirmatorium nobis demonstrarunt, ubi hereditas sepius fata, fuit annotata. Adtamen ad majorem rei evidenciam, prelibato domino Abbati Petro et ejus fratribus diem peremptorium constituimus, avi nostri pie recordacionis Ducis Kazimiri, ex cujus donacione predictum Baldrihov cum suis pertinenciis possident, nec non patris nostri bone memorie Ducis Conradi super eodem negocio privilegia ponendi coram nobis. Qui in termino eis profixo, eadem privilegia non cancellata, non abolita, nec in aliqua sui parte viciata, nobis apportarunt; que nos diligentius perspicientes, sentencia dictante ac justicia mediante, filio nostro Duce Semomislo ibidem existente, cum Baronibus nostris nobiscum judicio presidentibus, Comite videlicet Sethegio Palatino Lanciciensi et Dirsicragio nostro Subcamerario, sepedicto Abbati Petro et domui de Suliov pretaxatam hereditatem *Baldrichov* perpetualiter adjudicavimus, parti adverse perpetuum silencium extunc inponentes. Et quia

(2) Conf. ad privil. Nro IV. praemissum, annotationem quartam.

(3) Qui nobis adhuc noti sunt fontes ad historiam ejus temporis spectantes, dignitate Palatini Cracoviensis a die 4ta men. Februarii 1256 ad diem 13 mensis Aprilis a. 1260, Nicolaum functum esse testantur. (Vid. Nakielscii *Miech.* p. 177 et 183). Quum igitur in hoc privilegio a. 1261 eundem Nicolaum in aula Principis Casimiri versantem videmus, in eam opinionem incidimus, ut virum hunc in dissensionibus Boleslai Pudici cum Casimiro Cujaviensi Duce, hujus partes secutum, palatinatu privatum esse, neque tamen mortuum, ut credit *Niesieckius* (in opere inscripto *Korona Polska* I. 109) in recensendis Palatinis Cracoviensibus. Eundem Nicolaum filium Mstivoji, anno 1253 pincernam Cracoviensem fuisse, privilegium Boleslai Pudici docet, quod vide sis in Paprocii opere *Herby Rycerstwa* p. 76. 77. In tabula magistratuum majorum Minoris Poloniae, quae est in historia Röpelli, per errorem sub a. 1270 Nicolai Palatini Cracoviensis nomen positum esse videtur. Conf. ibid. p. 537. annotat. 3.

probacionum copia sepius subtrahitur, et veritas ocultatur, presentem paginam in hujus rei perpetuam memoriam sigilli nostri carectere fecimus roborari. Acta autem sunt hec in *Kazimir* (4), in die Vedasti et Amandi, VIII^a Idus Februarii. Presentibus: Comite Setegio Palatino, Dirsicragio Subcamerario, predictis, domino Arnoldo Abbate de *Vitovia* (5), Boguzlavo Subpincerna, Bernardo Subdapifero et Joseph scriptore ejusdem privilegii. Anno domini M° CC° sexagesimo primo, Indiccione IIII^a (6).

(4) *Kazimierz* oppidum parochiale ad Nerum fluvium, territorii Lanciciensis, Zgiersensis regionis, a Baldrichovia aliisque monasterii Sulejoviensis bonis non longe remotum.
(5) Vid. ad privileg. N^ro VI. praemissum, annotationem secundam.
(6) Litera Indictionis Romanae, recte indicata est.

L.

Cracoviae, anno 1262 die 30 m. Septembris.

Boleslaus dictus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, privilegia monasterio Cisterciensium Sulejoviensi ab avo suo et patre olim impertita confirmat (1).

In nomine sanctae et individuae trinitatis, amen. Quoniam quae aguntur in tempore etiam cum tempore dilabuntur, solers mortalium providentia facta sua consuevit apicibus perennare. Noverint igitur tam praesentes quam futuri, quod nos Boleslaus dei gratia Dux Cracoviae et Sandomiriae, considerantes, quam speciali praerogativa dilectionis, piae recordationis Dux Casimirus avus noster, et felicis memoriae Dux Lestico pater noster, domum sanctae Mariae sanctique Thomae de *Syliow* dilexerint, eorum vestigiis pro devotionis affectu cupientes inhaerere, quidquid in eorum privilegiis dotis et libertatis reperimus, captato tempore oportuno, studuimus renovare, et renovando confirmare. Erat autem privilegium jam dicti Casimiri avi nostri de fundatione monasterii supradicti tale:

(1) Ex apographo, quod e libro donationes ecclesiae metropolitanae Gnesnensi factas continente, in tabulario capituli ejusdem ecclesiae asservato, descriptum erat.

„In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Casimirus Dux Poloniae notum facio" etc. *(Vid. privilegium hoc anni* 1176 *N°* IV. *praemissum).*

In villis autem bonae memoriae Ducis Lestconis patris nostri temporibus acquisitis, videlicet: *Voichice, Spechecaw, Ogneline, Goichoe, Rudeno* (2), per omnia supradictam obtineant libertatem. Viso itaque, quanta liberalitate et devotione monasterium supradictum a patribus nostris fundatum est et dotatum, donationes et libertates superius nominatas confirmamus. Insuper aquam de *Liticia* et de *Charna* (3) cum castoribus, quam habent pro remedio patris nostri, eisdem confirmamus, addentes fratribus supradictis castores in rivulo qui *Bloge* (3) vocatur, in utraque ripa, nec non et in aliis rivulis, lacubus et stagnis, qui infra terminos monasterii supradicti continentur. Ut autem praesens scriptum robur obtineat perpetuum, sigilli nostri munimine et Baronum nostrorum testimonio roboramus. Testes: Jacobus Judex Cracoviensis, Laurentius Subcamerarius noster, Petrus Thesaurarius noster, Tvardoslaus Subcancellarius noster. Acta sunt haec anno domini M° CC° LX° secundo, in Cracovia die beati Hieronimi.

(2) De villis in provincia, quae ditionis Ducis Lestconis erat, acquisitis, in privilegio anni 1242 superius N^ro^ XXXI. posito, mentionem Dux Conradus Masoviensis fecit; sed praeter *Święciechów* et *Okalina* villas, nullam earum, quae in hac tabula enumerantur, nominatam ibi videmus; quin imo prorsus aliae relatae sunt. De *Święciechów* et *Okalina*, quae hic perperam *Spechecav* et *Ogneline* dicuntur, jam in annotatione quinta ad privilegium N^ro^ XXXI. praemissum, mentionem fecimus. Quae autem in mendoso hoc nostro apographo *Voichice* nuncupatur villa, ea certe *Wójcin* est parochialis villa Opocznensis territorii et regionis, vix duobus milliariis a Sulejovia remota; quae *Goichoe* dicitur, est *Gojców* pagus praedictae villae Okalinae vicinus parochiae Włostoviensis, denique quae *Rudena* vocatur, ea certe *Radonia* villa est parochiae Błogiensis, Opocznensis territorii et regionis, Sulejoviae proxima.

(3) *Liticia* et *Charna* in tabula sic scripti, rivi sunt *Luciążna* et *Czarna*, fluvium Piliciam in propinquo Sulejoviae intrantes: rivulum hic *Błogie* dictum eum esse puto, qui Piliciam prope ipsam Sulejoviam intrans, fontem suum prope villam *Błogie* habere videtur.

LI.

Pajecznae, anno 1265 die 1mа mens. Martii.

Lestco dictus Niger (filius Casimiri Ducis Lanciciae et Cujaviae) Dux Siradiae, 42as mensuras (mansos dictas) silvae *Brzeznicia* nuncupatae, Martino cuidam et Pribislao donat; ut agro silvestri exstirpato, colonos ibidem locent, privilegio, quod juris Theutonici dicebatur, aliisque nonnullis libertatibus gavisuros (1).

In nomine domini, amen. Quoniam facta modernorum haberi solent a posteritate in oblivione, succedencium nisi literarum apicibus roborantur (sic), idcirco notum esse volumus universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, ipsum scriptum inspecturis, quomodo nos Lesthco dei gracia Dux Siradiensis Martino et Przybyslao mericam certam *Brzesnijczam* (2) contulimus, quadraginta duobus mansis iure hereditario locare, eo iure, quo utitur civitas *Novifori* (3); et ea locata, ipsi et eorum posteri perpetue possidebunt. Contulimus eciam, quod dicti locatores, et omnes extirpatores supradicte merice, gaudebunt perfrui tredecim annorum libertate, et postquam expiravit (sic) libertas, nobis supradicti locatores quinque mansos assignabunt, et pro se sextam (sic) libere reservabunt; et a quolibet manso nobis fertonem argentj et duas mensuras triticj, quattuor sigillinis (sic) et sex avene persolvant. Concessimus eciam, quod dicti locatores, ecclesie duos mansos libere assignabunt. Item contulimus prefatis locatoribus thabernam in supradicta merica libere perpetue possidendam. Item contulimus prefatis locatoribus, quod theoloneum (sic) in Ducatu nostro non solvent, quamdiu libertas

(1) E libro XXIII. fol. 79. Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, vulgo *Metryka Koronna* dicti, cui et alia annorum 1287, 1318, 1345, et 1422, in confirmatione Casimiri Jagellonidis Regis Poloniae et Ducis Lithuaniae anni 1441 deprompta, ad oppidum Brzeznicíam spectantia privilegia, publica auctoritate inserta sunt.

(2) In agro silvae tunc Brzeznicia dictae, oppidum conditum *Brzeznicia* vocatum est: est autem locus ubi oppidum hoc primarium exstiterat, hodie villa parochialis *Antiqua Brzeznicia* dicta, Petricoviensis territorii et Radomscensis regionis, prope oppidum Brzeznicíam, quod circa annum 1287 jus municipale nactum esse videtur.

(3) *Neumarkt*, oppidum in Silesia Borussica, regionis caput, quatuor milliariis a Vratislavia distans; quod Środa olim Polonis vocabatur. Conf. tab. Nro XLIV. praemissam, pag. 74.

supradicta durabit. Item contulimus supradictis locatoribus infra terminos predicte libertatis duo molendina libere construere, et iure hereditario perpetuo possidere. Concessimus eciam eisdem prata circa paludem que wlgariter nominatur *Canthnija*, et aliud *Crosthawe* imperpetuum possidendam (sic). Ut hoc scriptum robur optineret (sic) firmitatis, nostri sigilli munimine fecimus roborandum. Idcirco huius rei hij testes sunt: Setegius Palatinus, Paulus Thezaurarius, Mathias Succamerarius, Nicolaus Subcancellarius, Benedictus Subjudex, Jacobus Subdapifer. Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo quinto. Datum in *Paijczna* (4) in dominica Reminiscere (5).

(4) *Pajęczno*, oppidum parochiale Petricoviensis territorii, Radomscensis regionis.
(5) Anno 1265 festus dies paschalis die 5ta mensis Aprilis celebrabatur.

LII.

Calissiae, anno 1267 die 8. men. Novembris.

Boleslaus Dux Poloniae Majoris, consentiente fratris sui filio Premislao Duce, Thiloni cuidam et Henrico de Neumarkt urbicolis Posnaniensibus, villam *Spytkowo* 60 marcis argenti vendit (1).

In nomine domini, amen. Licet acta hominum evidenter subjaceant noticie singulorum, consueverunt nihilominus calumpnia novercari. Quapropter necesse est, actiones legitimas per scripti continentiam et testium subnotationem, in notitiam transvehi posterorum. Hinc est, quod nos Bolezlaus Dux Polonie tam presentes quam posteros cupimus non latere, nos, prius nostri filioli karissimi Premislonis (2) assensu benivolo requisito,

(1) E tabula authentica membranacea, in tabulario publico urbis Posnaniae asservata descripsit doctiss. Stronczyński, eamque duobus cereis sigillis, funiculis crassioribus sericis rubei coloris appensis, instructam esse tradidit; quorum alterum Boleslai Ducis, alterum Premislai II. est.

(2) Verbum *filiolus*, lingua latina mediae aetatis nonnunquam filium fratris denotasse, docet Ducangius (v. *filiolus*); quam significationem verbum praedictum in Polonia eo saepius habuisse arbitror, quod polonici verbi „*Synowiec*" a verbo „*Syn*" (filius) derivatio persimilis est. (Conf. tabulam Nro XLIX praemissam pag. 85, et privil. a. 1276 in Lelewelii opere, quod *Początkowe Prawodawstwo Polskie* inscribitur, pag. 199). Boleslaum Ducem nullum filium, Premislaum vero fratrem ejus filium Premislaum II habuisse, nemo est qui nesciat.

civi nostri (sic) de Poznan Thiloni et avunculo suo Henrico de *Novoforo* (3), hereditatem quandam *Spithcowo* (4) dictam, sitamque aput Poznan, et aquam ibidem que *Starareka* (5) nominatur, ita prorsus integre, sicuti eandem Henricus noster Procurator Gneznensis primitus possidebat, pro LX. marcis libere vendidisse, jure hereditario per ipsos et eorundem posteros possidendam, eos ab omni solutione censuali aliorum quoque jurium penitus eximentes, excepta decima, que reddi debet pro more solito, ad quem spectat. Preterea, prefati heredes, si conveniendi fuerint super causa aliqua pretacte hereditatis, coram Poznaniensis civitatis Judice debebunt jure Theutonico conveniri. Insuper nostri piscatores in aqua promemorata pro nostro libito piscabuntur. Ut hec igitur nostra venditio nulla calumpnia in posterum valeat attemptari, hanc kartulam nostrorum sigillorum munimine fecimus communiri. Datum aput *Kalis*, anno gracie domini M. CC. LX. VII° sexto ydus Novembris. Testes autem hujus sunt: Comes Predpelk Palatinus Poznaniensis, filius ejusdem Nicolaus Subcamerarius noster, Drogomirus et Pribizlaus alumpni nostri filioli Premislonis, dominus Mathias Notarius curie nostre.

(3) Vid. annotat. 3am pag. 88.
(4) Non *Spytkowo* sed *Sytkowo* est in propinquo urbis Posnaniae praedium rusticum parochiae Posnaniensi ascriptum, quod ad bona *Komorniki* pertinere mihi videtur. Est quidem in M. Ducatu Posnaniensi Kostanensis regionis villa *Spytkówki* dicta, parochiae Wyskoczensis, ad bona *Raczat* pertinens, quae tamen mihi nimis longe ab urbe Posnania remota esse videtur, quam ut eadem sit, de qua in tabula hac est sermo.
(5) Num rivus, qui agros praedii *Sytkowo* irrigat, *Stara rzéka* (Antiquus fluvius) nunc etiam vocetur, nescio.

LIII.

Cracoviae, anno 1271 die 15ma mensis Maji.

Boleslaus dictus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, villae Tyniecensis coenobii *Opatowiec* nuncupatae, privilegium juris municipalis Teutonici, quali urbs Cracovia regebatur, largitur (1).

In nomine domini, amen. Cum secundum autoritatem divinam omni operi bono due mercedes debeantur, una eternalis et alia temporalis, hinc

(1) Ex apographo, quod publica tabularii Praefecti Antonii Kawecki auctoritate anno 1826 de tabula authentica descriptum esse, doctiss. Stronczyński tradit.

est, quod nos Boleslaus dei gracia Cracovie et Sandomirie Dux, notum facimus tam presentibus, quam futuris, quia ob reverentiam beatissime dei genitricis virginis Marie, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, nec non pro salute nostra et remedio animarum parentum nostrorum, et eciam consideratis et inspectis continuis et fidelibus obsequiis domini Modliborii Abbatis et tocius conventus domus atque cenobii *Tynecensis* (2) piis suplicacionibus inclinati, qui in vinea domini Sabaoth non cessant frequenter pro salute hominum laborare, hanc nostram graciam decrevimus faciendam, videlicet: quod in villa ipsorum forensi, que *Opatowiec* (3) vulgariter appellatur, sita super rippam fluvii qui *Visla* vulgo dicitur, in Castellatura Visliciensi locandi et faciendi plenam et liberam damus potestatem sub jure Theutonico civitatem, ipsam ab omnibus pensionibus, exactionibus, servitiis, solucionibus et consvetudinibus juris Polonicalis, nobis seu Castellanis et Palatinis nostris, aut aliis quibuscunque officiis, super eandem de jure vel de facto spectantibus, et cum omnibus possessionibus et territorio ejusdem per omnia et perpetuo eximentes, et ponentes penitus ipsam sub forma et libertate juris Cracoviensis; ita ut omnes incole ipsius et inhabitatores, quos ibidem dictus Abbas locaverit cum suis fratribus, seu quibus vendiderit aut concesserit, eodem jure regantur et utantur, quo civitas nostra Cracoviensis extat disposita et insignita. Et generaliter volumus, ut in omnibus conditionibus et consvetudinibus eadem gaudeant libertate, qua gaudent cives nostri Cracovienses. Si vero in aliquibus ejusdem libertatis articulis fuerit dubitatum, ad predicte civitatis privilegium recurratur. Ne autem quispiam hanc nostram donacionem et concessionem valeat violare, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Acta sunt autem hec anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo, Idus Maji. Presentibus his et consencientibus nobilibus nostris, quorum ista sunt nomina: dominus Procopius Cancellarius curie, Comes Warsch Castellanus Cracoviensis, Comes Janusius Palatinus Sandomiriensis, Comes Petrus Palatinus Cracoviensis, Comes Boleslaus Castellanus Visliciensis, Comes Laurencius Venator de *Klobucko* (4) qui

(2) Villa parochialis *Tyniec* in Galicia ad Vistulam sita, territorii Vadovicensis, uno circiter milliario a Cracovia distat, amplo olim Benedictinorum coenobio insignis.

(3) *Opatowiec* oppidum parochiale ad Vistulam, territorii Miechoviensis, Scalmiriensis regionis.

(4) *Klobucko* parochiale oppidum est et villa, Wielunensis territorii, Częstochoviensis regionis.

fuit hujus negocii ordinator. Datum *Cracovie* per manus Twardoslai Cantoris Sandomiriensis et Subcancellarii curie nostre.

LIV.

Oloboci, anno 1273 die 9. mensis Octobris.

Conradus Scultetus de Luburz, coenobio sacrarum virginum ordinis Cisterciensis *Olobocensi*, **tres mensuras agri sui (mansos dictas) donat** (¹).

In nomine domini, amen. Evanescunt simul cum tempore, quę geruntur in tempore, nisi recipiant a uoce testium et scripti memoria firmamentum. Hinc est, quod ego Cunradus Scultetus dictus de *Luburz* (²) diuina me inspirante gracia, ob reuerenciam domus beate Marie virginis in *Olboch* (³), dedi eidem de mea libera hereditate, atque de proprio labore meo et mee coniugis conssensu et assensu filiorum meorum, tres mansos liberos; duos beate Marie virginis in *Olboch*, unum in *Luburze*, sub hac tamen forma: videlicet, ut de fertone argenti et maldrata triplicis annone, quam mihi dare idem (sic) mansi consveuerant, ad prefatam domum lumina, tam per diem, quam per noctem in perpetuum debeant comparari. Excipimus eciam predictos tres mansos ab omnibus solucionibus atque grauaminibus, et ab omni seruitute, ut neque ipsi Sculteto, nec judici, neque domui, pro aliqua necessitate aliquid tenentur (sic) dare aut soluere, sed sint per omnia liberi: et omne seruicium quod mansi alij soluere tenentur jure thevtonico, isti predicti tres mansi omnia teneant et solvant ad illuminandam ecclesiam beate Marie

(¹) E tabula authentica membranacea Ill. Josephi Rusiecii propria. De tribus, quae eidem funiculis sericis rubei coloris appensa erant, sigillis, unum tantum restat rotundum oblongum, quod, etsi valde sit laesum, satis tamen clare effigiem stantis Abbatissae lituumque tenentis repraesentat. In ambitu verborum fragmenta: „.....*tissa con*....." adhuc legi possunt.

(²) Num hic de *Lubusz* (Germanis Leubus) oppidulo parochiali et villa in Silesia Borussica ad Viadrum sita Volaviensis districtus, sex milliariis a Vratislavia distante agi putem, an de *Lubosz* pago Wyskoczensis parochiae, regionis Costanensis in Magno Ducatu Posnaniensi sito, an denique de quodam alio loco similis nominis, ipse mecum dubito, quum uterque locus a villa *Olobok* 15cim circiter milliariis sit remotus.

(³) *Olobok* villa parochialis in M. Ducatu Posnaniensi, Odolanoviensis regionis.

virginis in *Olboch*. In cuius rei testimonium, ne aliquis ausu temerario hanc meam donacionem attemptet violare, presentem cartam feci meo et venerabilis domine Sophie Abbatisse, atque domini Ducis sigillo communiri. Datum in *Olboch*, anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo tercio, in die Dyonisij martyris. Testes autem hij sunt: Berthrammus Sidilmanus Scultetus de *Mogre* (4), Ber.....tus frater ipsius, Henricus gener ipsius, Theodericus, Helvicus, Rudgerus generi ipsius, Ruprehtus cum filiis suis, Theodericus Scultetus de *villa Theoderici* (5) cum filijs suis, et alii quam plures de predicta domo: dominus Nicholaus Prior, dominus Henricus, dominus Johannes et frater Johannis Camerarius, et frater Syffridus, Gotfridus, Arnoldus, Wirzch filij ipsius hoc factum protestantur.

(4) Proximum puto, hic de villa *Mokrzec* vel *Mokrze* in M. Ducatu Posnaniensi, regione vero Costanensi agi, quae Wielichoviensis est parochiae.
(5) De villa hac, quae sit, nulla mihi prorsus est suspicio.

LV.

Leloviae, anno 1275 die 19. mensis Martii.

Boleslaus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, bona coenobii *Dlubnensis* alias *Imbramovicensis* dicti, Virginum Sacrarum ordinis Praemonstratensis, colonis extraneis cujuscunque sint nationis, frequentare sinit (1).

In nomine domini, amen. Ne gestarum rerum memoria processu temporis evanescat, et ad lites parati aditum inveniant malignandi, nos Bolezlaus dei gratia Cracowie Dux et Sandomirie una cum dilecta nostra coniuge illustri domina Kungunde Ducissa terrarum earundem, nostras actiones ad honorem dei existentes et ecclesie, aput nostros successores cupientes esse inconcussas, et perseverare semper stabiles et perhennes, tam presenti etati,

(1) Ex archetypo membranaceo doctt. Stronczyńscii proprio. Sigillum de cera vulgari, fasciculo e filis sericis rubri coloris appensum virum cataphractum praesefert, dextra hastam tenentem, sinistra innixum scuto effigiem aquilae, quae pansis alis subvolat, repraesentante. In ambitu vero sigilli leguntur haec: „†.....*Boleslai dei gra. Ducis Cracovie et Sandomirie.*"

quam postere, dignum statuimus promulgandas, quod ob amorem omnium bonorum retributoris et specialem favorem habitum et habendum collegij et conventus ecclesie de *Dlubna* (2) de unanimi et grato assensu baronum nostrorum: Comitis Warsonis Castellani, Neustamponis Palatini, et aliorum omnium nobilium Cracowiensium, damus et conferimus dicte ecclesie et conventuj de Dlubna plenam et liberam potestatem locandi Theuthonicos sive alios quoscunque homines cuiuscunque linguagij, per totum territorium prefate ecclesie Dlubnensis, et specialiter in villis: *Veligavez, Zagorova, Trethes, Styborche* (3) wlgariter nuncupatis, et etiam in silvis eisdem villis adjacentibus, et breviter in omni territorio quodcunque spectat ecclesie sepe nominate, que sita est in Castellanija Cracowiensi, jure Novoforensi, seu quocunque alio jure maluerint Theutonico, pacifice et quiete locandi et perpetuo possidendi; facimusque ejusdem territorij incolas perpetuo jure ac consvetudine iuris Theutonici et omnimoda libertate congaudere, ita, quod omnes incole et inhabitatores, quicunque in (sic) sepedicte ecclesie (sic) mansionarii invenientur, *prevod* ducere non debent, nec custodem dare, neque *zlad;* item neque *strosam,* neque *stan,* neque vaccam, neque caput, neque ovem, neque septuaginta, neque quindecim, aliquatenus solvere teneantur, et a solutionibus et exactionibus, angariis et perangariis, et omnibus juribus polonicis nobis de jure vel de facto spectantibus, idem homines perpetuo liberi sint et exempti. Nec ad alicujus tribunal citatorie sunt vocandi, nisi ad suorum dominorum, videlicet conventus Prepositi vel Solteti (sic), quorum obsequiis et instancijs

(2) Aliud jam nomen habet villa, quae olim *Dlubnia* appellabatur; nec dubitandum, esse hanc, quae paulo posteriori tempore *Imbramowice* dici coepit, et sic hucusque appellata, in littore rivi Dłubnia sita est, ecclesia parochiali et coenobio sacrarum virginum Praemonstratensis ordinis insignis, Olkussiensis territorii et regionis. Siquidem Dlubnense monasterium ab Ivone Episcopo Cracoviensi (itaque ante annum 1229) conditum esse, Dlugossius Lib. VI. p. 642 tradidit; eadem autem et Imbramoviciensi monasterio origo tribuitur. (Vid. Balińscii et Lipińscii: *„Starożytna Polska"* T. II. p. 83). Dlubnensis coenobii in nostra hac tabula propriae fuisse dicuntur villae: *Wielka wieś, Zagórowo, Trzycież* et *Sciborzyce;* omnes autem hae villae, (de quibus vide sis annotationem proxime sequentem) Imbramoviciae proximae sunt, quas ad coenobium loci hujus non ita pridem pertinuisse notum est. Jam vero et Nakielscius (*Miechov.* p. 151) monuit Dlubniam et Imbramoviciam unam eandemque villam esse. Est quidem et in territorio Reipublicae Cracoviensis prope Mogiłam praedium rusticum *Dlubnia* dictum, de quo in Nakielscii *Miechovia* p. 102 fit mentio: hoc tamen in nostra tabula intelligi non posse, luce clarius est.

(3) *Wielka wieś* parochiae Białykościołensis, *Zagórowo* parochiae Imbramovicensis, *Trzycież* v. *Trzyciąż* parochiae Jangrotensis, *Sciborzyce* parochiae Wysocicensis villae, omnes sunt Olcussiensis territorii regionisque, in propinquo Imbramoviciae.

ad hoc sumus etiam inclinati. Quibus etiam auctoritatem concedimus criminales tractare causas et earum dirimire (sic) questiones, furta cohibere, homicidas punire, et alios malefactores ultimo supplicio deputare. In hijs et similibus ea utantur auctoritate, qua cives de Cracovia et Judices de *Bochna* (4) coutuntur (sic). Si vero aliquis excessus gravis et enormis emerserit, quem Solteti vel eorum dominj dirimere non valebunt, tunc ad nostram presentiam littera nostro sigillo sigillata citabuntur, et coram nobis non aliter, quam suo jure Theutonico judicabuntur. Cum autem gens aliena invaserit terram nostram hostiliter inpugnando, tunc quilibet Soltetus eorum metterius cum duobus armatis nobiscum ad expeditionem equitare sint astricti. In cujus rei memoriam et testimonium, presens ei scriptum indulsimus nostro sigillo roboratum. Actum publice anno dominj M° CC. LXX. quinto. Datum in *Lelov* (5) XV° Kalendas Aprilis, presentibus hijs: Warsone Castellano Cracowie, Procopio Cancellario Curie nostre, Laurentio Dapifero Sandomirie, Sulcone Camerario Ducisse, Petro Lancomir (sic), Gregorio Dapifero Ducisse, Twardozlao Subcancellario curie nostre, et alijs quam pluribus.

(4) Oppidum *Bochnia* in Galicia anno 1253 privilegium juris municipalis Teutonici, quo Vratislavia utebatur, a Boleslao Pudico nactum est; quod quidem privilegium in opere Hieronymi Łabęcki, quod „*Górnictwo w Polsce etc.* inscribitur, Varsaviae anno 1841, T. II. p. 82 sqq. typis descriptum est. Cracovia autem, quae jam ante 1244 annum jure Teutonico utebatur (Vid. *Cod. dipl. Hung.* Fejeri T. IV. volum. I. p. 353), anno 1257 instaurato privilegio ejusdem Boleslai Ducis, itidem ad normam juris consuetudinisque Vratislaviensis regi jussa est.

(5) *Lelów* oppidum parochiale Olkussiensis territorii, regionis vero sui nominis caput.

LVI.

Sine loco, anno 1275 die 1ᵃ mens. Maji.

Vladislaus cognomine Locticus Dux Lancicîae et Cujaviae, villam *Sokolowo* dictam Nicolao cuidam nobili vendit, eandemque jure Teutonico, quo civitas Brestensis utebatur, regi jubet, munus et beneficia sculteti praedicto impertiens Nicolao (1).

In nomine domini, amen. Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, nos Wladislaus dei gratia Dux Lancicie et Cuiavie, viro nobili

(1) Tabula confirmationis hujus privilegii, quam Rex Sigismundus I. Petricoviae anno 1538 die 23 mensis Januarii Stanislao, Petro et Jacobo Scultetis Sokoloviensibus largitus est,

Nicolao vendidimus villam nostram que dicitur *Sokolow* (2) pro decem marcis, iure Theuthonico locandam; contulimus et sculteliam sibi et eius posteris hereditario jure ac pacifice in perpetuum possidendam. Statuimus enim in ipsa villa *Sokolow*, ut ius et consuetudo in omnibus et per omnia civitatis *Brzestensis* (3) habeatur. Libertatem sibi contulimus ad faciendum juditium super omnes qui male fecerint. Libertatem incole ipsius ville de pratis (? aratis) agris, duobus, de virgultis vero duodecim annis omnimodam a censu annuo conservabunt: annis vero duodecim peractis, scultetus predictus seu posteri ipsius sextum mansum per (? pro) se liberum retinebunt a solutione omnimoda censuali et decimali. Dedimus eidem Sculteto scilicet Nicolao et suis successoribus tabernam libere possidere. Ecclesiam licebit eidem edificare lapidibus, lateribus, seu lignis. Item sittum molendinum iuxta districtum sue ville gadium, ubicumque Sculteto placuerit, dummodo nostro molendino secus civitatem Brzestensem posito in nullo videatur preiudicare, pro sue ponet placito voluntatis; de quo sibi fructum meritum reportabit. Ad faciendam piscinam ex utraque parte littus (sic) et arenam libere accipiendam; et in eadem piscina nullus preter eum, vel cui remiserit, ausus sit pisces venarj. De iudicatu suo Scultetus denarium tertium, nos vero duos habebimus assignatos. Juditium, consuetudo, census et jura, que in civitate predicta Brzestensi habentur, in villa eadem perpetuo servabuntur plenarie et illese, et eodem more, quo incole de *Gostyn* (4), censum et decimam simi-

et qua illud ad verbum descriptum continetur, libro manu scripto 54to fol. 303 tabularii regii Varsaviensis, *Metryka koronna* vulgo dicti, inserta est—Omnium quidem, quas hucusque offendimus a Vladislao Loctico profectarum tabularum, haec prima et vetustissima nobis esse videtur; ideoque cum ceteris nonnullis, quas corpori nostro inseruimus fratrum Vladislai Loctici tabulis, multum facit, ut res de ditione Casimiri Ducis Lanciciae, Cujaviae et Siradiae, inter filios ejus dispertita, quae hucusque dubia erat, magis eluceat. Conf. Röpelli *Gesch. T. I. p.* 491.

(2) Duae sunt villae *Sokołów* vel *Sokolowo* dictae, de quibus hic agi verisimile est; altera parochialis Gostyninensis territorii regionisque, altera parochiae Kruszynensis Cujaviensis territorii, Brestensis vero regionis; quarum tamen haec posterior in tabula nostra intelligenda eo magis videtur, quo ad fluvium *Zgłowiączka* fines oppidi Brestensis praeterfluentem sita est, ita, ut molae aquariae Socoloviae et Brestiae in eodem flumine conditae, sibi invicem officere et obstare possent. Haec autem potissimum molae ducalis Brestensis damna, ne a mola Socoloviensi inferantur, praecavet privilegium nostrum.

(3) *Brześć* (Kujawski) oppidum parochiale, Cujaviensis territorii, regionisque sui nominis caput.

(4) *Gostynin* oppidum Masoviensis nunc provinciae, territorii et regionis sui nominis caput, octo circiter milliariis a villa *Sokolowo* distat.

lem persolvere tenebuntur. Ecclesie duos mansos libere dedimus possidere, quam (? quos) pro nostro placito conferemus. In pascuis jus et consvetudo sepedicte civitatis Brzestensis requiratur. Contulimus etiam sibi lacum, qui est in villa, ut nullus in eodem lacu audeat piscarj, nisi vadando. Insulam, que est in medio lacu, sibi dedimus, ego et mater nostra, pro edificanda curia; et nos honoravit (sic) centum quattuor modijs avene. Item si cultores ville, propter metum paganorum, firmare poterunt lacum (? locum) illum, nostrum juvamen habere debent. Et ut omnia premissa bonum sorciantur effectum, presens instrumentum nostri sigilli munimine duximus roborandum. Datum per manus Jacobi Clerici nostri, mediante Alberto nostro Subiudice. Presentibus hijs: Prebislao Thezaurario nostro, Medico Nicolao, Jacobo Subdapifero, Dimitrio Subagazone, Joanne Sculteto de *Cowal,* Rudgero de *Sokolow* (5), Joanne Plebano Brzestensi. In die Walpurgis.

(5) De Sculteto *Sokoleviae* villae Gostyninensis regionis, quam in annotatione secunda indicavimus, hic agi puto. De oppido *Kowal* vide annotat. 4tum pag. 60.

LVII.

Pobiediscis, anno 1278 die 6ta men. Januarii.

Boleslaus dictus **Pius** Dux Gnesnensis et **Premislaus** II Dux Posnaniae, donationem octo villarum a Benjamino Palatino, fratribus Cisterciensis ordinis Paradisiensibus, ad condendum ibidem monasterium (*Przemętense*) factam, ratam esse jubent (1).

In nomine sancte et individue trinitatis, amen. Ut in nostris gesta temporibus perpetue stabilitatis robur obtineant, et ad nasciture posteritatis noticiam protingant, salubriter maturiori consilio provisum est, res sollempniter gestas sigillatis apicibus eternare. Nos igitur Bolezlavus dei gracia

(1) E tabula authentica membranacea, in tabulario provinciae Posnaniensis publico, quo scripta sublatorum coenobiorum collata sunt, Posnaniae asservata. Quum duo olim fuissent funiculis sericis viridis rubeique coloris appensa sigilla, nunc jam unum tantum, et quidem Boleslai Pii superest sigillum cereum rotundum, ut nobiscum doctiss. Stronczyński, qui tabulam descripserat, communicavit.

Dux Gneznensis et Premisso ejusdem dei gracia Dux Poznaniensis, tam ad futuri quam instantis temporis universorum Christi fidelium, quibus presens exhibitum fuerit instrumentum, noticiam volumus pervenire; quod vir nobilis Comes Benya (2) Palatinus Polonie, illius ewangelici hominis bonas querentis margaritas exemplo edoctus, pro temporalibus eterna, pro labilibus stabilia, pro vilibus preciosa studens sedule comparare, in suam suorumque salutem, ad honorem dei et salvatoris nostri Jesu Christi, simulque ob ejusdem redemptoris Christi Jesu matris et virginis gloriose reverentiam, contulit domino Ol(rico) Abbati de *Paradiso* (3) et suo conventui quasdam a nobis sibi collatas hereditates, que vulgariter hijs nominibus nuncupantur: *Prisseca* (?), *Obrizca* (?), *Zossinidna*, *Lupiza*, *Ptove* (?), *Pyriz* (?), *Oslonino*, *Veleno* (4) cum omnibus utilitatibus et proventibus, molendinis, agris, pratis, pascuis, silvis, mellificiis, piscationibus, aquis, paludibus, metis et terminis, prout ab ipso Comite Benya quiete et pacifice sunt possesse, ullo umquam interveniente obstaculo, jugiter possidendas. Contulit namque ad construendum Cisterciensis ordinis monasterium, constitutis ibi fratribus, qui multa religione pollentes, morum honestate profulgentes et circa pauperum Christi obsequia diligenter intenti, juxta prophetam eciam suorum vitulos deo jugiter immolant labiorum, et innocentes orationibus cum assiduis levantes in celum manus, districtum incessanter nostris pro offensis judicem interpellent. Nos vero huic donationi congaudentes et plenum prestantes consensum, una cum ipso

(2) *Benjamin* in plurimis ceteris tabulis vocatur Palatinus hic Posnaniensis.

(3) *Paradyż* villa in M. Ducatu Posnaniensi parochialis, regionis Medzirzecensis. Olricum autem vel Ulricum Abbatem coenobii Paradisensis tunc temporis fuisse, tabulae aequales in Codice diplomatico Majoris Poloniae Raczyńsciano docent.

(4) Villas, quae hic *Prisseca, Obrizca, Ptove* et *Pyriz* vocantur, ea certe de causa invenire non potui, quod mendose ex archetypo descripta mihi esse videntur. Siquidem suspicor, in archetypo pro Prisseca *Primeth,* pro Obrizca *Oleinica,* pro Ptove *Percove* (Pcove) scriptum fuisse, quae villae, scilicet *Przemęt* (ubi a Benjamino Palatino anno 1278 monasterium fundatum esse traditur in *Archivo theologico* Jabczyńsoii anni 1836 libello IV. p. 473), parochialis villa, *Olejnica* (Oelpuche Germanis), *Perkowo* (alias Novum Przemęt dicta), villae sunt sibi vicinae Przemętensis parochiae, et in proximo reliquorum hic nominatorum bonorum. *Ciossaniec* (Zossinidna!) enim, (Germanis Schusenze) villa parochialis, *Łupice* et *Oslonino* (Germanis Schleunchen) villae parochiae Staroklasztorensis, et *Wieleń* (Germanis Feblen) villa parochialis ad lacum ejusdem nominis, aeque ac supra nominatae villae, omnes sub eodem sunt fundi jure, in Magni Ducatus Posnaniensis Babimostensi regione, prope Wielenensem lacum. Quae autem sit villa, superius in tabula *Pyriz* nuncupata, conjectura nihil assequi potui.

Comite Benya, in nostram predictum recipimus claustrum fundationem et tuitionem, volentes, ut ipsum plena gaudeat libertate. Ita, ut ejusdem homines claustri, sive Theutunici sive Poloni sint, neque coram Castellano, neque ab aliquo judice possint vel debeant judicari, sed sint liberi et exempti ab omnibus servitiis et exactionibus que hactenus in terra nostra fieri consveverunt vel denuo (? demum ?) poterunt exoriri, scilicet: a *prevod*, a *stroza*, a *podvorove*, a *povos*, a *naraz*, a *slad*, a *pozradlne*, ab *opole*, a vacca, a porco, a vicinia, ab occisione capitis, a ponte edificando seu reparando, a cunctis indifferenter angariis, perangariis, quibuscunque nominibus censeantur. Hanc etiam prelibatis conjugimus prerogativam, ut ipsius homines claustri ad nullius usquam vel unquam compareant citationem, nisi nostro nostram vocentur ad presentiam anulo vel sigillo. Preterea predicto conferimus claustro, ut si hereditates habitas vel habendas ad excolendas (sic) Theutunicis tradere voluerint (sic), plenum nostrum habeat consensum. Ita quod suarum Sculteti villarum omnia judicent judicia majora pariter et minora. Adicientes, quod sepedicti fratres in terra nostra a theloneo cum [tota] sua familia sint exempti, nec homines eorum castra, civitates edificare seu reparare, vel ad expeditionem ire cogantur, nisi ad terram nostram in necessitatis articulo defensandam. Ut igitur [hec nostra] donatio coram nobis et nostris Baronibus celebriter habita inconvulsa jugiter perseveret, eandem hic conscriptam principatus nostri auctoritate duximus roborandam et nostrorum appensione sigillorum muniendam. Hujus memorati Benya donationis et nostre confirmationis testes sunt: Vincentius Cancellarius et Cantor Poznaniensis, Johannes Archidyacon Poznaniensis, Bogumilus Prepositus *Scantociensis* (5), Herkenboldus Palatinus Gneznensis, Petrico Castellanus Poznaniensis, Nycolaus Judex Poznaniensis. Acta sunt in *Pobodis* (6), in communi colloquio coram nostris Baronibus universis, anno domini M° CC° LXX° VIII°,—VIII° Ydus Januarii, Indictione VI, Epacta VIII, Concurrente VI (7).

(5) De oppido Santok vid. annotat. 3. pag. 37.

(6) *Pobiedziska* (Pudewitz Germanis) oppidum in M. Ducatu Posnaniensi parochiale regionis Szrodensis.

(7) Indictionis litera recte indicata est; sed Epactarum et concurrentis litterae false scriptae esse videntur, siquidem anno 1278, ad quem Cyclus solaris 27us, aureus vero numerus VIus referebatur, Epactae VItae, concurrens vero Vtus proprius erat.

LVIII.

Plosci, anno 1278 die 4. mensis Maji.

Boleslaus Dux Masoviae, jus dominii, quod Abbas Martinus et fratres coenobii Lubinensis ordinis S^tl Benedicti, in villa *Jeżów* et aliis quibusdam provinciae Masoviensis longo ex tempore habuerunt, auctoritate sua firmat variisque immunitatibus ampliat, sic praeclara in se merita praedicti Abbatis remuneraturus (¹).

In nomine domini, amen. Ne donaciones et confirmaciones Principum racionabiles a memoria hominum elabantur, dignum est, eas litterarum ac testium munimine perhennare. Quapropter nos Boleslaus dei gracia Dux Mazovie notum facimus universis tam presentibus, quam futuris presentem paginam habituris, quod inspectis fidelibus gratis et necessarijs obsequijs reverendi viri domini Martini Abbatis Claustri *Lubinensis* et *Yezeviensis* (²) ordinis sancti Benedicti, que nobis in nostris arduis necessitatibus fideliter demonstravit; cum enim in expedicione in Polonia cum dilecto fratre nostro Illustri Principe domino Vladislao Duce Syradie (³) preliaturi contra Principem Henricum Ducem *Glogovie* (⁴) prope *Crivin* castrum (⁵) fuissemus, idem

(¹) E tabula authentica membranacea Ill. Comitis Leonis Rzyszczevii propria, cujus sigillum jam desideratur, funiculus autem sericus, quo appensum erat, viridis est coloris. Argumento tabulae hujus innixus tradidit Dlugossius ea, quae de victoria Boleslai Masoviensis et Vladislai Loctici tunc Siradiensis Ducis de Henrico Glogoviensi reportata Lib. VII. p. 814. apud eum legimus. Quod autem locus pugnae ibidem ad castrum *Czerwin* referatur, id errore typothetae factum esse arbitror, nomine loci *Crziwin* (Krzywin) sic detorto. Eandem tabulam novisse, etiam Naruszevicius videtur. (Vid. ejusd. *Hist.* T. V. p. 17, edit. Most.) Czackius autem ejus confirmationem a Rege Sigismundo I. anno 1519 impertitam fuisse memorat (Vid. librum ejus *O litewsk. i polsk. prawach*, T. I. p. 85. ed. Posnan.), quam re vera privilegium hoc Boleslai Masoviensis, et privilegium filii ejus Ziemoviti anno 1334. collatum continentem, libro 33^tio fol. 186. seqq. tabularii Regii Varsaviensis *Metryka Koronna* dicti, insertam esse scimus.

(²) De villa et monasterio Lubinensi jam supra in annotatione secunda ad tabulam N° XXX. praemissam, mentionem fecimus. *Jeżów* autem oppidum est hodie parochiale et villa in Regno Poloniae territorii Ravensis, Brzezinensis regionis.

(³) De Vladislao Loctico hic agi non dubito. Conf. Roepelli *Gesch.* I. p. 491. not. 9.

(⁴) Henricus Dux Glogoviae filius Conradi, ab anno 1273 ad annum 1309 ad gubernacula Ducatus sui sedebat. Est autem *Glogovia* Silesiae Borussicae urbs et castrum, districtus caput, Lignicensis territorii, septem circiter milliariis a Lignicia, quatuordecim vero a Vratislavia distans, in sinistro Viadri litore sita.

(⁵) *Krzywin* oppidum in M. Ducatu Posnaniensi parochiale, prope *Lubin* villam, Costanensis regionis.

reverendus vir dominus Abbas nobis multum et magnum honorem exhibuit, et expensas copiosius ministravit, et, quod maius est memoriaque recoli dignum, cum quadam noccium hostes homines fortes dicti Principis Glogovie staciones exercitus nostri latenter subintrassent, dampnum nobis inferre cupientes, prefatus Abbas prout fidelis, ad nos eadem nocte propria in persona veniens, nobis incursum hostium eorundem veraciter indicavit; mox quantocius et caucius ad locum indicatum misimus, qui sencientes fugam inierunt, quos nostri usque ad castrum *Crivin* sunt viriliter persecuti; sicque nos et nostros reverendus vir et fidelis promuniendo, a maximo dampno et mortis periculo fideliter liberavit; pro eo sibi nostram graciam spopondimus ampliorem. Cumque reverendus vir Abbas predictus ad nos in *Ploczk* tandem aliquando post aliquot temporis spatium venisset, pro quibusdam gracijs domui Yezeviensi faciendis, assidentibus dilectis nostris filiis Semovito videlicet et Troydino Ducibus et alijs Baronibus, nobis humiliter supplicavit; cujus meritorum beneficijs nobis impensis memoriter recolentes, et assessoribus seriem beneficiorum ipsius exponentes, precibus eius dignis annuimus gratiose. Unde propter spem et salutem vite eterne, quam nobis a domino et nostris predecessoribus ac posteris exoptamus, de communi consilio dilectorum filiorum nostrorum predictorum et Baronum favore et assensu, domum et villam in Yezov et has villas ad eandem ab antiquo pertinentes, videlicet: *Goram, Jassinino, Miculino* et *Crosnovam* (6) monasterio Lubynensi et fratribus ibidem ordinis sancti Benedicti dudum a patribus nostris collatas et asscriptas, prefato domino Martino Abbati et suis successoribus claustro Lubynensi, cum omnibus utilitatibus que nunc in eisdem sunt et in posterum fieri poterunt, in perpetuum possidendas innovantes addicimus et conferentes presentibus sollempniter confirmamus. Volentes et firmiter statuentes, ut sicut patres nostri a fundacione ecclesie dicte domum ibidem Yezeviensem ordinem sancti Benedicti et fratres sub eodem inibi deo militantes illibate sine querela servaverunt, sic eciam et nos cum nostris posteris et successoribus, dictam domum, ordinem et fratres ibidem sine mutacione et omni querela conservare merito condecet et offensa. Et ideo dictam domum et fratres in nostram

(6) *Góra, Jasień* et *Mikulin* villae Jeżoviensis, *Krośnowa* autem Słupiensis parochiae, territorii sunt Ravensis et Brzezinensis regionis in Regno Poloniae.

nostrorumque omnium successorum recepimus curam et tuitionem specialem, quam domum, Prepositum et fratres [ullis viole]ntiis, molestijs seu penis nolumus quoquo modo subiacere. Preterea ex plenitudine gracie nostre, ob amorem dei et sanctorum eius, ob remedium eciam anime nostre, nostrorumque omnium predecessorum et successorum ob salutem, ob merita eciam et preces prephati viri domini [Martini Abbatis] fratrumque ipsius, predictam domum et villam in Yezow et alias villas superius nominatas, et villanos ipsarum absolvimus omnimode ab omnibus universaliter solucionibus omnium exaccionum, ab equo, vacca videlicet porco et ariete, quod wlgariter *narsaz* dicitur, a citacione castri [et n]on comparicione ([7]) quod *nestane,* a curijs quod *podvorove,* a fumigacione quod *podymne,* ab avena quod *por..ecżne* vocatur, a castoribus, a conductu cuiuslibet rei, quod *prsevod* nuncupatur, a *strozha* custodia, *sron* pruina, *pobor* solucio, a falconibus et a *psarske* quod peramplius non suscipiantur nec pascantur, neque falcones; ab angariis eciam, preangariis et vexacionibus juris Polonicalis Procuratorum, honoratorum, officiatorum, venatorum, subvenatorum, et eorum pedaneis (sic) officialium nostrorum et ceterorum ministerialium, a dacione eciam quorumlibet festivitatum ubicunque, quod *godne* dicitur, et ab aliis omnibus, quocunque nomine censebantur, prorsus exementes (sic). Monetam vero, que *obras* dicitur, et annonam, que *sep* vocatur, et communem terre solucionem, que *poradlne* nuncupatur, ad instanciam dicti Abbatis Preposito de Yezow et fratribus ibidem decem annis dedimus percipere inconvulse; quibus evulsis, ad nostros demum usus spectabunt. Sed stacionem in *Yezow* amplius habere monetariis sive nostris nunciis prohibemus; qua recepta, mox alias divertantur. Absolvimus eciam dictam domum et villas ipsarumque incolas eternaliter ab edificacione quorumlibet castrorum, et ab omnibus quibuslibet laboribus universaliter, a citacione quoque, a judiciis Palatinorum omnium et Castellanorum, judicum nostrorum et officiatorum quorumcunque, ut per eos amplius non citentur, nec iudicentur, nisi coram Preposito sive ipsius iudice astabunt querulantibus responsuri. Et precipue Prepositus, cum sit spiritualis, per omnia non iudicetur a quoquam iudice nostro, nec Palatino, Castellano,

([7]) Verba et fragmenta uncis [ ] interclusa, ut nobis verisimillime videbatur, libri tabularii Varsaviensis ratione habita, pro verbis usu chartae detritis substituimus. Hoc tamen loco in libro praedicto, verba *„et a comparicione"* leguntur.

honorato seu officiato in omni causa; nec citetur, et citatus non compareat, maxime suis incolis ad obiecta responsurus, pena totaliter procul mota; nisi pro gadibus hereditatum; tunc coram nobis comparebit, littera tamen sub anulo nostro ad nostram presenciam evocatus. Contulimus domui predicte eciam, ob spem salutis eterne, precibus reverendi viri dicti Abbatis inclinati, ut quocienscumque aut quocumque modo homines domus dicte ac villarum predictarum se mutuo occiderint, cuiuscunque condicionis aut sexus fuerint, aut liber asscripticium, aut asscripticius liberum, aut liber liberum, aut asscripticius asscripticium intra terminos bonorum ecclesie seu alibi, Prepositus dicti loci totam penam homicidii tollet in eisdem. Si autem homo Prepositi extraneum, aut extraneus Prepositi occiderit, cuiuscunque condicionis aut sexus, ut prefertur, extiterit, Prepositus mediam partem homicidii habebit. Si autem homo occisus vel qualicunque morte preocupatus, sive plures intra terminos bonorum domus dicte inventus fuerit, cuiuscunque condicionis, etatis, preeminencie, gradus, status aut sexus extiterit, eo, quod venerabilis vir dominus Martinus sepedictus claustri memorati, nos et Barones nostros et quam plurimos a mortis periculo illo tempore liberavit, cum circa *Crivin* castrum supranominatum in Polonia fuissemus, villas sepedictas et incolas ipsarum domus dicte, a pena huiusmodi homicidij, sive Ducatus nostri, sive cuiuscunque honorati, et precipue Castellani castri de *Bala* (8) et ab urna mellis capitalis, tam in hac causa, quam eciam in premissis totaliter excipientes absolvimus et liberos eos reddimus presentibus et immunes. Sed ad quem huiusmodi pena de iure pertinuerit, reum querat, et in eodem penam iure repetat capitalem. Denique forum, theloneum et forense quod *targove* dicitur, donacione Serenissimi Principis pii Wladislai antipatris nostri felicis recordacionis (9), ecclesie ac dicte domui Yezeviensi et fratribus ibidem ab antiquo datum, statutum et scripto confirmatum, quod scriptum cum in expedicione supradicta fuissemus, vidimus et lectum audivimus, et manibus nostris contrectavimus, idem forum, theloneum et *targove* libere ac pacifice dicte domui et fratribus habendum, exercendum, percipiendum et perfruendum

(8) *Biala*, oppidum parochiale Ravensis territorii et regionis.
(9) Quem Vladislaum Ducem, quidque *antipatris* verbo Boleslaus hic denotare voluerit, non satis nobis perspicuum est: facile autem de Vladislao filio Odonis agi putamus, quum ab eodem Duce plurima monasterio Lubinensi privilegia impertita fuisse sciamus.

perpetuis temporibus confirmamus. Notum sit eciam omnibus tam presentibus quam futuris, quod Comes Mislimirus coram nostra nostrorumque Baronum presencia, ob suorum redempcionem peccatorum contulit domui Yezeviensi, pro construccione molendini, partem sui litoris in fluvio, qui *Rava* (10) wlgariter nuncupatur, iure hereditario libere, quiete ac perpetuo possidendam; in qua piscina sursum et deorsum per totum, nec ipse unquam, nec posteri sui, nec successores piscandi sive aliquod faciendi habebunt potestatem. Et ut hee racionabiles ac sollempnes donaciones nostre ac confirmaciones robur in perpetuum obtineant firmitatis, presentem paginam, in huius rei pleniorem evidenciam, venerabili viro prefato Domino Martino Abbati monasterii memorati ad profectum ecclesie ac domus Yezeviensis et fratrum dari iussimus, nostri sigilli impressione et appensione evidenter communitam. Actum et datum in *Ploczk*, in die beati martyris Floriani. Presentibus nostris prefatis dilectis filijs nostris Semovito et Troydino Ducibus, Getca Palatino, Hualislao Castellano Plocensi, Comite Nassegnevo, domino Jancone Cancellario curie nostre, et alijs quam plurimis fide dignis. Siquis autem posterorum seu successorum nostrorum, nostras donaciones et confirmaciones premissas rite ac racionabiliter factas et datas infrigerit (sic), indignacionem omnipotentis dei, et beatorum Adalberti et Stanislai martyrum eius se senciat irremissibiliter incursurum. Et nequis super hijs omnibus premissis quoquomodo dubitet, lecta est hec pagina et exposita in nostra nostrorumque dilectorum filiorum audiencia et Baronum. Data per manus eiusdem domini Janconis Cancellarij memoratj, sub anno gracie incarnacionis domini nostri Jhesu Cristi, Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo. Amen, id est fiat....fiat....fiat....fiat.

(10) *Rawka* nunc vocatur fluvius hic, cujus fons in villa *Leszczyny* prope *Jeżów* sita, ostia vero in *Bzura* fluvio, prope villam *Kęszyce* Bednarensis parochiae, Sochaczoviensis territorii et regionis.

LIX.

Cracoviae, anno 1278 die 28. m. Septembris.

Boleslaus dictus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, bona nobilium Radvanitarum, *Trebol* dicta, in ditionem Vladislai Ducis Osventimensis non transivisse testatur, iisdemque varias immunitates largitur (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam oblivio per successum temporis memoriam excludit gestorum, quibus eciam, iniquitate habundante hominum, obex calumpnie solet novercari, solers humane cautela prouidencie ascripto testium et scripti testimonio perhenne adinvenit remedium, quo humana gesta perpetuum sorciantur firmamentum. Proinde nos Boleslaus dej gracia Dux Cracovie et Sandomirie, notum esse volumus presentibus et futuris presencium noticiam habituris, quomodo, quamvis dederimus et perpetuo possidendas contulerimus omnes villas nostras in fluvio *Scaua* (²) wlgariter nuncupato iacentes, Illustri Principi domino Wladislao Duci Ossuancimiensi (³) pro-

(¹) E tabula authentica confirmationis Casimiri Magni Regis Poloniae anno 1356 lata et inferius exhibita.

(²) *Skawa* fluvius, cujus fons in montibus Carpaticis, prope villam *Spytkowice* in confinio Ungariae, ostia vero in Vistula prope villam *Smolice* Vadovicensis in Galicia territorii.

(³) In ditione Ducum Opoliensium erat Osventimensis provincia; quam simul cum Bytomiensi (ut tradit *Boguphalus* ap. Sommersb. II. 46.) a Casimiro Justo, Miecislao filio Vladislai e Polonia pulsi donatam, nunc primum (nisi fallor) nomine Ducatus insignitam reperimus. Quae enim in Szczygielscii *Tinecia* p. 153. legitur Wladislai Ducis Osventimensis tabula, haec falso utique annum 1250. asscriptum habere mihi videtur; quum Abbatem Tinecensem Danielem, de quo in ea agitur, ab an. inde 1287, usque ad an. 1293 dignitate hac functum esse, anno autem 1250 Boleborium Abbatem Tinecensem fuisse, non solum ipso Szczygielscio auctore (l. c. p. 51, 57) constat, sed etiam tenore tabulae anni 1251 in Nakielscii *Miechovia* (p. 171.) probatur, in qua Boleborius Abbas, testis personam sustinuit. Ducatus Opoliensis, progenita demum Vladislai Casimiridis Ducis Opoliensis prole minoribus varii nominis Ducatibus originem dedit, ut: Ratiboriensi, Falcomontano, Tostensi, Tessinensi, Bytomiensi, Osventimensi, Zatoriensi, Coselensi, Glivicensi, et aliis; quod patet e tabulis genealogicis Sommersbergii (T. I. p. 666) et Tilesii (ibidem pag. 746). Quumque nobilissimi rerum scriptores, qui investigandis Ducum Silesiae stirpibus operam navarunt (ut Sommersberg l. c. 677—680, et Stenzelius in tabula, quam operi suo, qui inscribitur „*Urkundensammlung* etc. in fine adjecit), nullum alium hoc tempore *Vladislaum* Ducem Opoliensem memorent, praeter Vladislaum praedictum Casimiri filium, quem anno 1286 aut 1288 mortuum esse censent; argumento hujus privilegii quodam modo comprobatur opinio Tilesii (l. c. p. 728 et 746), qui huic Vladislao ejusdem nominis filium successorem fuisse tradit,

uidentia divina, tamen excepimus villas ac hereditates militum nostrorum, et specialiter villas Raduanitarum *Trebol* (4) wlgariter nuncupatas, racione serviciorum nobis per ipsos fideliter impensorum, quos a Ducatu nostro Cracoviensi nullomodo volumus esse remotos, quia sunt seruitores nostri fideles, terre nostre Cracoviensis innati; quos ab eadem terra nulla racione volumus fore separatos. Hoc addito, ut frater noster Illustris Princeps Dux Wladislaus Ossuancimiensis iam dictus, in nullo ipsis dominetur, nec in seruicio, nec in citacione, nec eciam in aliqua exaccione, quia in eorum hereditatibus nullam contribucionem sibi soluere debent nec tenentur. Volumus eciam, ut per ipsum nullum impedimentum eis inferatur in venacionibus ipsorum usque ad metas Ungarie attingencium (sic) in silvis iacentibus usque ad *Pczusew* montem sic wlgariter nuncupatum, et usque ad *Mogilniciam* fluvium, et usque ad *Lenecz* villam, usque eciam ad fluuium *Solcza,* et usque ad montem *Zar,* usque ad montem *Vpik* vulgariter nominatum, que silve existentes ex utraque parte fluvij *Scauine* cum omnibus utilitatibus, mellificijs seu proven-

quem nos, dum pater viveret, parvae ditionis ejus portiunculae, Ducatui scilicet Osventimensi praefuisse arbitramur. Vix enim intelligi potest, quid causae sit, cur Boleslaus Pudicus tam celebrem Principem, qualis Vladislaus fuit, Ducem Osventimensem tantum, non autem Opoliensem appellet. Tum etiam, praedicta apud Szczygielscium Vladislai Osventimensis tabula, utique plus momenti argumento huic affert, licet in diei asscriptione mendosa sit; qua praeterea docemur, Vladislaum Ducem Osventimensem, Vlodimirum filium habuisse, qui collegio monachorum Tinecensium accessit, fratrem autem Janussium (forsan Jacussium i. e. Jacobum) Ducem Ratiboriensem, quem eundem esse putamus, qui in tabula genealogica Tilesii Jacobus Dux Ratiboriensis, frater Vladislai Vladislaidis dicitur, ab aliis autem scriptoribus silentio praeteritur. Nec multum officit ratio, qua in tabula hac nostra Boleslaum Pudicum se fratrem Vladislai Osventimensis dicere videmus, cujus avi frater erat (abnepos videlicet Boleslai Crivoustii); non enim ita subtiliter verba premebant Duces Poloniae antiqui, ut longinquae, qua conjuncti erant, cognationis vinculum, accurate in literis suis definire conarentur. Quum tamen nihilominus multum desit, ut res de hoc nostro Osventimensi vel Opoliensi Vladislao obscura explanetur, facile quisque mirabitur, difficultates, quae in investigandis stirpibus Ducum Opoliensium viros doctos inde ab seculo XIV^to impediunt, usque ad nostra tempora non tolli, sed potius augeri. (Conf. Stenzelii Scripp. rer. Siles. Tom I. p. 152 N^ro 5). — Quod attinet ad partem provinciae Cracoviensis, quam Vladislao his temporibus concessam fuisse, tabula nostra docet, videtur id factum ob compensanda damna desolationibus illata anno 1273, quo bella cruenta inter Boleslaum Pudicum et Vladislaum Opoliensem gesta sunt; quibus tandem pax anno 1274 composita, finem adtulit. Vid. Długoss. Lib. VII. pag. 800—804.

(4) *Trzebonia* nunc appellatur villa parochialis in Galicia, Vadovicensis territorii, prope *Myślenice* oppidum sita. Castri *Trzebol* autem periere etiam ruinae.

tibus ipsarum et fluvii *Sicpra* (5) dicti, iure hereditario pertinent ad Michaelem, Unazdonem et Slazonem. Protestamur insuper, quod silva nigra Michaeli et Unazdoni cessit in diuisione facta cum fratribus eorumdem, ad quam nullus fratrum ipsorum aliquem habet respectum. Super qua videlicet silva prefati Michael et Unazd venientes, petiverunt, ut eis libertatem villas locandi concedere dignaremur. Nos vero acquiescentes precibus ipsorum, verum eciam attendentes fidelia seruicia eorumdem, locare permisimus iure Theutonico sive Polonico, prout ipsis utilius videbitur expedire, et omnj iure tenere, sine dominio et molestacione alicuius, sicut nos ipse (sic) teneremus, ne a nobis separentur. Volumus eciam et rogamus omnes nostros successores, ut propter eorum fidelia seruicia nobis sepius impensa, nullum penitus preter semetipsos eis dominari permittant, ipsorum seruicia condigna diligenter retribuentes. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri iussimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum et datum publice in *Cracovia*, sequente die post Michaelis, anno domini M° CC° septuagesimo octavo, presentibus testibus subscriptis: domino Paulo Episcopo Cracoviensi, Comite Warsio Castellano Cracoviensi, Comite Janussio Palatino Sandomiriensi, Neustampone Palatino Cracoviensi (6), Miroslao Judice Cracoviensi, domino Tuar-

(5) Permultos in hac regione tabula Galiciae Liesgangii accuratissime concinnata montes exhibet; sed eorum nomina quum non indicet, nos de situ tam montis in tabula *Posuzew* v. *Pczuzew*, quam montis *Vpik* dicti, incertos reddit. Sed montem *Żar* vel *Żarek* dictum, unum eorum esse, qui Calvariensi coenobio proximi sunt, nulla mihi est dubitatio. *Mogilnicia* forsan is rivus est, qui in villa *Mogilany* tribus circiter milliariis a *Trzebonia* distante fontem suum habet, et prope *Szamborek* villam, Scavinam rivum intrat. Quae autem hic *Lenecz* nuncupatur, ea *Lencze* est villa, altera superior parochialis, altera inferior, utraque autem prope Calvariam oppidum sita.—Nec vero rivum *Solczam* vel *Solkam*, (quum fluvius *Sola*, qui, prope oppidum Osvetim, Vistulam intrat, nimis longe distet), nec *Sicpra* dictum, in tabula geographica designatam invenimus; proximum tamen est, rivulum, cujus fons prope villam *Sieprаw* (in territorio Bochnensi duobus milliariis a *Trzebonia* distantem), et qui prope *Krzyszkowice* villam *Scavinam* rivum intrat, *Sieprаw* etiam nominari, et eum, de quo hic agitur, esse. *Skawina* autem rivus, cujus fontes incerti sunt, ostia in Vistula habet prope villam *Tyniec*. Agri olim silvestres, de quibus tabula nostra loquitur, hi certe sunt, quos nunc in utroque littore Scavinae, sitae villae: Krzyszkowice, Głogoczów, Krzywaczka, Podchybie, Zarzyce, Wola Radziszowska, Radziszów, Polanka etc. occupant.

(6) Neustamponem Palatinum Cracoviensem, quem jam in tabula Boleslai Pudici anni 1274 in tabulario Capituli ecclesiae Cathedralis Cracoviensis asservata, loco testis nominatum videmus, nec in Niesiecii serie Palatinorum eorundem (*Korona* T. I. p. 109), nec in indice magistratuum Roepelli (saepe citato operi ejus adjecto) relatum invenimus.

doslao Vicecancellario nostro Cracoviensi, per cuius manus hec omnia sunt conscripta ac data, et alijs quam plurimis fide dignis.

LX.

Siradiae anno 1279.

Lesco dictus Niger Dux Siradiae Venceslao et Chojnoni quibusdam, villas *Zduniowice* et *Koźmianów* coloniis frequentandas confert, ita ut ipsi, et coloni jure Teutonico civitatis Novi fori regantur, variisque privilegiis et immunitatibus gaudeant (1).

In nomine domini, amen. Nos Lestco dei gratia Dux Syradiensis, notum esse volumus omnibus, tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis, quia hominibus nostris Wenceslao et Choynoni, villas nostras duas *Sdinuyowice* et *Chosmanowo* (2) jure Theutonico contulimus locare, de quibus villis nostris pro censu, mel solvere tenebuntur; primo anno duas urnas mellis solvent, secundo anno quatuor, tertio sex, quarto octo, quinto decem, sexto duodecim, septimo quatuordecim, octavo sedecim, nono octodecim, decimo viginti; et sic semper, evolutis istis decem annis, predicti locatores et eorum posteri perpetuo nobis annis singulis viginti urnas mellis forenses solvere tenebuntur. Concessimus etiam eisdem locatoribus in districtu earundem villarum, liberum construere molendinum; tabernam etiam liberam habebunt, et sextum mansum liberum. Ad nullam expeditionem inhabitatores predictarum villarum ire tenebuntur, nisi pro defensione terre

(1) E libris Siradiensis antiqui tabularii publici (quod archivum *judicii* olim *terrestris et castrensis* provinciae Siradiensis vocatur), et quidem e libro varia documenta anno 1406 ad diuturnam securitatem inserta continente, (e folio 38) auctoritate publica descripsit apographum tabularii hujus olim Praefectus Antonius Pstrokoński. Siquidem praedicto 1406 anno, die 8 mensis Augusti, Stanislaus, Nicolaus, Martinus et Bartholomaeus Sculteti villae Klonovae, privilegium hoc Lesconis, libris tabularii provinciae inseri curaverunt.

(2) Villas *Zdunajowice* et *Koźmianów*, quas nunc in Regno Poloniae frustra quaesiveris, ea esse bona, quae nunc Klonowa, Kuźnica, Leliwa, et Brząszewice appellantur, in historia locorum provinciae Siradiensis studiose et multum volutatus vir praedictus Pstrokońscius, tradidit. Sunt autem *Klonowa, Leliwa* et *Kuźnica błońska* parochiae Unicoviensis, *Kuźnica Kniecka* parochiae Rusiecensis, *Brząszewice* parochiae Wojocviensis villae, in Siradiensi territorio et regione sitae.

nostre. Contulimus etiam predictis locatoribus in districtu predictarum villarum, omnium ferarum venationes libere venari, arte quacunque poterint. De iudicio vero memorati Scolteti et posteri eorum tertium denarium habebunt. Omnes autem causas jure Novi fori judicabunt, preter illas, que ad decollationem et mutilationem alicujus membri extendentur; illas non judicabunt, sed nobis ipsas reputabunt, et nos eas eodem jure Novifori dijudicare faciemus. In omnibus causis seu solutionibus jus observabunt Novifori, sicut et alie ville nostre eodem jure sitte in ducatu nostro. Per Camerarium etiam non citabuntur inhabitatores predictarum villarum, sed per literam nostram. Et ut hoc factum ratum maneat et inconvulsum, in hujus rei testimonium presentem paginam contulimus nostri sigilli munimine roboratam: presentibus his testibus: domino Michaele Cancellario, Paulo Pincerna, Alberto Thesaurario, Paszcone Subdapifero, Joanne Subcancellario, Wilhelmo Advocato. Datum *Syradie*, anno incarnationis domini Millesimo CC° LXXIX.

LXI.

Siradiae, anno 1279 die 28. mensis Maji.

Lesco dictus Niger Dux Siradiae, privilegium Conradi Ducis Masoviae anno 1242 coenobio Cisterciensium *Sulejoviensi* impertitum, ratum esse jubet (¹).

Principum terrenorum munificentia etc. (Vid. priv. Conradi anni 1242. Radgosti datum N^ro^ XXXI. praemissum, usque ad verba: *„Has igitur donaciones et libertates" etc*).

Has igitur donaciones et libertates et nos Lestco dei gracia Dux Siraziensis filius Kazimiri fervore pii desiderii estuantes, ob honorem et reverenciam sancte et gloriose virginis et matris domini nostri Jhesu Christi, pie recordacionis avi et proavi nostri superius annotatas, in villis supradictorum fratrum domus de *Suleyov* sub nostro dominio constitutis nullatenus violari vel minui cupientes, set pocius ratas et firmas, illibatas et inconcussas

(¹) E tabula authentica membranacea Ill. Comitis Leonis Rzyszczevii propria, cujus sigillum jam desideratur, funiculus autem sericus rubri est coloris.

volentes inperpetuum permanere, sepedictis fratribus de Suleyov confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus; decernentes, ut nulli omnino successorum nostrorum liceat hanc paginam nostre perpetue confirmacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; quam nos eciam ad majoris roboris firmitatem sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum in *Siraz* in die [Conductus] Pentecostes, quinto Kalendas Junij (2), anno gracie Millezimo (sic) ducentesimo septuagesimo nono. Presente Comite Seteyo Palatino, Michaele Cancellario, Suanthozlao Spicimiriensi Castellano, Mathia Judice, Paulo Pincerna, Albertho Thesaurario Sirazdiensibus, et aliis quam plurimis viris venerabilibus et discretis.

(2) Anno 1279 festus dies paschalis, die 2da mensis Aprilis, Pentecoste itaque non 28va sed 21a die mensis Maji celebrabatur. Quod quum ita sit, tabulam ne spuriam vel adulteratam esse dicamus, id potissimum conjectura auguramur, quod librarius, in diei adscriptione, ante Pentecostes verbum, verbum „*Conductus*" errore omisit, sic enim, scilicet „Conductus Pentecostes" appellabatur olim dies post festum praedictum octava.

LXII.

Cracoviae, anno 1279 die 4 mens. Octobris.

Boleslaus dictus Pudicus Dux Cracoviae et Sandomiriae, villae *Tarnaviae* coenobii sacrarum virginum ordinis Praemonstratensis Imramovicensis propriae, privilegium juris Teutonici Noviforensis largitur (1).

In nomine domini, amen. Necesse est omnes acciones legitimas, que memoria indigent, per scripti continenciam in noticiam transmitti posterorum. Noverint igitur universi tam presentes quam futuri, quod nos Boleslaus dei gracia Dux Cracovie et Sandomirie, habita bona ac matura deliberacione,

(1) Descriptum ex archetypo integerrime servato, quod possidet Ill. Leo Rzyszczewski. Sigillum rubeis filis appensum, de cera vulgari factum, praesefert virum armatum stantem, dextra hastam tenentem, sinistra innixum scuto, quod supra volitantem aquilam repraesentat: caput tegitur galea in acutum desinente, brachia et crura laminis ferreis operta; lorica hamata ad genua protenditur. In circuitu sigilli leguntur haec: „*S. Boleslai dei gra. Ducis Cracovie et Sandomirie.*"

considerantes salutem anime nostre et profectum ac promocionem domus atque cenobij de *Imramovic* (2), concedimus et donamus de nostra gracia speciali, in presenti scripto confirmantes, quod Prepositus Threbezlaus cum sororibus et successoribus predicti cenobii, atque Advocatus de *Tarnova* (3) et sui posteri, memoratam villam Tharnovam cum omnibus suis usibus et pertinencijs inviolabiliter perpetuo possideant iure theutonico, tali videlicet modo et condicione, quo Novoforensis civitas se privilegiata esse gaudet et locata. Denique autem dignum statuimus, eos a cuiuslibet iurisdictione et predominio absolvendos; ita plane et plene, quod nullus omnino ad ipsos de cetero habeat respectum aliquem iudicandi, vel eciam ad ipsorum successores. Et ne procedente tempore quispiam ausu temerario ductus, hanc nostre deliberacionis piam donacionis voluntatem valeat infringere, presens eis scriptum super hoc confectum in memoriam et testimonium indulsimus, nostri sigilli munimine roboratum. Si quis autem ipsos aut ipsorum successores fatigare super hoc presumpserit, sciat, se indignacionem omnipotentis dei et nostram incurrisse. Actum publice in *Cracovia,* anno domini M° CC° LXXIX° feria quarta proxima post diem beati Michaelis Archangeli (4), presentibus hijs: Comite Sulcone Pincerna Cracoviensi, qui huius negocij exstitit ordinator, Comite Laurencio Camerario domine Ducisse, Comite Wirchoslao Dapifero Cracoviensi, Comite Nicolao Tezaurario Cracoviensi, Comite Goluchone Damny (sic), et Imramo fratre eiusdem Sulconis. Datum per manum domini Twardoslaij Subcancellarij curie nostre.

(2) *Imbramowice* villa parochialis in Olcussiensi territorio et regione.

(3) *Tarnawa* villa parochiae *Imbramovicensis,* Olcussiensis territorii et regionis.—Nomen Advocati Tarnaviensis silentio praeteritum est.

(4) Anno 1279. dies S^to^ Michaeli sacratus, dies scilicet 29. mensis Septembris, dies Veneris erat.

LXIII.

Sochaczoviae, anno 1280 die 27 mens. Martii.

Johannis I Episcopi Posnaniensis litera indulgentiarum ecclesiae *Czervinscensi* impertita (¹).

Johannes dei gracia Poznaniensis Episcopus, universis Christi fidelibus presentem literam inspecturis:.........de hijs de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de habundantia pietatis sue que merita supplicum excedit et vota bene servientibus multo maiora tribuat, quam valeant promereri. Desiderantes tamen reddere domino populum acceptabilem, fideles Christi ad conplacendum ei, quasi quibusdam illectivis premiis, indulgencijs scilicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gracie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia de *Cyrventzk* congruis honoribus frequentetur, et Christi fideles ibi eo lubentius adeant, quo magis exinde celestis dono gracie senserint se refectos. Omnibus vere penitentibus et confessis, qui predictam ecclesiam in nativitate domini tribus diebus, in Pasca tribus diebus, in Pentecosten tribus diebus, sancte Trinitatis, Johannis Baptiste, Petri et Pauli, Jacobi, in assumtione beate virginis, Bartholomei, in nativitate eiusdem virginis, in annunciatione, purificatione, in utroque festo beati Augustini, in utroque festo crucis, Michaelis, in XI. milium virginum, omnium sanctorum, Martini Episcopi, Nicolai Episcopi, Katherine virginis, Stanizlai martyris, in anniversario dedicationis ecclesie et consecrationis altaris cuiuslibet in eodem, devote accesserint, vel de bonis eis a deo collatis ad opus ecclesie vel subsidium Abbatis, cui ad sustentationem domus proprie non suppetunt facultates, manum porrexerint adiutricem, confisi de misericordia omnipotentis dei, XL. dies de iniuncta penitencia misericorditer relaxamus. Datum in *Sochacew* (²), anno M° CC° LXXX° quarta feria proxima post dominicam qua cantatur: *Oculi mei semper* (³).

(¹) E tabula authentica pergamena, nunc in bibliotheca Zamojsciana Varsaviae asservata, cujus sigilla, quae duo taeniolis pergamenis appensa fuisse videntur, desunt.—Superior quaedam chartae particula avulsa est.

(²) Vide ad tab. Nro XIIItio praemissam annotat. 4tam.

(³) Anno 1280. festus dies paschalis die 21. mensis Aprilis, dies itaque dominica *Oculi* dicta, die 24. mens. Martii celebrabatur.

LXIV.

Calissiae, 1284 die 18 m. Februarii.

Premislaus II Dux Poloniae Majoris, villae *Trąbczyn* Nicolai Thesaurarii Lądensis propriae, privilegium et immunitates juris Teutonici largitur (1).

In nomine domini, amen. Dum uiuit littera, uiuit et actio commissa littere, cuius assercio nutrit memoriam, et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Premizl dei gracia Dux Polonie, notum facimus uniuersis tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis: quod intuentes fidele seruicium et utile dilecti militis nostri comitis Nicolay Thezaurarij Lendensis, et eciam statum terre nostre cupientes in melius reformare, super sua hereditate que *Tropcssino* (2) wlgariter nuncupatur, sibi liberum dedimus arbitrium locandi ius theutonicum, eo iure, quo omnes ciuitates et uille per districtum nostri dominij possidentur. Ita uidelicet, ut eadem hereditas ab omnibus solucionibus polonicis, quibus nostrum potitur dominium, perpetuo sit exempta, a *naraz,* a *pouoz,* a *preuod,* a *stroza,* a *poduoroue,* a castri citacione, ab *opole,* a boue, a uacca, a ciso (? cifo) mellis (3), et ab alijs omnibus solucionibus, quibuscunque nominibus censeantur. Ut autem melius dicta hereditas informetur, incole eiusdem hereditatis *poradlne* soluere non teneantur. Ut autem hec nostra donacio perpetuo inuiolabilis perseueret,

(1) E tabula authentica membranacea, Ill. Comitis Josephi Rusieckii propria, cujus sigillum et funiculus, quo appensum fuisse, foramina rotunda indicant, jam desiderantur. Conf. privilegium Boleslai Ducis Posnaniensis anni 1276 in Lelevelii saepius laudato opere: *Początk. prawod. polsk.* p. 198 seqq; quod villam hanc *Trąbczyn*, ibi *Trupcino* dictam, tunc Nicolao eidem Thesaurario de *Lenda* (verbum enim *„detenda"* perperam ibidem a Lelevelio lectum et expositum est) a Ducibus Boleslao et Premislao II donatam fuisse docet.

(2) *Tropczyno* villam frustra in Polonia quaesiveris; sed nulla mihi est dubitatio, hic de villa parochiali *Trąbczyn* Coninensis territorii et regionis agi, prope oppidum Zagórowo sita, et duobus circiter milliaris ab oppido Lądek (et ab antiquo coenobio Ląd vel Lenda dicto) distante. Nomen *Trupcino* eidem villae in supradicto anni 1276 privilegio datum, nostram hanc opinionem vel maxime confirmare videtur. Quum enim secundum antiquam Polonorum scribendi rationem vocalis *u* loco *ą* et *ę* saepissime poni sit solita, sequitur, ut *Trupcino* idem sit ac *Trąpcino* vel *Trąbczyno.*

(3) Vid. apud Nakielscium tab. anni 1290 p. 214, ubi de *ciffo*, non autem de *ciso mellis* fit mentio. Cf. etiam Glossarium Ducangii verbb. *Cifatum* et *cifus.*

presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Presentibus hijs testibus: Comite Precslao Castellano Gneznensi, Comite Andrea Judice Gneznensi, Comite Sanziuoyo Castellano Rudensi (4). Datum in *Kalis,* anno gracie domini M° CC° LXXX° IIII°, Indictione XII° (5), feria sexta proxima ante dominicam *„Esto mihi,"* (6) per manus Thilonis Notarij curie nostre.

(4) *Ruda* olim castrum erat prope Wielunium oppidum. Conf. ad tabulam N° XXVIII. praemissam, annotationem decimam.
(5) Indictionis Romanae litera, recte indicata est.
(6) Dies dominica *„quinquagesima"* alias *„Esto mihi"* dicta, anno 1284 die 20 mensis Februarii celebrabatur.

LXV.

Anno 1284 die 11 men. Novembris.

Premislaus II Dux Majoris Poloniae, villam suam *Górczyno* Henrico de Tonch civi Posnaniensi confert colonis frequentandam, eidemque ibi privilegium juris Teutonici et munus Sculteti impertiens, beneficia et officia hujus muneris praescribit (1).

In nomine domini, amen. Dum vivit littera, vivit et actio commissa littere, cujus assertio nutrit memoriam, et roborata suscipit incrementum. Igitur nos secundus Przemisl dei gracia Dux Polonie notum facimus universis tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, quod inspectis fidelibus serviciis honorabilis viri et servitoris nostri domini (?)

(1) Tria esse in publico urbis Posnaniae tabulario hujus tabulae apographa, doctiss. Stronczyński asserit, quorum unum ex archetypo initio seculi XVI^mi privata ratione et opera, duo altera autem e confirmatione Vladislai Jagellonis Regis auctoritate publica descripta sunt. Horum alterum anni 1390 est membranaceum exemplar, sigillo parvo urbis Posnaniensis taeniola pergamena appenso munitum; alterum anni 1445, cujus tamen sigillum abruptum est. Dolendum sane est, doctissimum Stronczyńscium neque apographum, quo ad describendum nostrum exemplar usus est, indicasse, neque variantes lectiones alterorum adjecisse. — Conf. quae de eadem villa *Górczyn* retulit doctissimus Josephus Łukaszewicz, in opere suo, quod *„Obraz miasta Poznania etc."* inscribitur T. I. p. 227 seqq.

Henrici dicti de Tonch civis Poznanie [2], que nobis et nostris progenitoribus fideliter exhibuit et ostendit, de nostra non ficta voluntate et salubri habito nostrorum Baronum consilio, sibi suisque successoribus legittimis, nostram dedimus hereditatem que *Gorczyno* [3] wlgariter nuncupatur Theotunico jure locandam; ipsum et suos successores legittimos super jam dicta hereditate Scoltetum hereditarium statuentes, juxta jus Poznaniense. Racione autem sue locacionis ipse et sua posteritas jure hereditario libere possideant sextum mansum cum omnibus pertinenciis, sicut nos nostras possidemus. Judicare eciam habeant omnes causas inter Teuthonicos et Polonos, excepto suspendio, sentencia capitali ac homicidio, que cause coram Advocato Poznaniensi provinciali debeant diffiniri. Nichilominus earumdem causarum et aliarum omnium ubicunque locorum in ipsa villa vel alibi determinate fuerint, dictus Henricus et sua posteritas tercium denarium percipere teneantur, ut est: suspensio, homicidium et sentencia capitalis. Molendina quecunque sibi (? ibi) fieri poterint, ipse et sua posteritas perpetuo possideat libere et quiete cum una libera taberna. De ortis autem quidquid fieri potest in agris ipsis pertinentibus, cum omnibus utilitatibus libere possideant et quiete. Quidquid vero de piscinis fieri potest in districtu ejusdem hereditatis, ipsi et sui posteri libere valeant possidere. Dictus autem Henricus et sua posteritas bonis a nobis in eadem hereditate racione sue locacionis receptis, nobis et nostris successoribus nullo penitus sint obligati servicio, nisi cum necessitas fuerit defendere terram nostram, nec cuiquam solucioni vel comuni peticioni, que a mansis liberis exiguntur, subjacere in perpetuum ullomodo teneantur. Polonus ibidem existens incola, sicut alter Theotonicus subjacere juri Teotonico teneatur, ita, ut nullus nostrorum Castellanorum seu aliorum superiorum [4] cujuscunque condicionis fuerint, aliquem respectum habeant ad eandem. Incole autem ejusdem hereditatis, super cultis et incultis agris octo annorum habeant libertatem; cessante autem libertate, de quolibet manso parvo pro censu et decima fertonem argenti usualis, et mensuras siliginis sex, sexque avene in mensuram Poznaniensem solvere teneantur, de omnibus agris qui arari

(2) Qui et ubi sit locus *Tonch* dictus, a quo cognomen suum Henricus ille sumsit, nescio. Suspecta autem mihi est vox *domini* plebejo contra usum et consuetudinem aevi illius tributa.
(3) *Górczyn* villa parochiae Posnaniensis, vix dimidio milliario ab urbe hac distat.
(4) *„Supariorum"* forsan in archetypo legebatur.

possunt. De paludibus vero et pratis nunc ibi existentibus et provenientibus in futurum, prefatus Scultetus noster et sua posteritas perpetuo omnes utilitates percipiant libere et quiete; lepores autem, pardices et phazones ibidem venari teneantur. Pro ecclesia vero duos mansos liberos assignamus; et incole ejusdem hereditatis infra libertatem non solvant theloneum in terra nostra, et post libertatem, dimidietatem thelonei solvere teneantur. Scultetus autem noster jam dictus et sui posteri, infra libertatem et post libertatem, in perpetuum nullatenus solvere teneantur per universum nostri dominii districtum. Expedicionem vero ejusdem hereditatis incole extra terram nostram non faciant, sed ad defensionem terre nostre servituti (?) (5) teneantur. Censum non alibi sed in Poznania deducere teneantur. Ut autem nostra racionabilis donacio, et supradictorum omnium stabilis ordinacio perpetue inviolabilis perseveret, presentem paginam nostri sigilli munimine duximus confirmandam. Hij sunt testes: Comes Beniamyn Palatinus Poznaniensis, Comes Nicolaus Judex Poznaniensis (6), Comes Boguslaus Castellanus de *Usce* (7) et Subcamerarius Poznaniensis, Comes Grabia Subthesaurarius tocius Polonie, Janko Wlodarius Poznaniensis (8). Acta sunt hec anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, Indictione XII., et data in festo sancti Martini Episcopi et confessoris, per manus Tylonis Notarii curie nostre.

(5) „*Servituri*" forsan legendum est.

(6) Nicolaus hic in privilegiis Premislai IIdi non solum anni 1278, sed etiam anni 1284ti in *Archivo Theologico* Jabczyńscii libello IIItio anni Imi (1836) typis descriptis „*Judex curiae*" appellatur; privilegium autem ejusdem Ducis, anni 1280 in opere supradicto doctissimi Łukaszevicii T. I. p. 297 descriptum, rursus *Judicis Posnaniensis*, quemadmodum nostra haec anni 1284ti tabula eidem Nicolao titulum tribuit.

(7) *Ujście* oppidum parochiale, olim castrum ad fluvium Noteciam in Magno Ducatu Posnaniensi situm, et quidem in territorio Bidgostiensi, in regione Chodzieszynensi.

(8) Qui *Vlodarius Posnaniensis* hic esse dicitur, *Janco*, is in privilegio Premislai ejusdem apud Łukaszevicium l. c. T. I. 297) anni 1280, Procurator Posnaniensis nominatur. Conf. annotationem quartam ad privilegium anni 1292 inferius Nro LXXIX. exhibitum.

LXVI.

Vladislaviae, anno 1286 die 23 m. Junii.

Ziemomyslius Dux Cujaviae, villis ad coenobium Byszeviense Cisterciensis ordinis pertinentibus, privilegium juris Teutonici, praecipue autem ipsi *Byszeviae* jus municipale, quo Novoforensis in Silesia civitas utebatur, confert, omniaque haec bona, tum ab oneribus publicis pluribus immunia esse, tum nonnullis beneficiis libertatibusque gaudere jubet (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam acta mortalium oblivione vel morte intercepta, sicut experientia docuit, solent adnullari, si testimonio vivacis littere et voce testium non fuerint diligentius roborata; hinc est, quod nos Semomislius dei gracia Dux Cujavie, affectum Serenissimi Principis pie memorie domini Kazimiri patris nostri, eadem gracia Ducis Lancicie et Cujavie, quem ad fundandum et promovendum servitium dei in fundo de *Bissovia* (²) locum Cisterciensis ordinis habuisse dinoscitur, intuentes; ad noticiam tam presentium quam futurorum volumus devenire: quod in remissionem peccatorum animarum ejusdem patris nostri, conjugis nostre, ac liberorum nostrorum, cultum dei in loco predicto ampliari volentes, conferimus domino Abbati G. (erardo) (³) et ejusdem loci fratribus plenam et perfectam libertatem locandi jure Theutonico, quod Noviforense dicitur, Bissoviam ipsum fundum cum foro, set et (? scilicet ?) annuali foro, a die nativitatis beate Marie virginis, usque per octavam, intrantibus et exeuntibus ab omni solucione thelonei liberrimo, et in ipsa civitate maccella (sic) et tabernas aliaque necessaria, secundum quod fructui suo viderint expedire. Locandi eciam omnia predia sua, quorum nomina sunt: *Trischino, Wanso-*

(¹) Ex archetypo membranaceo, quod in archivo provinciali Posnaniae inter tabulas sublatorum coenobiorum servatur, descripsit doctiss. Stronczyński, sigillumque abruptum esse tradidit.

(²) Conf. tabulam Casimiri Ducis Cujaviae anni 1253 superius N° XLII^do^ praemissam, measque ad eandem annotationes.

(³) Gerardum Abbatem Byszeviensem tunc temporis fuisse, aliae tabulae huic aequales nos docent.

vono, Sadlno, Gorevo cum *Janissovo* ([1]) sorte attinente, jure prefato secundum modum et formam sibi congruentem. Omnem igitur ordinationem dicti Abbatis cum Judice predicte civitatis et Soltetis predictarum villarum et eorum successoribus in universis et singulis ratam habentes, perpetuo confirmamus. Eximimus ergo et liberos facimus incolas dicte civitatis et villarum predictarum ab omnibus polonicalibus servitiis nostris et officialium nostrorum, a *prevod,* a *povoz, vivoz, vimeth, nastava, veznica,* a *naraz,* a *mostne, poradlne, povolove, podvorove,* a *stroza,* a *socol,* a castorum captoribus, ab omnibus solucionibus, exactionibus, tributis et angariis, quocunque nomine vocentur, sive secundum antiquas debeantur consuetudines, sive secundum novas emerserint questiones. Eximimus nichilominus eosdem ab omni jurisdictione Palatinorum, Castellanorum, officialium et Kamerariorum quarumcunque dignitatum, ita, ut nec ab ipsis citari, nec coram ipsis comparere debeant, nec respondere. Si autem ad nostram presenciam per litteram et sigillum nostrum citati fuerint, comparebunt suo tantum jure judicandi. Ad expediciones non ibunt, nisi quando Cujavia ab alieno exercitu invadetur, et hoc quidem prius facere non tenebuntur, nisi ab initio locacionis viginti annorum explicita libertate. Nullum castrum neque novum neque vetus edificabunt, nisi solam *Bidgostiam,* et hoc solum tunc, quando ipsum castrum totam terram Cujavie edificare oportebit. Ad pontem vero ipsius castri, quando ipsum reparari contigerit, non laborabunt, nec vectigal prestare tenebuntur. Caput, septuaginta, quinquaginta non solvent. Et quoniam predictas hereditates Bissoviam videlicet et villas prenotatas, prefati Abbas et conventus de Bissovia ex pia donacione pie memorie patris nostri et libertatum confirmacione liberas, ab antiquo legitime semper et pacifice possederunt (sic), nos eorum ampliori paci intendentes et quieti, ut sollicitius deum pro nobis interpellentur, ipsas sepedictas hereditates in nostro dominio sitas, cum totis districtibus et gadibus suis jure premisso locandas, liberas perpetuo facimus et quietas, cum omnibus pertinenciis et utilitatibus suis, videlicet terris cultis et incultis, stagnis, rivis, pratis et pascuis, silvis et paludibus, rubetis et nemoribus, mellificiis et piscationibus, castoribus et

([1]) Vide ad tab. Nro XXXVIII. praemissam annot. 3am, nec non ad tab. Nri XLII. annotationem secundam.

venacionibus, molendinis macellis et tabernis, in omnibus et singulis, secundum fructum, quem excogitare possunt domui sue meliorem. Ad majorem etiam affectum nostrum circa ipsos comprobandum, ipsis large ac benivole perpetuo donantes, volumus, ut in omni causa judiciaria capitis, manus, mutilacionis membrorum, quacunque sanguinis effusione, vel quacunque causa emergente majore seu minore, in furto seu quacunque causa, nec quidem citari ratione *opol* possint, sicut prius, nec comparere nec respondere, compelli debeant aliquatenus. Sed nec in omni causa, in advenam et incolam, nullus preter Abbatem vel ejus Vicarium in dicta Bissovia et villis predictis tali jure locatis, quam ab antiquo ea libertate gaudebant, nullus plane habeat seu exercere audeat judicandi potestatem. Omnem quoque fructum judiciorum cujuscunque cause in quamlibet personam Abbas vel ejus Vicarius tollet, ad usum claustri convertendo. Damus autem insuper in predicte civitatis locatione omnem modum et formam judicium exercendi, sicut est pugna clipei et gladii et ferri, in omnibus sicut jus Noviforense exigit et requirit. Volumus nichilominus, ut incole sepedicte civitatis et villarum predictarum, quocumque per terram nostram emendo, vendendo, ire vel redire necesse habuerint, ab omni solutione thelonei et pedagii, qui ad predictam locationem veniunt, liberi sint perpetuo et exempti, hoc addens, quod nulla facta vel facienda locacio predicte civitati et villis prefatis in quibuscunque utilitatibus suis, prejudicium facere debeant aut gravamen. Actum et datum in *Vladizlavia* (5),

(5) *Junivladislaviam* Polonis *Inowroclaw* dictam hic intelligi, non solum ex propinquitate loci induco, sed etiam e plurimis haud dubiis indiciis, quibus constat, Junivladislaviensem solummodo Cujaviae provinciam in ditione Ziemomyslii fuisse. Cf. Roepelli Gesch. T. I. 491 auctoresque ibidem laudatos.

Haec tanta illorum temporum historiae penuria in causa est, cur non a recentioribus solum, sed et ab antiquis rerum scriptoribus et nomina et res gestae Ziemomysli et Ziemoviti (tum ejus fratris ex alia matre, qui Dux Dobrzynensis fuit, tum illius, quem Masoviensio-Plocensem Ducem fuisse constat) plerumque confundantur. Et Dlugossius quidem, aut (si mavis) operis ejus descriptor, contractione nominum illis temporibus usitata (videlicet *Zemo* aut *Zem*) deceptus, Ziemomyslo Cujaviensi et hoc et Ziemoviti nomen tribuit; ideoque Ziemovito uxorem Salomeam filiosque Lesconem, Premislaum et Casimirum adscribit (VII. 785), quos cunctos Ziemomysli fuisse constat. Qui quidem error eo major est, quod Ziemomyslum a. 1287 nulla prole relicta decessisse tradit; quum tamen notum sit tum ex ipso Dlugossio (vid. VIII. 885 IX. 906, 915), tum ex aliis annalibus tabulisque (vid. *vita S. Hedvig.* ap. Stenzel *Scriptt. rer. Silesiac.* II. 113. *Chronic. princc. polon.* I. 154. Archid. Gnesn. ap. Sommersb. II. 111. Voigt *Gesch. Preuss.* IV. 188 et 286) illius fuisse filios, quos supra indicavimus. Ziemovitus autem ex Anastasia, quae

anno domini M° CC° LXXX° VI° in vigilia beati Johannis Baptiste. Presentibus hiis: Comite Jarozlao Palatino Cuyaviense, Comite Woicech Castellano Wladizlaviense, Comite Dominico Castellano Bidgostiense, Comite Mirozlao Kobeliza Judice curie nostre, Comite Bartossio Subjudice nostro, Comite Trsebomislio Subcamerario nostro, et aliis quam pluribus fide dignis.

auctore Archidiacone Gnesnensi (ap. Sommersb. II. 79) a. 1335 mortua est, filios habuit Vladislaum et Boleslaum (Vid. Nakielscii *Miechoviam* in privil. a. 1313 p. 247 et Naruszewicii T. V. 18), quorum posterior a. 1323 jam e vivis excessisse videtur (v. Dlug. IX. 981), filiamque, nisi fallimur, Salomeam, quae a. 1301 mortua esse traditur (vid. Dzierzwa p. 43). In simili nominum errore versantur quoque Lucas David Annalium Borussicarum scriptor (*Preuss. Chronik* V. 155) et Nakielscius noster (*Miechov*. p. 248); quorum ille filios Ziemomysli Ziemovito tribuit, is vero virilem Ziemoviti Dobrzynscii prolem Ziemovito Masoviensi; neque minus doctiss. Stronczyński, qui in privilegio a. 1278 N. 16 (vid. ejus opus: *Wzory pism*" etc.) contractum Ziemomysli nomen in Ziemoviti mutavit. Quod vero Dlugossius narrat (VIII. 848), hunc principem nobilitati Cujaviensi ob favorem in Germanos et maxime equites ordinis Teutonici invisum, per annos duodecim exulare coactum fuisse, id, quamvis et Naruszevicio (V. 434) et Roepello (I. 543) valde dubium videatur, verisimile fiet, si, quae ex tabula Stronczyńsciana paulo superius allata cognoscimus, cum iis contulerimus, quae a Bascone (77 ap. Sommersb.), Dlugossio (VII. 786, 791) et Dogiello (privil. an. 1271 N. XXXVI. T. IV. p. 30) non obscure indicantur. Siquidem inde patebit, Ziemomyslum statim post mortem patris, aut etiam prius, cum Boleslao Calissiensi Duce bellum gerentem per seditionem nobilium possessionibus suis exutum fuisse; neque ei ad eas recuperandas profuisse videtur, quod a. 1269 Boleslao sit reconciliatus. Quanquam enim ex privilegio, quod est apud Lucam Davidem (III. 36 append.) conjici possit, eum a. 1276 per breve admodum tempus sceptro potitum esse, verisimilior tamen fit conjectura ex privilegio anni 1271 Dogieliano, eum prorsus a principatu exclusum mansisse, quum Boleslaus Calissiensis Magistratibus Cujaviensis Ducatus pro suo arbitratu imperaret, neque minus ex Naruszevicii testimonio (V. 423), quo ostenditur, fratrem ejus majorem natu, Lesconem videlicet Nigrum, a. 1275 Ducis Cujaviensis et Junivladislaviensis titulo usum esse. Tandem Premislaus II. Dux Majoris Poloniae arbiter causae factus Ziemomyslum Lesconi reconciliavit, eique restitutionem amissi Ducatus pollicitus est ea conditione, ut repudiatis, quos suo favore complexus erat, Germanis, Cujaviensem nobilitatem ad honores et consilia adhiberet. Undecim igitur annos (ab initio 1268 ad finem 1278) adversa fortuna premebatur Ziemomyslus. Quodsi vero patre nondum mortuo principatum Cujaviae nactus ante a. 1268 exsulare est coactus, neque statim post reconciliationem opera Premislai factam possessionem amissam recuperavit, augendus etiam erit annorum infortunii ejus numerus.

LXVII.

Siradiae, anno 1287 die 1 mens. Januarii.

Lesco dictus Niger Dux Cracoviae, Sandomiriae et Siradiae, venditionem Advocatiae oppidi *Novae Bresniciae* a Catherina vidua Martini Advocati prioris antiquae Bresniciae Hankino leviro suo factam ratam esse jubet, variaque privilegia Advocato novae civitatis largitur (1).

In nomine domini, amen. Ne, que aguntur in tempore, per fluxum temporis in obliuionis scrupulum deducantur, expedit, ut cuncta racionabiliter rite scripture testimonio roborentur. Proinde nouerint tam presentes, quam futuri uniuersi: Quod nos Lesthko Dux Cracouie, Sandomirie et Siradie, racionabili freti consilio, dum ciuitatem nostram *Brzesznyczam* ad locum, in quo apcius et comodius vallo municionis firmarj possit, transferri cuperemus, Katherina relicta Martini sculteti antique ciuitatis ibidem, nequiens per se, vel aliquem de amicis suis proximis, locacioni ciuitatis ad alium locum transposite, prout opus fuerat, intendere, in nostra presencia cum suis pueris sponte constituta, Hankino leuiro suo aduocaciam in ciuitate noua locanda, pro certa summa pecunie, publica voce contulit jure hereditario imperpetuum cum suis posteris possidenda (sic), et sic prahabita (sic) Katherina sibi suisque posteris super eandem aduocaciam silencium imposuit, villicacionem et omne jus villicacionis in antiqua ciuitate integraliter cum omnibus usibus pro se reseruando. Hankinus eciam nurui sue satisfaciendo, non solum marcas argenti eidem dedit, sed jure hereditario unum macellum carnificum, unum bancum pistorum, et unum sutorum bancum a solucione census imperpetuum

(1) E tabula authentica confirmationis Regis Casimiri Jagellonidis anno 1466 impertita, in magno tabulario publico Regni Poloniae inter archetypa exempla Nro 647 asservata, cetera quoque Advocatiae Brzeznicensis privilegia annis 1265, 1318, 1345, 1409, 1422 et 1441 a Ducibus Regibusque collata ad verbum deprompta continente, quae in hoc tabularum corpore passim exhibenda sunt.—Conf. tabulam Nro LImo praemissam, quae tamen, quum confirmationem anni 1466 tunc nondum nacti essemus, non nisi secundum libri XXIIIiii tabularii praefati tenorem typis describi potuit.

libere cum suis posteris assignauit. Nos igitur, audita huius ordinacionis serie, prenominato Hankino et suis successoribus seu heredibus aduocaciam imperpetuum confirmamus, dantes eidem omnino liberam facultatem balnea construere, maccella, bancos pro pane vendendo, curiam pro mactandis peccoribus et bancos sutorum, molendinum seu molendina ex utraque parte ciuitatis; que libera omnino omnia esse volumus a solucione census, et ab omni exaccione pacifica et quieta. De uniuersis judicijs aduocatus debet tercium denarium recipere, pro nobis duobus denarijs reseruatis. De censu autem quinque denarij nobis cedent et sextus ad advocatum pertinebit. In omnibus autem alijs, aduocatus et ciues sua jura teneant et gubernent, secundum locacionem ciuitatis Nouiforj. Quod si super aliquo dubitatum fuerit articulo, ad jus ciuitatis Nouiforensis per ipsos est recurrendum. Item addidimus aduocato prehabito piscacionem in *Wartha* fluuio, et littorum eiusdem utilitates, in quantum circa idem littus territorium pertinens ad Brzesznyczam se extendit. Venacionem quoque in districtu Brzeszniczensi eidem aduocato et suis posteris addidimus, et facultatem, quolibet modo seu artificio, genus omne ferarum capiendi. Preterea volumus et dignum duximus admittendum, quod tam Aduocatus, quam ciues sepedicte ciuitatis in toto districtu villarum sibi adiacencium *Dupycze* videlicet et *Cruplyno*, *Dworzyschowicze* et *antique* ciuitatis *Brzeszniczie* (²) pascuis uti libere valeant et lignis sine omni contradiccione. Damus autem ciuibus de Brzesznycza locatis per Hankinum in Noua Ciuitate ab omni census, spacio sex annorum, plenariam libertatem. Qua euoluta, jure Nouiforj subesse nobis in omnibus tenebuntur. Ut autem hec omnia supradicta robur perpetue stabilitatis obtineant, et nullius calumpnie scrupulo vel temeritatis possint aliquatenus prepedirj, presentem paginam nostrj appensione sigilli fecimus consignarj. Actum in *Siradia*, anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo. Presentibus hijs, quorum hec sunt nomina Comes Mathias, Comes Paulus castellanus, dominus Michael cancellarius siradiensis, Comes Mostignews castellanus de Roszprza, comes Miscissius judex siradiensis, dominus Philippus *judex siradiensis*, *dominus*

(²) *Dupice* et *Kruplin* parochiae Brzeźnicensis, *Dworszowice* autem et *Antiqua Brzeźnicia* parochiales villae, omnes Petricoviensis territorii et Radomscensis regionis, in propinquo Brzezniciae oppidi sitae.

Philippus (?) (³) succancellarius cracouiensis, Nicolaus clericus, qui hoc scripsit priuilegium. Datum in *Siradz* infra octauas Natiuitatis Christi per manum domini Jaszkonis cancellarij (?) (³) siradiensis.

(³) Suspecta nobis est duorum in hac tabula judicum duorumque Cancellariorum Siradiensium mentio, qui omnes huic tabulae conscribendae testes affuisse indicantur. Facile autem id errore describentis evenisse, et quidem verba „*Judex Siradiensis, dominus Philippus*" perperam bis repetita esse puto; quibus omissis, Philippum non judicem Siradiensem, sed Subcancellarium Cracoviensem unum tantum fuisse patebit, qui etiam, quum dominus appelletur, quanquam reliquis Comitum titulus tribuatur, sacerdos fuisse videtur, judicisque provinciae Siradiensis munere civili fungi vix potuit. Neque aliud de Jascone illo existimandum, qui ad finem tabulae nostrae Cancellarius Siradiensis dicitur, quam quod culpa describentis ita appellatus sit, quum rectius Subcancellarius appellari debuisset. Quae quidem omnia ne leviter asseruisse videamur, vide sis Lesconis Nigri et Vladislai Loctici tabulas annorum 1279, 1280, 1287, 1288 et 1291, nostro hoc corpore, Maciejovii opere „*Pamiętniki*" etc. (II. 383), nec non Nakielscii *Miechovia* (p. 210—212) contentas; quae dominum Jasconem vel Joannem Subcancellarium Siradiensem, dominum Philippum Canonicum Sandomiriensem Subcancellarium Cracoviensem, dominum Michaelem anno adhuc 1288 et 1291 Siradiensem, Procopium vero Cracoviensem Cancellarium fuisse docent. Ne autem quis Philippum praedictum alterius cujusdam ditionis Lesconis Nigri provinciae judicem fuisse autumet, etiam adjiciendum est, anno 1287 et 1288 judicem Cracoviensem Laurentium, Sandomiriensem vero Petrum fuisse. (Vid. Nakielscii *Miech.* p. 210, 211). Comes Mathias, qui inter ceteros testes primus in tabula nominatur, cujus tamen munus non designatur, Palatinus sine dubio Siradiensis erat, et quidem is, qui anno posteriore, die scilicet 25 Junii a Conrado Duce Masoviae proelio victus et occisus est. Vid. Dlugoss. (Lib. VII. 849). Eundem quoque Mathiam anno 1265 dignitate Subcamerarii Siradiensis functum esse, argumento tabulae superius N^ro LI. praemissae innixus existimo. Mscislaum seu Mscissium anno adhuc 1291. Judicem Siradiensem fuisse, tabula anni ejus inferius N^ro LXXV. exhibita docet.

LXVIII.

Gnesnae, anno 1288 die 23 mens. Aprilis.

Premislaus II Dux Majoris Poloniae, commutationem bonorum *Dobrowo, Sadów, Kwiatkowo, Leszno* **et** *Rzuchowo,* **nec non decimarum de villis quibusdam ad coenobium Byssoviense Cisterciensis ordinis pertinentium, pro decimis villarum nonnullarum prope Byssoviam in Castellania Naklensi sitarum, Archiepiscopo Gnesnensi competentibus, ab Engelberto Abbate Byssoviense cum Jacobo Archiepiscopo pactam ratam esse jubet** (¹).

In nomine domini, amen. Ut varietas temporum cum suis decursibus ea quae disponuntur consilio maturato, in oblivionis non deducat abyssum

(¹) Ex apographo de codice privilegiorum tabularii Capituli metropolitani Gnesnensis, olim auctoritate Francisci Waliński Canonici et Notarii Capituli ejus descripto. Tabulam hanc

a memoria posterorum, sagaci sapientum consilio consueverunt authenticarum scripturarum et testium fide dignorum testimoniis perennari. Hinc est, quod nos Premislaus secundus dei gratia Dux Majoris Poloniae, notum esse volumus universis tam praesentibus quam futuris: Quod accedens ad nos Engelbertus Abbas de *Byssovia* Cisterciensis ordinis, suo et sui conventus nomine, nobis humiliter supplicavit, ut nos ipsorum commodo consulentes, pro ipsis et cum ipsis venerabili in Christo patri domino Jacobo Archiepiscopo Gnesnensis ecclesiae nostras preces porrigere efficaciter dignaremur, quatenus idem venerabilis pater pro ecclesia ipsorum de *Dobrow* et ejus pertinentiis, haereditatibus videlicet ipso *Dobrow*, *Zadowo*, *Kwetkowo*, *Lesno* et *Rzuchowo* (2) et decimis earundem, ac decimis aliarum villarum ad eandem ecclesiam pertinentium, scilicet: *Bruzowo*, *Kolnicza*, *Janiszowo* utriusque, *Wola*, *Głowa*, *Chozmino*, *Chełm*, *Krobewo*, *Ostrosno*, *Komorowo*, *Karsowo*, *Zakrzewo*, *Bissekre* et *Sławencino* (3), decimas villarum in Castellania de Nakel dicto coenobio adjacentium, videlicet: *Suchorambzke*, *Welewici*, *Pamperino*, *Skoraschowo*, *Mroscha*, *Wierchocino* utriusque, *Tuskowo*, *Wiskidno*, *Lansko*, *Zansechno*, *Senno*, *Sadki*, *Dambrowa*, *Radzlai*, *Samostrele* et *Orle* (4) in recompensationem dictorum bonorum eis conferre et

Paprocius noster novisse videtur, qui in opere suo *Herby Rycerstwa* etc. (p. 306) argumentum ejus refert, et de eodem Damalevicium edocuit. (Vid. ejusd. *Seriem Archiepp. Gnesn.* p. 173). Conf. etiam tabulas superius N^ro^ XXXI. et XXXIX. praemissas, nostrasque ibidem annotationes, nec non tabulam anni 1290 inferius N^ro^ LXXIII^tio^ exhibitam.

(2) Conf. annotationem octavam ad privilegium N^ro^ XXXI, nec non annotationem quintam ad privilegium N^ro^ XXXIX. praemissum.

(3) Conf. annotationem sextam ad privilegium N^ro^ XXXIX. praemissum.

(4) *Suchoręczek*, *Wielewice* (Wöllwitz Germanis) et *Pęperzyn* (Pempersin Getmanis) villae sunt hodie in Prussiae occidentalis provincia sitae, et quidem in Marienwerderensi territorio, in propinquo oppidorum *Więcborg* et *Sępolno* (Zempelberg Germanis) sitae. *Wielewice Wielkie* (Gross - Wöllwitz) et *Pęperzyn* parochiales villae sunt. Cetera omnia bona in Magno Ducatu Posnaniensi sunt, et quidem in territorii Bydgostiensis ejusdem nominis regione: *Wierzchócin* parochialis villa, *Wiskitno* et *Łońsk* (Magnum et Parvum) Wierzchotinensis parochiae; *Samsieczno* (perperam in apographo Zanseschno, et apud Paprockium Zawszesno dicta), *Sienno* parochiae Dubrscensis; quod quum a castro *Nakel*, ab aliisque hic nominatis villis nimis longe distet, perperam in apographo scriptum, et e nomine villae *Sitno* potius detortum esse arbitror; quae prope Samsieczno sita, Dąbrowcensis est parochiae. (Szewno apud Paprockium corruptum est nomen, quo nullus totius hujus provinciae locus insignitur). Regionis autem Wyrzycensis sunt alterae villae, scilicet; *Skoraczewo* et *Tuszkowo* parochiae Wąwelnensis, *Mrocza* parochialis villa, *Sadki* et *Dębowo* villae parochiales, *Radzicz* villa fluvio Rudna in duas partes divisa, quarum altera Glesnensis, altera Sadkensis est parochiae; *Samostrzele* Sadkensis, *Orle* denique Zabar-

donare paterna solicitudine dignaretur. Nos ipsorum postulationibus, tanquam justis pietate solita aures accomodas adhibentes, dictum venerabilem patrem per nos personaliter et per nostras litteras ad hoc faciendum induximus omni conamine et affectu. Qui nostris petitionibus assensu gratuito et exauditionis gratia concurrendo, matura deliberatione super hoc facto cum Gnesnensi Capitulo celebrata, de consensu ejusdem Gnesnensis Capituli, dictam ecclesiam cum suis pertinentiis acceptando, dictis Abbati et conventui de Bissovia decimas villarum praescriptarum contulit et eorum monasterio jure perpetuo possidendas. In cujus rei testimonium praesentem paginam conscribi fecimus, et nostri sigilli appensione communiri. Datum et actum in *Gnesna* publice, anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo. Praesentibus his: Nicolao Palatino Calissiensi, Petricone Castellano Posnaniensi, Zawisza Castellano Calissiensi, Dirsikraio Castellano de Santok, Andrea Judice Gnesnensi, Gnevomiro Judice Posnaniensi, Bervoldo Judice Calissiensi, et aliis quam pluribus fide dignis. In festo beati Adalberti, Indictione prima (5). Amen.

toviensis parochiae. Inter villas apud Paprockium et Damalevicium recensitas, villae *Wiskitno* et *Łońsk* omissae sunt. De oppido *Nakło* vid. quae diximus pag. 40.

(5) Indictionis numerus recte indicatus est.

LXIX.

Dluscae, anno 1288 die 15 mens. Augusti.

Premislaus II Dux Majoris Poloniae, pactum Joannis de Sługocino cum Gerhardo Abbate coenobii Lendensis, de commutanda villa *Lipia góra* cum villis *Blosino Abbatis, Blosino Episcopi* et *Myślibórz* initum, ratum esse jubet; villamque praedictam *Lipia góra* ab angariis nonnullis liberat (1).

In nomine domini, amen. Que geruntur in tempore, ne temporis effluente articulo facilius elabantur, necesse est, ea litterali apice, nec non

(1) Ex archetypo membranaceo Ill. Josephi Rusiecii proprio, cujus sigillum jam abruptum, funiculus autem sericus rubei coloris est.

testium subscripcione, firmiter roborari. Hinc est, quod nos secundus Premisl, dei gracia Dux Polonie, notum facimus universis, presentem paginam inspecturis, quod Comes Johannes dictus de *Slugocino* (2) ac filij sui Symanus, Thomislaus et Albertus, hereditatem suam que *Lippagora* (3) vulgariter nuncupatur pro tribus sortibus, videlicet: *Blosino Abbatis* et *Blosino Episcopi*, atque *Mislibore* (4) cum domino Gerardo Abbate, ac conventu domus Lendensis, libenti animo commutarunt. Nos vero ob remedium anime nostre ac predecessorum nostrorum ea, que ad utilitatem dicte domus sunt, cupientes augere non minuere, prefatam commutacionem ratificamus, libertatem, quam prehabita hereditas sub Comite Johanne actenus habuit, dicte domuj confirmantes cum omnibus utilitatibus, que nunc in ea sunt, ac in posterum poterunt exoriri. Et exemimus eam a *povoz*, ab omni *prevod*, a *stroza*, a *dan*, a *naraz*, *podvorove*, *targove*, *mostne*, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione vel custodia aut conductu castorariorum, quia castores in eadem hereditate manentes cedunt fratribus domus supradicte; a custodia et solucione herodiorum, quod *sokol* dicitur, a vicinia quod *opole* wlgariter nuncupatur, a bove et vacca, et *ulasca opolna* (sic), ab omni exactione sive collectione, a vecturis et expedicionibus, et ab omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscumque nominibus censeantur. Et si homicidium inter incolas prefate hereditatis, que *Lippagora* vocatur, contigerit, nullus, nisi Abbas et fratres, penam percipiant capitalem. Et si voluerint, hereditatem eandem poterunt, iam nostra licencia super hoc habita, jure theutonico tradere excolendam. Hujus rei testes sunt: Comes Bozatha Castellanus Lendensis, Comes Bosco Venator Kalisiensis, Comes Nicolaus Thezaurarius Lendensis, Comes Ozias Subpincerna Kalisiensis et Jasco Notarius curie nostre. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant, pre-

(2) *Slugocino* et *Slugocinek* villae sunt Coninensis territorii et regionis, quarum haec Myśliborensis, illa Lądecensis est parochiae.

(3) *Lipia góra* villa Coninensis territorii et regionis, Dembnensis autem parochiae.

(4) *Myślibórz* parochialis villa est, Slugocino proxima; nulla autem villa in hoc territorio est, quae *Błosino* nominetur. Quum tamen duobus vix milliariis a Mysliboria villa *Błotnice* parochiae Grábienicensis distet, eique pagus *Biskupice* dictus (quod nomen pagos ad Episcopum pertinentes saepissime denotare solebat) sit proximus, ceteraeque villae monasterii eidem adjaceant, vero non absimile mihi videtur, pro Błosino vel Błocino, villam *Błotnice* hic intelligendam esse, Coninensis territorii et regionis.

sentem litteram sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum et actum in *Dlusco* (5), anno domini M° CC° LXXX° VIII°, in die assumpcionis gloriose virginis Marie.

(5) *Dluska*, villa parochiae Ciążynensis, territorii Coninensis, regionis vero Pysdrensis.

LXX.

Ujasdoviae, anno 1288 die 1ma mens. Septembris.

Conradus (filius Ziemoviti Ducis Masoviae) Dux Masoviensis Czerscensis, coenobio *Czervinscensi* ecclesiam Sae Trinitatis dictam, in villa *Blonie* constructam, nec non villas *Wolam*, *Wawrzyszew* et *Nesnawgewo (?)* donat, variis privilegiis et immunitatibus gavisuras (1).

In nomine salvatoris omnium, amen. In hereditatem incorruptibilem, incontaminatam, inmarcescibilem festinare cupientibus convenit se dignis moribus et bonis operibus exornare; alioquin vocem illam domini merebimur auscultare: „*Amice, ad quid hic venisti, non habens vestem nupcialem?*" Constat ergo sane, nullum illuc sine caritatis operibus introire. Et ideo nos Conradus voluntate divina dux Mazowie et Czyrnensis considerantes, quod sicca spes est huius seculi, quia omnia que hic amantur cum festinacione marcescunt, universis presentibus et futuris harum seriem inspecturis duximus declarandum, quod ob spem future retribucionis et nostrorum ob remedium pecatorum et nostrorum predecessorum, ecclesiam nostram in *Blonye* (2) ad honorem sancte et individue Trinitatis constructam, fratribus de *Czyrwensko* ordinis sancti Augustini et successoribus eorum contulimus inperpetuum possidendam et regendam: jungentes aream eedem (sic) ecclesie

(1) Ex antiquo I. libro privilegiorum monasterii Czervinscensis manu scripto, in bibliotheca Zamosciana Varsaviae asservato; in quo (pp. scil. 76—81) duo tabulae hujus apographa, sat inter se discrepantia, descripta sunt, quorumque variantes lectiones in annotationibus nostris referre non negligemus. Conradum hunc Ducem, in *Blonie* oppido monasterium condidisse tradidit Dlugossius Lib. VII. p. 870.

(2) *Blonie* oppidum nunc est parochiale Varsaviensis territorii, regionis vero sui nominis caput.

et fratribus ibidem residentibus, ab exitu ecclesie versus occidentem, a sinistra directe usque ad pontem rivuli ibidem manantis, [et a dextra ad duos mansos] (3) perpetuo duraturam. Ut autem predicti fratres et successores eorum commodius et facilius ibi valeant residere et deo digne deservire, predicte ecclesie de *Blonye* et fratribus premissis ac successoribus eorum, villam que olim *Sewzc* (? Serozc), (4) nunc autem *Swola* (5) dicitur, cum alijs duabus *Nawrzisewo* (sic) et *Nesnawgewo* (6) damus, conferimus et perpetuo confirmamus cum omnibus utilitatibus et fructibus, qui et nunc habentur, et haberi poterint (sic), tam in terris quam in aquis in futurum, infra certos terminos villarum predictarum. Transferentes in jam dictos et successores eorum, possessionem veram et perpetuum dominium cum omnimoda et plena libertate, ita, quod cmethones premissarum villarum ab omni penitus exaccione ducali seu [a censu polonicali et a qualibet] (7) oppressione sint exempti, videlicet: a *podworne* et *narzas*, a *podymye* (8), a *stroza*, ab edificacione castri, a moneta, a venatoribus cujuscunque sint generis, et ab omnibus alijs juribus [angarijs et preangarijs] (9) quocunque nomine censeantur. Adhuc memoratas villas eciam hac gracia illustramus, quod homines in eis comorantes ad nullius prorsus iudicium protrahentur, nec citabuntur ad judicium Palatini [ceterorumque dignitariorum] (10), nec respondere teneantur, nisi tamen ad nostram audienciam, nec aliter nisi per literam aut sigillum evocati comparebunt, [presertim si aliquem Prepositum ecclesie nostre Blonensis contigerit occasione quarumlibet iniuriarum coram nobis et nostris successoribus ceterisque dignitarijs judicio

(3) In secundo, quod pagina 79 libri privill. incipit, apographo, verba haec uncis inclusa desunt.

(4) Verbum hoc in utroque, praesertim autem in secundo apographo, ita scriptum est, ut pari ratione et *Sewzc* (Szewsk) et *Serozç* (Sierock) legi possit.

(5) „*Iswola*" in secundo apographo legitur; est autem *Wola* villa parochialis Varsaviensis territorii et regionis, dimidio milliario a Varsavia distans.

(6) Quae *Nawrzisewo* in primo, *Vawrzilewo* autem in secundo apographo nuncupatur, ea *Wawrzyszewo* est parochialis villa, Varsaviae et Wolae proxima; quae autem sit villa in utroque apographo *Nesnawgewo* dicta, nescio, quum nullam similis nominis in regione Varsaviensi invenire potuerim.

(7) Verba uncis inclusa in secundo apographo desunt.

(8) „*Dodimye*" in secundo apographo legitur.

(9) Pro verbis uncis inclusis, secundum apographon habet: „*sive oppressionibus.*"

(10) Hic item pro verbis uncis inclusis, verba: „*aut Castellani*" habet secundum apographon.

ducali presidentibus contendere, et ex eventu aliquas penas incidere, eundem Prepositum et eius successores a penis ducalibus, ac omnium et singulorum dignitariorum nostrorum quittamus et libertamus per presentes absolventes.](11) Item concedimus et perpetuo confirmamus [Preposito et](12) fratribus prefatis, et eorum successoribus, quod si homines dictarum villarum inter se homicidium fecerint, ipsi [Prepositus et](12) fratres, solucionem recipere tenentur, vel si quis de dictis villis in extranea villa occiderit(13), duas partes tollent; si vero extraneum occiderit, tunc unam partem recipere tenebuntur. Insuper omnia judicia usque ad duellum dictis fratribus confirmamus, ita, quod ultra iudicium duelli iudicare non presumant. Preterea, si forte aliquis huius nostri collati beneficij inimicus emerserit, super easdem villas aliqua offerens instrumenta, volumus, ut respectu huius, eis nulla sit fides adhibenda. Item decimam post omnia nostra aratra in villis vicinis, et in ipso Blonye, sepefatis [Preposito et](12) fratribus, et successoribus eorum damus et perpetuo confirmamus. Et ut hec nostra pia et salubris donacio semper permaneat illibata, fratri Jacobo Preposito, qui laborem huius institucionis et confirmacionis subijt, qui eciam cum fratribus suis regulariter et canonice per Abbatem et conventum Czyrwenensem transmissus extitit, ei et fratribus ordinis beati Augustini in Czyrwensko et successoribus eorum, presentem nostram literam in perhennem firmitatem contulimus, sigilli nostri munimine roboratam. Presentibus dominis: Johanne Decano, Gosthcone Archidiacono Ploczensi, Johanne Pincerna, Nicolao Thezaurario, Abraham Venatore Mazoviensi et Czyrnensi, Blasio Pincerna illustris Principis Boleslai fratris nostri, et alijs multis clericis et laijcis fide dignis. Datum in *Jasdow*(14) per manus Cunzonis Capellani curie, anno domini M° CC° LXXXVIII. in die beati Egidij Abbatis.

(11) Totus hic verborum ambitus in secundo apographo desideratur.
(12) Verba *„Prepositus et"* ter in praedicto apographo omissa sunt.
(13) Verbum *„fratres"* hoc loco adjicit idem exemplar.
(14) *Jazdów* olim castrum et oppidum, in quo Ziemovitus I. pater Conradi a Lituanis occisus est, *Ujazdów* nunc dicitur, et est suburbium Varsaviae urbis. Cf. Balińscii et Lipińscii opus, quod *„Starożytna Polska"* etc. inscribitur. T. I. p. 450. sqq.

LXXI.

Gnesnae, anno 1288 die 5 mens. Septembris.

Premislaus II Dux Majoris Poloniae, donationem villae *Zabartów* a Gerardo Abbate et coenobio Lendensi Jacobo Archiepiscopo, ob coaequandum valorem commutatarum utrimque decimarum, Jacobo Archiepiscopo Gnesnensi factam, ratam esse declarat (1).

In nomine domini, amen. Quoniam ea quae aguntur in tempore, cum tempore pariter elabuntur, provida veterum sanxit autoritas, ut gesta mortalium, quibus plerumque calumnia consuevit et oblivio novercari, scripturae testimonio roborata, ad posterorum notitiam transferantur. Hinc est, quod nos Premisl secundus dei gratia Dux Majoris Poloniae praesentibus et futuris duximus declarandum: Quod venerabilis pater dominus Jacobus Archiepiscopus Gnesnensis et religiosus vir dominus Gierchardus Abbas coenobii Lendensis Cisterciensis ordinis in nostra praesentia constituti, quarundam decimarum commutationes protestati sunt ex consensu mutuo et suorum Capitulorum ac spontanee se fecisse. Et quia decimae praedicti venerabilis patris domini Archiepiscopi decimis Abbatis et sui monasterii plus valebant, idem Abbas, volens mensam archiepiscopalem indemnem reddere, villam *Zabartow* (2) vulgariter nuncupatam, eidem archiepiscopali mensae, de fratrum sui totius conventus consilio et consensu, liberaliter contulit coram nobis. Quam donationem gratam et ratam habentes, praedictam villam saepe dicto domino Archiepiscopo et ejus successoribus jure haereditario in perpetuum confirmamus. In cujus confirmationis robur et testimonium, praesentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Actum in *Gnesna*, anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, Indictione prima, Epacta decima octava (3), Nonas Septembris. Praesentibus

(1) Ex apographo, de libro privilegiorum bonorum archiepiscopalium, auctoritate Valentini Ryczywolski Capituli Metropolitani Gnesnensis Notarii, descripto. Conf. tabulam ejusdem anni Nro LXVIII. praemissam.

(2) *Zabartowo* villa parochialis in M. Ducatu Posnaniensi, territorii Bydgostiensis, Wyrzycensis vero regionis.

(3) Indictionis numerus recte indicatus est; secus autem de Epactis dicendum; siquidem ad annum 1288um, qui numero aureo XVImo insignitus erat, antiquiori ratione computatarum Epactarum XXVItus, recentiori vero XVtus, nullatenus autem XVIIIus numerus applicari potuit.

his dominis: Vlostiborio Praeposito, Gabriele Cantore, Philippo Scholastico Gnesnensibus, et his nobilibus: Alberto Castellano de *Zbąszyn*, Vito Pincerna et Miroslao Succamerario Gnesnensi.

LXXII.

Brestiae, anno 1289 die 23 mens. Aprilis.

Premislaus II Dux Majoris Poloniae, villae *Trzęsacz* ad coenobium Byszeviense pertinenti privilegium juris Teutonici Magdeburgensis confert (¹).

In nomine domini, amen. Facta et ordinaciones hominum ne a posterorum noticia labantur cum tempore dilabente, debent scripti caucione et ydoneorum hominum testimonio perhennari. Ea propter nos Premizel dei gracia Dux Polonie notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod nos castro *Wissegrod* (²) cum suo districtu in nostram potestatem ac

(¹) E tabula authentica membranacea tabularii provinciae Posnaniensis publici, quo scripta sublatorum coenobiorum collecta sunt, doct. Stronczyńscius descripsit, sigillumque Premislai II. cereum filis sericis rubei, viridis et violacei coloris appensum esse tradidit.

(²) Castrum *Wyszogród*, quod Dlugossius (L. VI. 696, L. IX. 999) tum in Pomerania tum in Cujavia, tabula autem anni 1243, apud Lucam Davidem (*Preuss. Chron.* T. III. Nro III. appendicis) Pomeraniae vicinum fuisse dicit, quo loco situm fuerit, accurate definire nequeo. Haec tamen, quae e Boguphali (Sommersb. II. 51) et Dlugossii (l. c. p. 696) narratione de non magno intervallo illius castri ab oppido (olim castro) *Sartowice*, e tabula autem apud Dogielum (T. IV. p. 15) de possessione ejusdem a Casimiro Duce Cujaviensi acquisita effici cogique possunt; tum haec, quae ex Roepelli libro (*Gesch. v. Pol. Beil.* XI.) de villa *Trzeciewiec* (parochiae Dubrscensis) et e tabula hac nostra de villa *Trzęsacz* districtui Vissogrodensi olim adscripta, haec denique, quae, eodem Roepello auctore, de via olim Vissogradia Svieciam per campos villae *Gądecz* (parochiae itidem Dubrscensis) ducente, novimus, in eam nos inducunt opinionem, ut castrum praedictum in littore Vistulae, in regione villae *„Fordon Germanorum"* dictae, et quidem forsan loco, quod nunc etiam *Zamkowa kępa* (*Schlosskempe*) in Bidgostiensi regione appellatur, situm fuisse arbitremur. Quae omnia, uti egregie conveniunt cum iis, quae Dusburgii Chronicorum continuator (c. 12), de eruptionibus e castro illo in naves Vistula praeternavigantes factis, refert, ita vix ullam dubitationem relinquunt, hoc, non vero aliud castrum *Wyszogród* fuisse, quod anno 1330 vel 1329, a cruce signatis equitibus ordinis Theutonici in Prussia, combustum et dirutum, (Anonym. in ed. Gedan. Cadlubc. p. 102) ex eo tempore nunquam restauratum fuisse videtur. Erratque vehementer Voigtius (*Gesch. Preuss.* IV. 439), qui hanc combustionem et destructionem castri ad aliud a sede belli hujus nimis remotum oppidum *Wyszogród* Plocensis territorii et regionis refert, quod ad ostia fluvii Bzurae Vistulam intrantis situm est. Si ad ostia

possessionem devoluto, considerata necessitate et indigencia Abbatis ac conventus monasterii de *Byssovia* Cysterciensis ordinis, Wladislaviensis diocesis, debito pietatis motu eis consulere prodesseque cupientes, ad perfectum (? profectum ?) ipsorum ac divini cultus promocionem, concedimus Abbati et conventui jam dictis monasterii prelibati, ut hereditatem, quam habent super Wyslam fluvium, quam eisdem in presentibus confirmamus, in districtu premisso Wissegrodnensi, qui *Transchacz* ([3]) wlgariter appellatur, locent jure thewtonico Meydeburgensi vel alio quocumque, sicut eis videbitur expedire, cum toto districtu suo; et ipsum jus per totam hereditatem habeant, tam in eo quod pro propriis aratris sibi reservabunt, quam in eo, quod ad villam disponent; et in totum ipsam hereditatem ordinent, secundum suam utilitatem, tam sub terra, quam supra terram, in agris, pratis, silvis, pascuis, aquis, molendinis, piscacionibus, venacionibus; et navigium seu passagium supra Wizlam; dantes eis liberam facultatem ibidem forum faciendi cum omni jure fori, ac per Scoltetum et Scabinos omne judicium nomine Abbatis pro causa qualibet exercendi. Ipse eciam Abbas et cui ipse commiserit, omne judicium judicabunt, tam magnum quam parvum, in omnibus omnino locis dicte ville, et etiam in viis publicis ac semitis, vel viis privatis, volentes ipsam hereditatem et habitatores ejus in libertate tewtonica ab omnibus juribus et solucionibus ac serviciis esse semper quietam et exemptam, videlicet: a *prevod*, a *povoz*, *vivoz*, *podvoda*, *vimot*, *nastava*, *vesniza*, a *naraz*, *moztne*, *poradlne*, *povolove*, *podvorove*, *strosa*, a *socal*, canibus, castorum captoribus, et ab aliis juribus omnibus sive antiquis, sive noviter adinventis; a vacca, a bove, et a *stan*. Castra et pontes non edificabunt nec emendabunt, nec alicui juridictioni Castellanorum, Palatinorum, Judicum, officialium aut camerariorum, nec eorum judiciis subjacebunt, nec ad eos citabuntur. Omne autem jus eisdem Abbati et conventui monasterii sepedicti conferimus in bonis memoratis, quod nobis competit vel competere in eis videbatur, jure

fluvii alicujus Vistulam intrantis castrum Cujaviense Vissegrod quaerendum sit, is certe fluvius *Brda*, non autem *Bzura* esset.—In ditionem Premislai castrum Wyssogrod rediit, commutatione bonorum quorundam cum Mestvino (al. Mstivogio) Duce Pomeraniae facta. De qua vide sis Jabczyńscii *Archivum theologicum* I. 364, 365.

([3]) *Trzęsacz* villa est parochiae Włucensis ad Vistulam in M. Ducatu Posnaniensi, territorii et regionis Bidgostiensis.

proprietatis perpetuo possidendum. Actum et datum in *Brezt*, anno domini M°. CC° LXXX° IX°. Indictione secunda (4), in festo beati Adalberti. Testes sunt: Nicolaus Palatinus Kalisensis, Buguslaus Castellanus de *Usce*, Phalo Castellanus de *Scharneow* (5), Nicolaus Subcamerarius, Mathias Judex de *Brezte* in Cuyavia, et dominus Tilo Prepositus de *Santok*. Datum per manus Notarii curie nostre. In cujus rei testimonium et perhennem memoriam, presentem paginam ipsis dedimus, sigilli nostri munimine roboratam.

(4) Indictionis numerus recte indicatus est.
(5) *Czarnków* oppidum ad Noteciam parochiale, territorii Bidgostiensis, regionis autem sui nominis caput.

LXXIII.

Gnesnae, anno 1290 die 21 men. Octobris.

Jacobi II dicti *Swinka* Archiepiscopi Gnesnensis cum Bertholdo Abbate Byszeviensi de commutandis villis decimisque eorum nonnullis, complanatio renovata (1).

In nomine domini, amen. Gesta seu ordinaciones hominum propter decursum temporum a mortalium plerumque tolluntur memoria, si non fuerint ad perpetuam rei memoriam litterarum apicibus commendata. Hinc est, quod nos Jacobus secundus miseracione divina sancte ecclesie Gneznensis Archiepiscopus notum esse volumus cunctis Christi fidelibus presentibus et futuris, quod ex debito pastoralis officii considerantes necessitatem religio-

(1) Duo sunt in tabulario provinciae Posnaniensis Posnaniae asservata hujus tabulae archetyporum membranaceorum exempla, quorum utrumque olim binis sigillis instructum erat, nunc vero singula tantum appensa habent; et alterum quidem funiculo serico rubei flavique coloris, quod sanctum Adalbertum Episcopum in sella sedentem, sinistra lituum, dextra autem manu palmam martyris tenentem, et in ambitu verba: „† *S. Capituli sancte Gneznen. ecclie.*" repraesentat; alterum vero oblongum filis sericis flavi et violacei coloris, quod effigiem sedentis Episcopi, sinistra manu lituum tenentis, dextram vero ad benedictionem (quam vocant) tollentis, pedes vero super cervices canis et draconis imponentis; in ambitu vero verba: „† *S. Jacobi dei grā. scē. Gnezne. ecce. Archiepi.*" praeseferat. In hoc quidem posteriori exemplo verba nonnulla, quae in priori leguntur, omissa vel immutata, in nostro tabulae contextu uncis inclusa sunt.

sorum virorum Bertholdi (2) Abbatis ac sui conventus fratrum cenobii de Byssovia ordinis Cisterciensis Cuyaviensis diocesis, prospicientes eciam loci ejusdem solitudinem, quod nullis ibi valeant fidelium elemosinis adjuvari, nisi incertis proventibus succurratur eisdem, paterna clemencia ipsos sustentare volentes, cum gloria sit Episcopi pauperem providere opibus, de communi consensu et voluntate Capituli nostri Gneznensis, debita deliberacione premissa, et maturo tractatu prehabito, ut eo liberius ac sincerius domino deo et ejus genitrici famulentur, hanc cum eis fecimus ordinacionem et contractum decimas commutando. Conferimus igitur et damus dicto Abbati et ipsius conventui decimas nostras in territorio castri de *Nakel* monasterio eorum adjacentes in hijs villis et districtibus earum: *Wirchucino* utroque, *Lansco*, *Wiskidno*, *Wanvelno*, *Tuscovo*, *Sanzecno*, *Senno*, *Dambovo* et *Sadki* (3), plene sicut nunc sunt in terminis et in gadibus suis, vel in posterum esse possunt. De agris cultis et incultis, ac de novalibus earum in rubetis et in silvis jure perpetuo possidendas, absque excepcione aliqua singularium sorcium aut specialium vocabulorum, sive eciam ville de suis locis transponantur seu dividantur. Pro hijs autem recepimus ab eodem Abbate et ejus conventu ecclesiam eorum in *Dobrov* cum omnibus pertinenciis suis, quam ipsi ut alia loca ordini suo dicata legitime possidebant, habentes in ea ab antiquo mansionem et gubernacionem ac residenciam corporalem, et cum omnibus decimis ad eam pertinentibus, ipso scilicet *Dobrov*, *Quatkovo*, *Glovi*, *Cosemino*, *Janissev* utroque, *Kolnizca*, *Dzadovo*, *Bruževo*, [*Vola*, *Rsochovo*], *Chelm*, *Grobevo*, *Dambe*, *Ostrozno*, *Komorovo*, *Karsovo*, *Krevo*, *Bissekre*, *Slavencino* et *Lescno* (4) de culto et inculto, de possessis aut desertis, sicut nunc sunt, aut in futurum existere possunt, perhenniter possidendam, volentes in hys indempnitati ecclesie nostre cavere, et eorum consulere egestati. In cujus rei testimonium et stabile robur, presentem paginam super hijs conscriptam, sigillis nostro

(2) Num idem sit Bertholdus Abbas, qui in praedicta anni 1288 tabula Engelbertus forsan scriptoris vitio vocatus est, an alius successor ejus, mihi non liquet.

(3) Conf. annotationem quartam ad tabulam anni 1288 Nro LXVIII. praemissam, qua de iisdem bonis agitur, villa parochiali *Wqwelno* excepta in tabula illa praetermissa, quae Wyrzycensis regionis est.

(4) Conf. annotationem sextam ad tabulam Nro XXXIX. praemissam.

et Capituli nostri, sepedicto Abbati et suo conventui dedimus communitatem. Acta sunt hec apud *Gneznam*, anno domini M° CC° nonagesimo, Indictione tercia (5), in die sanctarum XI milium virginum. Presentibus et consencientibus hijs dominis et fratribus nostris: Wlostiburio [Wlostiborio] Gneznensi, Johanne Lanciciensi Prepositis, Gozlao Gneznensi, Mileyo Wratislaviensi Decanis, Philippo Gneznense, Johanne Lanciciense Archidiaconis, Gabriele Gneznense, Nycolao Lanciciense Cantoribus, Philippo Gneznense, Joseph Lanciciense [Scolasticis], et aliis quam pluribus fide dignis Canonicis Gneznensibus.

(5) Indictionis Romanae numerus, recte indicatus est.

LXXIV.

Uniejoviae, anno 1291 die 21 m. Januarii.

Jacobi II Archiepiscopi Gnesnensis, de villis decimisque cum monasterio *Byszeviensi*, secundum tabulae proxime praecedentis tenorem commutatis, ulterior declaratio (1).

In nomine domini, amen. Nos Jacobus secundus dei gracia sancte Gneznensis ecclesie Archiepiscopus, notum facimus universis presentibus et futuris, quod cum de consensu nostri Capituli cum domino Abbate de *Bissovia* Cisterciensis ordinis Cuyaviensis diocesis, commutationem et contractum supra decimis fecissemus, assignantes eidem decimas nostras in territorio castri de *Nakel*, et recipientes ab ipso ecclesiam ipsius de *Dobrow* cum omnibus pertinenciis, utilitatibus et decimis, protestamur: quod si omnes pertinencias ad dictam de *Dobrow* ecclesiam pertinentes, id est: proprietates hereditatum videlicet ipsum *Dobrow*, *Quatkovo*, *Dzadovo* et *Suchovo* et *Lesckno* (2) poterimus obtinere, volumus eidem Abbati et domui sue pro

(1) Ex archetypo membranaceo, in tabulario provinciae Posnaniensis Posnaniae asservato descripsit doctiss. Stronczyńscius, et sigillum Archiepiscopi taeniola pergamena appensum esse nobiscum communicavit.

(2) Conf. tabulam proxime praecedentem, aliasque ibidem in annotationibus citatas.

eisdem de duabus decimis providere, prout ipsi et nobis viderimus expedire. Si vero predictas hereditates non poterimus obtinere, nichilominus commutacio et contractus super decimis habitus, prout in privilegiis super hoc confectis plenius continetur, debet inviolabilis permanere. In cujus rei testimonium presens scriptum nostro sigillo fecimus communiri. Datum in *Uneyow* (3) anno domini M° CC° XC° I° in die beati Pauli conversionis.

(3) *Uniejów* oppidum parochiale in Regno Poloniae, Calissiensis territorii, Vartensis vero regionis.

LXXV.

Petricoviae, anno 1291 die 15 mensis Maji.

Vladislai (Loctici) Ducis Cujaviae et Siradiae decretum, quo coenobio Sulejoviensi villam *Lacynów (?)*, de qua lis inter Abbatem coenobii praedicti et filios nobilis cujusdam Mstiborii agebatur, adjudicat (1).

In nomine domini, amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripture presidio vel testium aminiculo fuerint insignita. Nos igitur Wladislaus dei gracia Dux Cuyavie et Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis: quod orta controversia inter Abbatem de *Sulegew* ex una parte, et filios Comitis Msciborij, scilicet Cristinum, Stephanum et Pretborium ex altera, super hereditate *Lacynow* (2) coram Illustrissimo Principe Lestkone bone memoria quondam Duce

(1) E tabula authentica membranacea, doctissimi Stronczyńscii propria, cujus sigillum abruptum est.

(2) Licet tum in hac, tum in alia quadam anno 1296 a Vladislao Loctico die 28 mens. Maji Siradiae profecta tabula, quarum utraque a doctissimo Stronczyńscio, qui eas possidet, descripta est, villa haec *Lacynów* nuncupetur; mihi tamen in nomen hoc vel scriptoris vel transcribentis error irrepsisse, eaque non alia nisi villa *Łęczna* esse videtur, quae in aliis antiquis tabulis *Lanchino* vel *Lanchno* scribitur. Argumento autem mihi sunt duae, anni scilicet 1242 et 1251 tabulae N^ris^ XXXI^mo^ et XXXVII^mo^ praemissae, quarum illa, quum omnia coenobii bona exhibeat, nullam villae *Lacynów* mentionem continet, villam autem *Lanchno* re vera a Duce Lescone coenobio acquisitam esse docet; haec autem de villa *Lanchino* prope Sulejoviam sita et monasterio a Duce Lescone donata, a Misliborio (vel potius Mistiborio) Comite Abbati Sulejoviensi litem motam fuisse probat. Quum itaque nec inter bona monasterii praedicti, nec in Regno Poloniae ulla sit villa *Lacynów* dicta, — quum tabula haec quoque nostra, villam, de qua

Cracoviensi, Sandomiriensi et Syradiensi fratre nostro karissimo, tandem post habitos multos terminos, eodem fratre nostro Duce Lestcone viam universe carnis ingresso, eadem controversia coram nobis, qui eidem in Ducatu Syradiensi successimus, extitit devoluta. Cum autem post dilacionem multorum terminorum, terminus prefixus et peremptorius eidem Abbati et predictis fratribus coram nobis fuisset assignatus, predicto Abbate in prefixo peremptorio termino se personaliter coram nobis presentate, prenominati fratres Cristinus, Stephanus et Pretborius in ipso termino peremptorio non comparentes, contumaces totaliter exstiterunt, quorum contumaciam idem Abbas coram nobis et nostris Baronibus in generali colloquio prout debuit, multipliciter allegavit. Nos vero sepedicti Abbatis iusticiam attendentes, et ex certis privylegijs ipsius Abbatis agnoscentes, quod eadem hereditas *Lacynow* ab inicio ducalis semper fuit, et quod nullus militum eam umquam iure hereditario possedit (sic)(3); de nostro et nostrorum Baronum vero iudicio, eidem Abbati et monasterio nostro de Sulegew eandem hereditatem appropriamus iure hereditario perpetuo possidendam, prefatis fratribus Cristino, Stephano et Pretborio et eorum successoribus super omni actione et requisicione dicte hereditatis *Lacyńow* perpetuum silencium inponentes. Et ut predicta omnia robur obtineant perpetue firmitatis, presentes litteras conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roborari. Actum presentibus hijs testibus: Comite Zavisa Palatino Syradiensi, domino Mychaele Cancellario Syradiensi, Comite Johanne Castellano Spycimiriensi, Comite Thoma Castellano de *Rospra*, Comite Mscysio iudice Syradiensi, Comite Johanne Subcamerario Syradiensi. Datum in *Petrkovia* infra octavas beati Stanislaij martiris, anno domini Millesimo ducentesimo nonogesimo (sic) primo.

lis agitabatur, a Duce Lescone donatam esse doceat contineatque totum quemdam verborum contextum ad verbum e tabula anni 1251 depromptum,—quum denique talis sit nominum *Mislitorii* et *Mistiborii*, *Lancyno* (quod scilicet more antiquo per compendium „*Lācyno*" scribebatur) et *Lacynów* vicinitas, ut facile alterum cum altero a describentibus confusa fuisse censeri queant,—non dubito, in tabula nostra de villa *Łęczno* agi, patremque actorum, Cristini videlicet, Stephani et Predpelconis illum Mstiborium vel Misliborium Comitem fuisse, qui eandem villam quadraginta annos ante sibi frustra vindicaverat. Vindicias has villae practactae, quae, ubi sit, jam pag. 13ma indicavimus, anno 1296 Sbigneum Castellanum Siradiensem repetiisse, sed non prosperiori eventu usum esse, tabula doctiss. Stronczyńscii docet.

(3) Verborum hic praecedens contextus de tabula Nro XXXVII. praemissa depromptus est.

LXXVI.

Dluscae, anno 1291 die 28 men. Augusti.

Premislaus II Dux Poloniae et Pomeraniae, privilegia et immunitates coenobii *Lendensis* olim in tabulis non satis clare descriptas, fusius enucleat (1).

In nomine domini, amen. Multis malis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum seu testium serie roboramus. Jdcirco nos Premisl secundus dei gracia Dux Polonie et Pomeranie (2), universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, volumus esse manifestum: quod venerabilis pater Abbas Gerardus monasterij Lendensis ordinis Cysterciensis, in nostra Baronorumque (sic) presencia constitutus, viciniarum de *Coschol*, *Belscho* et *Slauscho* (3) querimoniarum tumultibus vexatus, super eo, quod asserebant villas prefate domus debere secum stare in contribucione *opole*, videlicet vacca et bove, antiqua libertate libertate (sic) suorum privilegiorum monstrata, se suosque homines ab omnibus exemit inpeticionibus, nostro Judice Dirsycraio iudicante, Abbatem esse iustum, ceteris Baronibus acclamantibus, et viciniarum dictorum (sic) querelas vera sentencia perpetuo silencio claudentibus, nostro favore et judicij iusto tenore, prenominati Abbatis villas ab earundem viciniarum solucione exemptas et libertati adiudicatas, perpetue dimiserunt. Et quoniam varie altercaciones prenominato monasterio crebrius oboriuntur super juribus polonicalibus,

(1) E tabula authentica membranacea Ill. Josephi Rusiecii propria, cujus sigillum nunc jam abruptum est, et tantum taeniola superest membranacea, qua appensum erat, quaeque nobis sigillum abruptum non Ducis sed Notarii Petri fuisse, ipsam autem tabulam non Premislai archetypon sed apographum Notarii hujus auctoritate posteriori tempore exaratum esse prodit.

(2) Vivente adhuc Mstivojo (Mestvino) Duce Pomeraniae, Premislaus Dux ab anno inde 1284 pro herede illius et quasi filio se gessit. (Conf. Roepell. *Gesch.* I. 553 et 554, nota 35 et 36).—Nihilominus tamen, quum in tabula Premislai proxime sequente, et vix duobus mensibus seriore titulum Ducis Pomeraniae adjectum non videmus, facile inde conjicimus, in hoc privilegio, titulum praedictum in archetypo Premislai non exstitisse, sed in apographo Notarii, quod hoc apographo serius est, adscriptum fuisse.

(3) De villis *Kościelec* v. *Kościół* et *Sławsko* dictis, vide annotationem secundam et octavam ad privilegium Nro I. praemissum. Villa autem sive *Bielsko* sive *Belzko* in territorio hoc non exstante, hic villam *Białków* Kościeleciae proximam, intelligendam esse puto.

veteri more non bene expressis, decrevimus illius molestie in posterum sincera sollicitudine providere, presentibus exprimendo jura a quibus sunt absolute ville cum hominibus dicte domus a nostris predecessoribus Ducibus Polonie, a quibus nichilominus eos absolvimus, scilicet: a *powos*, a *prewot*, a *strosa*, a *dan*, a *naraz*, quod aper (4) dicitur, *poworove* (sic) id est, a melle et annona, *targove*, *mostne*, a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione seu custodia vel conductu castorariorum, a custodia vel solucione herodiorum quod *socol* dicitur, a vicinia quod *opole* wlgariter nuncupatur, a vacca videlicet et bove, a recepcione venatorum et subvenatorum qualiumcumque; ita, ut de villis dicte domus nullam iurisdiccionem usurpent sibi, quod vocatur polonice *stan*, ab omni exaccione seu collectione, a vecturis et expedicionibus, nec non ab omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscumque nominibus censeantur. Insuper, cum in antiquis privilegijs fratrum sit luculenter exaratum domus Lendensis, quod venatores fratrum Abbatum possint sequi venatores Ducum per universam Poloniam (5), nos addimus et confirmamus, ut Abbatibus dicte domus per omnes hereditates suas in silvis et nemoribus venaciones, prout ipsis placuerit, liceat exercere. Et ne humana versucia spirituali simplicitati valeat derogare, potestatem conferimus sepe dicte domus Abbatibus, homines suos ascripticios a se fugientes, ubicumque locorum illos deprehenderint, capiendi, incarcerandi et in servicium perpetuum redigendi. Nulli ergo Castellanorum aut Judicum scitandi sive iudicandi in prefatis hominibus vel villis eorum jus aliquod reservamus. Ne autem super hujusmodi processu in posterum dubitetur, Abbati suisque fratribus super hoc dari iussimus litteram, nostri sigilli munimine roboratam. Datum autem in *Dlusco*, presentibus Baronibus nostris Comitibus: Benyamin et Nicholao Palatinis Polonie, Berwoldo Castellano et Dirsycraio Judice Kalisiensibus, et me Petro dicto Scecliza Notario, qui hanc cedulam manu mea conscripsi, nec non alijs quam pluribus fide dignis. Anno domini Millesimo ducentesimo

(4) Verbo *apri*, antiquos Polonos *verrem* plerumque lingua latina denotasse, multa medii aevi monumenta docent: ideoque fluvius etiam *Wieprz* in Polonia, non *Verres*, quod rectius esset, sed *Aper* latine dicebatur. Vid. Dlugossii de limitibus dyoeceseos Cracoviensis rem a M. Gładyszevicio excerptam: „*Żyw. błogosł. Prandoty*" p. 238.

(5) Vid. privil. anni 1145 Nro Io praemissum.

nonagesimo primo, XV° Kalendas Septembris, Indictione nona (6). Sigillum hujus privilegij est rotundum, habens in se effigiem hominis stantis inter duas turres, tenens (sic) vexillum in manu dextra et clipeum in sinistra, et draconem sub pedibus, cum tali supscripcione (sic): Sigillum Premislonis secundi dei gracia Ducis Polonie (7).

(6) Anno 1291 non nona, sed quarta Indictio propria erat.
(7) Haec tabulae adjecta sigilli descriptio, et mendose indicata Indictio, chartam hanc non ab ipso Premislao, sed a Notario solo profectam esse, ut superius praemonuimus, eo clarius demonstrat.

LXXVII.

Gnesnae, anno 1291 die 21 mens. Octobris.

Premislaus II Dux Poloniae Majoris, commutationem bonorum coenobii Lendensis *Glowiew, Slawsko* et *Chociczha (?)* cum villa *Kopojno* Sendivoji Succamerarii propria factam, ratam esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quoniam humane memorie innata oblivio, actuum temporalium constituta dirigit in errorem, que non fuerint litterali apice aut testium subscripcione firmiter roborata, nos secundus Premisl (2) dei gracia Dux Maioris Polonie, uniuersis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, volumus esse notum: quod wenerabilis Abbas dominus Gerhardus de *Lenda* et suus (3) conuentus cum dilecto Subcamerario nostro, Comite Sendyuoio, pro commodo domus sue commutacionem fecerunt, nostro gracioso fauore et consensu mediante; donantes ipsi tres hereditates, videlicet *Glouevo, Slausco* et *Chociczha* (4), pro hereditate dicta *Copayno* (5);

(1) Ex archetypo membranaceo Ill. Josephi Rusiecii proprio, cujus sigillum, quod funiculo appensum fuisse foramina rotunda chartae demonstrant, desideratur. Est tamen haec tabula jam in Lelevelii saepius laudato opere (*Początk. prawod. polsk.* p. 209 sqq.) licet non satis accurate, et ex alio quodam, in ipso fine paululum divergente exemplo, typis descripta.
(2) „*Nos sic dictus Premisl,*" perperam apud Lelevelium descriptum est.
(3) „*Ejus*" pro „*suus*" habet Lelevelius.
(4) De villis Głowiew (quae apud Lelevelium „Gloveno" legitur) et Sławsko, vide annotationes octavam et duodecimam ad tabulam N^ro^ I° praemissam; de villa autem hic *Chociczha* nuncupata, quae sit intelligenda, nulla mihi est suspicio, quum in vicinia duarum praedictarum villarum nulla similis nominis exstet.
(5) *Kopojno* villa parochiae oppidanae Zagóroviensis, Coninensis territorii et regionis.

quam idem Sendiuoius pro suo patrimonio, scilicet *Gorcino* (6), a nobis commutatam possedit hereditarie, liberam et exemptam ab omni jure polonico, quocumque nomine censeatur, filijs dicti Sendyuoij, scilicet Janconj et Martino, ad quod (sic) spectabat jus hereditarium, dictam hereditatem quoram (sic) nobis resignantibus, et a iure hereditario cedentibus; Abbate vero prefato cum suis fratribus prelibatam hereditatem *Copaijno* intrantibus (7) hereditarie possidendam. Nos autem affectum, quem circa domum Lendensem semper habuimus, augere cupientes, volumus sepedictam hereditatem cum incolis eiusdem propriis seu liberis exemptam fore et liberam, ut prius erat, cum a dicto Sendyuoio possideretur, ab omnj *preuod,* a *pouoz,* a *stroza,* a *dan,* a *naraz,* a *poduoroue,* a *targoue,* a *mostne,* a castrorum edificio seu poncium quorumlibet, a recepcione seu custodia vel conductu castariorum (sic); castores v. (8) domino Abbati ac suis fratribus venandos perpetuo contulimus. Insuper a uicinia quod *opole* wlgariter dicitur, a recepcione Subuenatoris aut venatorum qualiumcumque, a custodia vel solucione erodiorum quod *socol* populariter nuncupatur; ab omni exactione seu collectione que *pouoloue* (9) dicitur, a uecturis et expedicionibus, seu omnibus juribus in Polonia constitutis, quibuscumque nominibus censeantur. Judiciorum nichilominus omnium, ut est de contencione, percussione, membrorum mutilacione, siue eciam capitis perplexione, ut maiorem circa deum in tremendo judicio fiduciam habeamus (10), predictis fratribus per suum Judicem liberam auctoritatem contulimus exequendi, nulli Castellanorum aut Judicum, siue citandi, siue iudicandi in ipsa hereditate jus aliquod reseruantes. Et ut hoc factum nostrum in honorem dei sancteque Marie semper virginis, robur perpetue firmitatis optineat, presentem paginam sigilli nostri munimine roboramus. Huius rei testes sunt: Philippus Archydiaconus Gneznensis, Beruoldus Castellanus Calisiensis, Abraham Thezaurarius Gneznensis. Data per Jasco-

(6) *Górczyn* villa parochiae oppidanae Łascensis, Siradiensis est territorii et Szadcensis regionis.

(7) „*In cunctibus*" (!) pro „*intrantibus*" apud Lelevelium legitur.

(8) Litera *v.* sic in tabula scripturae compendio notata, vel verbum „*vero*" vel „*videlicet*" vel „*venerabili*" significare potest. „*Enim*" autem Lelevelii lectio habet.

(9) „*Polove*" apud Lelevelium.

(10) „*Habemus*" apud Lelevelium.

nem Notarium curie nostre, anno domini M° CC° nonagesimo (sic) primo in *Gnezna* in die XI. millium virginum ([11]).

([11]) „*Acta sunt hec anno domini MCC nonagesimo primo in Gnezna, in die virginum undecim millium;*" sic habet Lelevelius pro toto nostrae tabulae ultimorum verborum contextu.

LXXVIII.

Leloviae, anno 1291.

Vladislaus Locticus Dux Sandomiriae, Cujaviae et Siradiae, nobili cuidam Clementi filio Laurentii villam *Zasów* donat ([1]).

In nomine domini, amen. Humani generis acciones perpetua memoria indigentes, plerumque de hominum noticia dilabuntur, que scripturarum seu testium munimine non renonavantur (sic). Igitur nos Wlodislaus dei gracia Dux Sandomiriensis, Cuyaviensis et Syraziensis, ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum volumus pervenire: Quod nos intuentes fidele servicium et utile Comitis Clementis filij Comitis Laurencij, non deficta nostra voluntate damus sibj et suis successoribus villam, que *Zasow* ([2]) vulgariter nuncupatur, cum omnibus adiacentiis et pertinenciis seu proventibus et serviciis et venacionibus, jure hereditario perpetuo contulimus possidendam; prefatam villam ab omnibus exaccionibus absolventes, que nostro dominio dinoscuntur pertinere. In cuius rei memoriam et euidenciam pleniorem, presentes conscribj fecimus, et sigilli nostri munimine duximus roborandas.

([1]) E tabula authentica membranacea in bibliotheca Zamojsciana Varsaviae asservata; sigillum de cera vulgari factum, insigne Cujaviensis et Siradiensis provinciae, dimidiam videlicet aquilam cum leone sursum erecto dorso conjunctam, capitaque eorum uno communi regio diademate cooperta repraesentat: in ambitu vero nonnisi haec verborum fragmenta: „† *S*.... ....*adie*" conspiciuntur. Fila, quibus sigillum appensum est, albi, viridis, violacei et rubei sunt coloris.

([2]) *Zasów* villa est parochialis in Galicia Tarnoviensis territorii (cujus magna pars olim Sandomiriensis provinciae erat), in via Pilzna Radomisliam ducente sita, et hodie Ill. Casimiri Kuczkowski propria. Anno 1390 ad Navojum, anno vero 1419 ad Johannem de Zasow pertinuisse, qui eam tunc Zavissae dicto Nigro una cum villa Nagoszyn vendiderat, posterioris seculi tabulae docent.

Presentibus hiis testibus: Comite Suentopelcone Palatino Cracoviensi, Comite Ottone Palatino Sandomiriensi, Castellano Sandomiriensi (3), Comite Sbygnevo Castellano Syraziensi, Comite Jacobo Venatore filio Spicimiri, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum aput *Lelów* (4) anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo primo. Scriptum per manus Dominicj Scriptoris curie.

(3) Singuli inter se de Principatu Poloniae, de Ducatu scilicet Cracoviensi tunc temporis contendentes Principes, singulos suos Cracovienses Sandomiriensesque Palatinos et Castellanos e nobilibus, qui eorum partibus favebant, nominabant. Nicolaum proinde anno 1290 mense Septembri Palatinum Cracoviensem Ducis Premislai asseclam in tabula hujus diei nominatum videntes, hic Svietopelconem alterum Cracoviensem Palatinum, qui cum Vladislao Loctico fecerat, offendimus; de quo ceteroquin nullam hucusque invenimus mentionem, non magis, quam de Ottone hac in tabula testis personam agente Palatino Sandomiriensi. Erat tamen paulo posteriori tempore, anno scilicet 1297 Svietopelco Lanciciensis Palatinus, quum et Lanciciensis jam ducatus Vladislao Duci praedicto cesserat. Num autem eum eundem esse putemus, qui Palatini Cracoviensis dignitate anno 1291 fungebatur, dubium nobis est. Nomen Castellani Sandomiriensis in archetypo omissum est. Regnante Lescone Nigro, ad annum usque 1288 Nicolaus Castellanus Sandomiriensis in tabulis occurrit, post quem ad annum demum 1305 apud Dlugossium (IX. 911) de Prandota hac dignitate investito mentionem invenimus.

(4) Vide ad tabulam Nro LVto praemissam annotationem quintam.

LXXIX.

Brestiae, anno 1292 die 20 mens. Maji.

Vladislaus Locticus Dux Sandomiriae, Cujaviae et Siradiae, villas *Guźlin* et *Pikulkowo* civitati *Brestensi* donat (1).

Noverint universi et singuli praesentes literas inspecturi, quod nos Vladislaus dei gratia Dux Sandomiriae, Cujaviae et dominus Siradiensis intuentes fidelia ac praeclara servitia nostrorum civium Brescensium, nec non ad reformationem praenominatae civitatis, duas villas quae vulgariter nuncupantur *Guzlino* et *Pikulkowo* (2) sitas ante praefatam civitatem, damus,

(1) Ex apographo doctiss. Komirovscii, cujus quidem archetypon, ubi et quale sit, nobis minime constat.

(2) *Guźlin* et *Pikulkowo* villae parochiae Brestensis, oppido huic vicinae, Cujaviensis sunt territorii et Brestensis regionis.

concedimus et donamus eidem civitati in perpetuum subjacendas. Quidcunque vero cives supradicti ordinandi seu faciendi habuerint, ipsi incolae dictarum villarum consilio pariter et auxilio in omnibus adstare tenebuntur. In cujus itaque evidentiam pleniorem praesentes scribi jussimus, nostri sigilli munimine roboratas, ne caetero ambiguitas super his aliqualis valeat suboriri. Actum publice sub anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo. Praesentibus his testibus: Comite Cristino Palatino Cujaviensi, Comite Predslao (3) Castellano Vladislaviensi, Comite Mathia Judice Cujaviensi, domino Andrea Procuratore nostro (4), Comite Chebda Succamerario nostro, Vilhelmo Advocato Siradiensi, et aliis quam plurimis fide dignis. Datum in *Brzescie,* infra octavas ascensionis domini feria tercia (5).

(3) In apographo nomen *Phredrconis* pro *Predslai* nomine notatum erat, quod vitio scriptoris factum esse, tabula anni 1293 paulo inferius N^ro^ LXXXIV. descripta, et multo majori fide digna, docet.

(4) Idem significante titulo Vlodarii hunc Andream in tabula anni 1299 Codici Raczyńsciano N^ro^ 81mo inserta designatum videmus. Conf. annotationem octavam ad privilegium N^ro^ LXV^to^ praemissum.

(5) Dies feriatus ascensionis domini, anno 1292 die 15mo mensis Maji, qui dies Jovis erat, celebrabatur.

LXXX.

Lanciciae, anno 1292 die 24ta mens. Junii.

Casimirus Dux Lanciciae (Vladislai Loctici frater), villis nonnullis monasterii Sulejoviensis, privilegium juris Teutonici (quod dicebatur) Noviforensis, et quo Lancicia regebatur, confert (1).

In nomine domini, amen. Nos Kazimirus dei gracia Dux Lanchicie significamus universis presentibus et futuris, quod nos attendentes quanto devocionis affectu pie recordacionis pater noster Dux Kazimirus ceterique progenitores nostri, fundacionem suam, videlicet ecclesiam sancte Marie

(1) Ex archetypo membranaceo, doct. Stronczyńsqii proprio, cujus sigillum abruptum, fila autem, quibus appensum erat, flavi, viridis et violacei sunt coloris.

sanctique Thome de *Suleiow* fratresque Cistersiensis ordinis ibidem domino servientes favore speciali dilexerunt, eorum pijs vestigijs inherere cupientes, ut eiusdem domus fratres in futurum liberius et magis pacifice omnipotenti deo valeant deservire, conferimus Abbati predicte domus Capellano nostro spirituali villas in dominio nostro sitas, videlicet *Goram, Pucinowo, Campam* (²) cum toto districtu suo, prout sunt certis metis et gadibus limitate, locare eodem iure Teuthonico, videlicet iure Novifori, quo nostra civitas Lanchicia cetereque civitates Teuthonicales terre nostre sunt locate. Incolas autem predictarum hereditatum et villarum, cujuscunque nacionis sint sive artis, absolvimus in perpetuum ab omnibus polonicalibus solucionibus iam emersis vel in futurum emergendis, qualitercumque nominentur, et ab omni iugo tributarie servitutis, quocunque vocabulo censeatur. Ad castra autem firmanda vel reparanda nunquam ire compellentur, nec ad expedicionem aliquam ire tenebuntur, nisi cum gens aliena hostiliter invaserit terram nostram; nec ad alicuius Palatini vel Castellani vel alterius Judicis audienciam provocabuntur, nisi nostram, cum littera nostro sigillo sigillata, semper et ubique iure Teuthonico iudicandi; aliomodo citati nunquam comparebunt. Causas quoque que in prefatis hereditatibus per quoscunque et villis emerserint, vel per habitatores earundem contigerint, sive sentenciam capitis, sive suspendium exigant, sive ex furto, sive ex homicidio, civilem aut criminalem questionem contineant, Abbas sive Scoltetus vel Scolteti, quos idem Abbas pro voluntate sua instituerit, libere iudicabunt, soluciones penales recepturi. Et quia ab antiquo predicte hereditates a nostris progenitoribus prefate domui de Suleiow cum omnibus utilitatibus sunt concesse, iam per amplius ipsum Abbatem et omnes habitatores villarum earundem in silvis, in aquis, in campis, in pratis, in molendinis, in macellis, in tabernis vel artibus alijs, in piscacionibus, in venacionibus, uti pro sua voluntate cupimus volumus et gaudere. Quod ut ratum et firmum in perpetuum habeatur, presens scriptum sigilli nostri munimine duximus sigillandum. Huius rei testes sunt: Comes Dirsicraius Palatinus Lanchiciensis, Johannes Cancellarius, Seceh Judex, Wseborius Dapifer, Alexius Castellanus, Johannes Prepositus Lanchiciensis. Datum in *Lanchicia* sub anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, in die sancti Johannis Baptiste.

(²) Vide ad tabulam paulo inferius Nro LXXXII. exhibitam annotationem secundam.

LXXXI.

Calissiae, anno 1292.

Premislaus II Dux Poloniae Majoris, omnes ditionem ejus per *Olobok* intrantes, et in eadem domicilium sibi constituturos advenas, nec non mercatores Calissienses merces per praedictam villam transvehentes, a portorii solutione liberat, hisque censum de duabus pannorum tabernis provenientem in perpetuum donat (¹).

In nomine domini, amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum etatis nostre negocia litterarum ac testium munimine roboramus. Nos igitur Premisl secundus dei gracia Dux Polonie notum facimus universis, tam presentis etatis hominibus quam future, quod pia consideracione intendentes profectuj et melioracioni terre nostre et civitatis Kalisiensis, ut in facultatibus propriis ampliata, consveta nobis servicia facilius valeat inpertiri, universos homines terram nostram ratione mansionis intrantes per *Oloboch* (²) et cives nostros Kalisienses cum mercibus ipsorum per viam eandem transeuntes, de theloney absolvimus solucione, donantes eisdem civibus nostris ex plenitudine gracie nostre censum de cameris duabus sitis in eadem civitate Kalisiensi pro pannis condendis in subsidium civitati, perpetuo possidendum. In cuius rei testimonium presentes conscribere jussimus, sigilli nostri munimine roborantes Presentibus his testibus Comitibus: Alberto Castellano de *Cbansin* (³) (sic), Sendyvoio Subcamerario Kalisiensi, domino Thilone Preposito de Santok. Ego Jasco Notarius dominj mej Ducis supranominati his eciam interfui, et de mandato ipsius propria manu subcripsi. Actum et datum in *Kalis,* anno gracie dominj M° CC° nonagesimo secundo.

(¹) E tabula authentica membranacea doctiss. Stronczyńscii propria, cujus sigillum jam desideratur, funiculus autem, quo appensum erat, flavi coloris est.

(²) Vid. annotationem tertiam ad tabulam N° LIV. praemissam.

(³) Vide ad tabulam N^ro^ XXXIV. praemissam annotationem octavam.

LXXXII.

Lanciciae, anno 1292 die 30 m. Novembris.

Casimirus Dux Lanciciae, incolas villarum *Gorae*, *Pustkoviae* et *Kempae* coenobii Cisterciensium Sulejoviensis propriarum, ab omnibus publicis tributis et angariis per sedecim annos immunes esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Nos Kazimirus dei gratia Dux Lanchicie significamus universis presentibus et futuris, quod nos contulimus Abbati et conventui domus de *Siliov* specialibus Capellanis nostris locare villas suas, videlicet *Goram, Pusnovo, Campam* (²) cum toto districtu suo, prout sunt certis metis et gadibus limitate, locare eodem iure Theutonico prout in *Syroda* (³) incole et cives eiusdem civitatis habere dignoscuntur: et ut pocius dictas villas suas locare valeant, et ad eas homines vocare liberius, concedimus omnibus incolis dictarum villarum iam residentibus vel in futurum advenientibus in eisdem sedes edificare, extirpare, et XVI. annis omnimoda gaudere libertate; et ab omni exactione eosdem incolas infra predictos XVI.

(¹) Ex archetypo membranaceo doctiss. Stronczyńscii proprio, cujus sigillum de cera communi factum, jam prorsus deletum, filis sericis rubei et flavi coloris appensum est.

(²) De villis hic recensitis jam in annotationibus ad privilegium Nro IVto praemissum locuti sumus; villam enim hic *Góra* dictam non aliam esse nisi pagum *Baldrzychowska Góra* (Baldrichoviensem montem), qui in praedicto privilegio vocabulo latino *Mons* indicatur, et ad rivum Mierczna situs a Baldrichovia vix uno milliario distat, nemo est, qui dubitet. Quum tamen tum in hac, tum in paulo praecedente LXXXma tabula, de villis *Góra, Pusnovo* (v. *Pucenovo*) et *Campa* hoc modo agatur, ut easdem omnes sibi contiguas et quasi in uno limitum tractu positas esse facile quisque conijcere possit, nunc facilius etiam adducor, ut villam hic *Pusnovo* alias autem *Pucenovo* perperam dictam, non aliam nisi villam *Pustkowie* Górae contiguam esse credam,—utque villam quoque *Kępam* ibidem ad fluvium Mierczna vel olim exstitisse, vel etiam hodie extare putem, argumento tabulae XXIIItiae meae huic opinioni vel maxime suffragante; licet de nomine et situ praedictae villae, nec Indices Regni Poloniae locorum, nec tabulae geographicae ullum indicium exhibeant.

(³) *Sroda* primarium nomen erat oppidi, quod *Novum forum* latine, *Neumarkt* vero germanice dictum, in Silesia inferiori situm, quatuor milliariis a Vratislavia distat. Vid. Stenzelii *Urkunden-Sammlung* p. 108; Roepelli *Gesch.* I. 577, 578. Dlugossii etiam Chronica de uno eodemque eventu, duobus diversis locis, Libro scil. VI. p. 579 et Lib. VII. p. 709 (errore vel ipsius Dlugossii vel librarii, vitiata temporum ratione) narrationem exhibentia, illo Środae, hoc autem loco Novifori nomen eidem oppido tribuunt. Conf. tab. Nro XLIV. praemissa pag. 74.

annos liberos esse volumus et immunes. Expletis autem predictis annis eadem libertate perfruentur, sicut incole nostrarum civitatum iure Theutonico locatarum. Quod ut in futurum ratum et firmum habeatur, presentem litteram predictis Capellanis nostris nostro sigillo dedimus sigillatam. Presentibus hiis: Comite Dirzicraio, domino Johanne Cancellario, Comite Siborio Dapifero, Urbano Subcamerario, Johanne Subpincerna, et multis aliis. Datum anno domini M° CC° nonogesimo (sic) secundo, in die beati Andree Apostoli.

LXXXIII.

Gnesnae, anno 1293 die 23 mensis Aprilis.

Premislaus II Dux Poloniae Majoris Gerardo Abbati coenobii Cisterciensium *Lądensi* potestatem tribuit, colonis Germanis et liberis Polonis rusticis, privilegio juris Teutonici (quod dicebatur) gavisuris, villam *Jaroszyn* frequentare (1).

In nomine domini, amen. Omnis actio temporalis memoria indigens, ne prauorum hominum suggestionibus deprauetur, utile uisum est, ut scripture testimonio roboretur, et justicia debitum sorciatur effectum. Nouerint igitur uniuersi presentem paginam uisurj, quod nos secundus Premizl dej gracia Dux Polonie Maioris, cupientes que ad cultum diuini nominis spectant, nostris temporibus pocius augeri quam diminuj, et ea, prout possumus, liberius confouere; quapropter nos progenitorum nostrorum deuocionem, quam semper habuerunt erga domum Lendensem pio prosequentes affectu, contulimus reuerendo patrj domino Gerardo Abbati domus ejusdem et suis fratribus interpellantibus, auctoritatem locandj in hereditate, que *Jarossino* (2) dicitur, villam cum Teutonicis et liberis Polonis, pleno iure Teutonicorum. Verum quia donum deo collatum, legibus principum subiacere non debet, volumus predictam villam liberam et exemptam esse a *pouoz,* a *preuod,* a *strosa,* a *dan,* a *naraz,* a *poduoroue,* a *targoue,* a *mostne,* a castrorum

(1) Ex archetypo membranaceo Ill. Josephi Rusiecki proprio, cujus sigillum desideratur; fila autem serica, quibus appensum erat, rubei coloris sunt.

(2) *Jaroszyn* villa parochiae Lądecensis, Coninensis territorii et regionis.

edificio siue poncium quorumlibet, a recepcione Subuenatoris seu custodis, uel conductu castorariorum, a uicinia quod *opole* wlgariter nuncupatur, a custodia vel solucione erodiorum, quod *socol* nuncupatur, et ab omni exactione seu colleccione quod *pouoloue* dicitur, a uecturis et expedicionibus vel omnibus iuribus in Polonia constitutis, quibuscumque censeantur nominibus; hoc solo excepto, cum aliquis contra dominum (dominium?) nostrum insultum fecerit, quod colonj sepedicte ville una nobiscum tenebuntur defensare. Judiciorum nichilominus omnium, ut est de contentione, percussione, membrorum mutilacione, siue eciam capitis perplectione, ut maiorem circa dominum in tremendo iudicio fiduciam habeamus, predictis fratribus, per suum iudicem exsequenda (sic) liberam auctoritatem concedimus. Nulli ergo Castellanorum aut Judicum siue citandj siue iudicandj in ipsa villa ius aliquod reseruantes. In huius rej testimonium presentem paginam nostrj sigillj munimine roboramus, presentibus hijs: Comite Bozeta Castellano Lendensi, Comite Johanne Castellano Sremense, Comite Bogmilo Venatore Gnezdnensi, Comite Lasch (sic) Subdapifero domine Ducisse, et alijs quam pluribus fide dignis. Datum in *Gnezdna* Adalbertj martyris (3), anno domini M° CC° nonagesimo tercio, per Jaschonem Notarium nostrum.

(3) Hic diem sancto Adalberto sacratam intelligi, minime dubitandum est. In adscribenda enim tabularum die, verbi *„diei"*, quod designationem sancti alicujus vel sanctae praecedere solebat, omittendi, mos apud Notarios illo tempore invaluit. Conf. tabb. annorum 1296 et 1301 Nris LXXXV. et XCV. inferius exhibitas.

LXXXIV.

Brestiae, anno 1293 die 20 mens. Augusti.

Vladislaus Locticus Dux Siradiensis et Cujaviensis, villas suas *Niewodniki* et *Cieślino (?)*, cum villis coenobii Cisterciensium Lądensis *Kłobia* et *Choceń* commutat (1).

In nomine domini, amen. Omnis actio legitima temporalis memoria indigens, ne pravorum hominum sugestionibus infirmetur, utile et cautum

(1) E tabula authentica membranacea Ill. Josephi Rusieckii propria, cujus sigillum et ligamentum, quo appensum erat, desiderantur.

est, ut scripture testimonio roboretur. Hinc est, quod nos Wladysslaus dej gracia Dux Syradiensis et Cuyauiensis, ordinacionem siue commutacionem hereditatum cum viris religiosis, domino Abbate Gerardo et conventu domus Lendensis fecimus; dantes eisdem hereditates nostras, que *Nevodnici* et *Cheslino* (2) wlgariter nuncupantur, cum lacu qui *Goplo* dicitur, ad prefatam hereditatem pertinentem (sic), cum omnibus utilitatibus, que nunc in eis sunt, aut umquam esse poterunt, pro duabus hereditatibus ipsorum, quarum una *Cloba*, altera vero *Hocene* (3) nominatur; fideli deuocione promittentes, quod si umquam, quod absit, a nostro dominio in prejudicium predictorum fratrum eedem hereditates, quas contulimus, recesserint, in nostro ducatu, ubi nobis et ipsis visum fuerit, recipiant pro suis hereditatibus condignam mansionem. Et quia hereditates, quas a sepedictis fratribus per commutacionem recepimus, *Clobam* videlicet et *Hocene*, ab antiquo potite sunt omnimoda libertate, potestate, qua fungimur, conferimus predictis hereditatibus, quas domuj Lendensi assignamus, in remedium animarum progenitorum nostrorum nostraque pace ac salute, libertatem ab omni iure polonicali, videlicet: a *pouos*, ab omni *preuod*, a *strosa*, a *dan*, *naraz*, *poduoroue*, *targoue*, *mostne*, a castrorum edificacione seu poncium quorumlibet, a custodia et solucione herodiorum, quod *socol* dicitur, a uicinia que *opole* wlgariter nuncupatur, ab omni exactione siue collectione, a uecturis et expedicionibus, ab omnibus iuribus in dominio nostro constitutis, quibuscunque censeantur nominibus. Nulli ergo Castellanorum aut Judicum in prefatis hereditatibus seu hominibus propriis siue liberis in eis commorantibus, ius aliquod reseruamus. Sed cum grauis causa emerserit, que coram Abbate uel eius iudice convenienter diffiniri non poterit, ad presenciam nostram cum anulo nostro citari debent, remittentes. Abbati quidquid iure iudicii cesserit. Conferimus eciam domino Abbati, ut cum universaliter a nobis in terra nostra exactio siue collecta statuitur, ipse in suis hereditatibus pro se coligat et reseruet. Volomus (sic)

(2) Villa *Nevodnici* nec in indice locorum territorii Bidgostiensis, nec in recentiori tabula geographica, in qua omnia singula loca Junivladislaviensis regionis depicta sunt, inveniri potest. Eam tamen in propinquo lacus *Goplo* dicti, et quidem in Krusviciae vicinia sitam fuisse, tum haec Vladislai, tum altera Casimiri M. Regis Poloniae anni 1340 tabula inferius exhibita, docent. Cheslinum autem villam *Cieślin* esse intelligimus parochiae Kościelecensis in territorii Bydgostiensis Junivladislaviensi regione sitam et Junivladislaviae proximam.

(3) Vid. annotationem secundam ad privilegium Nro Imo praemissum.

nichilominus, ut siue per nos, siue per quemcumque villa eorum que *Hocene* dicitur possessa fuerit, domuj de *Landa* decimam in campis asignet illibatam. In *Cloba* vero pro decima recipiant dimidiam partem argenti, et dimidiam partem annone censualis. Datum et actum in *Bresche* (4), anno domini M° CC° nonagesimo tercio, Indictione sexta (5), in die beati Bernardi Abbatis. Presentibus hiis testibus: Comite Cristino Palatino Cuyauiensi, domino Fulcone Cancellario Cuyauiensi, Predslao (sic) Castellano Wladislaviensi, Comite Bronisio Castellano Crusuicensi, domino Andrea Procuratore, Jacolachcone (sic) Jacobo Subiudice, et aliis quam pluribus fide dignis. Ut autem hec omnia in perpetuum rata et inconwlsa permaneant, presentem cedulam sigilli nostri apensione confirmamus.

(4) Cujaviensis-Junivladislaviensis enim Ducatus erant villae praedictae monasterio Ladensi commutatae, quem scilicet Ducatum, qui olim ditionis Ziemiomyslii Ducis anno 1287 defuncti fuerat, quo jure et titulo Vladislaus Locticus adeptus sit, nescio; quum Ziemomyslio tres filii heredes superstites essent, quorum tutelam a matre Salomea gestam fuisse, omni suspicione majora monumenta anni 1288 et 1292 docent. (Vid. Röpelli *Gesch. v. Pol.* T. I. p. 543 et Voigtii *Gesch. Preuss.* T. IV. p. 188).

(5) Indictionis numerus recte indicatus est.

LXXXV.

Sine loco, anno 1296 die 19 mens. Maji.

Gervardus quidam nobilis Polonus, villae *Koszuty* dominus, molam aquariam, in praedicta villa ad Wirzbiec rivulum sitam Christiano Sculteto Koszutensi confert, eumque obligat, ut quotannis duo pondera, quae lapides dicebantur, cerae, monasterio Lendensi pendat (1).

In nomine domini, amen. Quum humane conditionis fragilis propago a statu huius vite velut aqua defluens, omnis actionis detrimentum patitur, quam non studuerit fide digna subscripcione testium roborare. Nos Comes

(1) E tabula authentica membranacea Ill. Josephi Rusiecii propria, cujus sigilli pusillum tantum fragmentum filis coloris viridis appensum superest, in quo nihil, praeter literas „*ard*" conspici jam potest.—Conf. tab. anni 1253 N^ro^ XLI. praemissam.

Gerwardus dominus et heres in *Cosuth*, universis Christi fidelibus presentibus et futuris volumus esse notum: quod nos Cristiano Sculteto nostro ac suis herbdibus contulimus molendinum nostrum, quod situm est in villa nostra *Cosuth* (2), super riuulum qui *Virbez* dicitur, iure hereditario possidendum. Ita quod singulis annis in festo beati Martinj dabunt duos lapides cere in remedium anime nostre ac parentum nostrorum monasterio Lendensi censu perpetuo perdurante. Nulli ultra quicquam de prefato molendino seruientes, sed ab omni seruicio exempti, ipsum libere possidebunt. Si uero contigerit, quod idem molendinum sit venumdandum, venient heredes ad dominum Abbatem monasterij memoratj, colloquentes ei super venditione huius molendinj; cui si placuerit emere precio quo conuenerit cum eis, pre ceteris obtinebit. Quicumque autem possessor huius molendinj fuerit, tenebitur nobis molere gratis diebus versantibus vite nostre. Contulimus etiam dicto Cristiano ambo littora nostri stagnj, in quibus poterit edificare et operari, prout sibi ac suis posteris videbitur expedire. Nichilominus pro utilitate ac necessitate sua plantandi ortum ipsi contulimus libertatem, in nostro stagno piscandi facultatem tribuentes; verum tamen piscacionis usum cum reti parwlo prosequantur. Et ut idem molendinum in omnibus liberum sit et expeditum, dedimus eidem Cristiano ac suis posteris viam accedendi ad prefatum molendinum, ubi sibi melius et aptius viderint competere, nullo penitus prohibente. Ut autem hec ordinacio, quam fecimus ob salutem anime nostre, inviolabilis perseueret, obtinuimus a reuerendo patre domino Johanne Episcopo Poznaniensi, ut sigillo suo presentia confirmando, huius rei testis venerabilis habeatur, una cum discreto viro Gerhardo Abbate Lendensi, domino Hermanno Seniore ibidem, domino Waltero Plebano de *Slupza* (3), et alijs quam pluribus fide dignis. Datum et actum anno domini M° CC° XC° VI° Potentiane virginis venerande. Ut autem sciantur ista a nobis, tamquam a uero herede ordinata, presentem cedulam sigillj nostri munimine fecimus communirj.

(2) Vid. annotationem secundam ad tabulam anni 1253 praedictam.
(3) *Slupca* nunc oppidum parochiale, Coninensis territorii, Pysdrensis autem regionis, villae Koszuty proximum.

LXXXVI.

Sochaczoviae, anno 1297 die 17 mens. Junii.

Boleslaus (filius Ducis Ziemoviti) Dux Masoviensis et Czersconsis, quinque villas suas et silvas nonnullas Joanni Episcopo Posnaniensi donat (1).

In nomine domini, amen. Quum oblivio per successum temporis gestorum excludat memoriam, quibus eciam frequenter scrupulus calumpnie novercatur, necessarium est, actiones legitimas, que memoria indigent, per scripti continentiam ad noticiam transmitti posterorum. Igitur nos Boleslaus dei gracia Dux Mazovie et Cyrnensis, saluti nostre et fratris nostri felicis recordacionis domini Conradi quondam Ducis Mazovie et Cyrnensis filiorumque nostrorum cupientes devocius providere, ob remedium anime nostre et omnium parentum nostrorum, venerabili in Christo patri domino Johanni miseracione divina Poznaniensi Episcopo et ecclesie Poznaniensi donamus in perpetuum villas seu hereditates, nulli alteri nisi nobis et nostro dominio subnixas, sibi et suis successoribus inconcusso jure ac hereditario possidendas; videlicet: *Rambovo, Dambrova, Barcikoviz, Jamno, Gramzevo,* silvas *Tozavez* et *Pocekars* adjacentes hereditati *Chrunino* (2) vulgariter nuncupate cum ipsarum utilitatibus omnibus, libertatibus et exemptionibus. Et dictarum

(1) E tabula authentica pergamena, in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Posnaniensis asservata, cujus sigillum de cera communi factum effigiem Ducis cataphracti ad genua sanctae virginis Mariae procumbentis venerandi causa, altera manu cassidem tenentis, altera scuto innixi repraesentat. Post tergum Ducis, antica pars equi, in ambitu vero haec verborum fragmenta conspiciuntur: „† *S. Bolesla* ...... *s Mazovie:*" scutum autem crucem et literam M. praesefert.—Tabula haec privilegio Casimiri M. Regis Poloniae anni 1358 ad verbum inserta, legitur in Codice diplomatico Raczyńsciano N^ro^ 98° p. 116, 117. Descriptum etiam est in hoc opere Ducis Boleslai aliud eadem die latum privilegium (N^ro^ 78), in quo, maxima ex parte, verba dictionesque, nec non testium nomina, fere eadem quae in nostra legimus tabula, reperiuntur.

(2) *Dąbrowka* parochiae Białotarscensis, *Barcik* parochiae Czermnensis, *Jamno* villa parochialis, Gostyninensis territorii et regionis, *Rembów* vero parochiae Białotarscensis regionis Orłoviensis sunt bona. *Gramzewo* vel *Gransewo* (secundum Codicem Raczyńscianum) *Grądzeń* sine dubio, est villa Zagóroviensis parochiae, Coninensis territorii et regionis. Villa *Chrunino* in nostra tabula, *Chrzymino* vero apud Raczyńscium dicta, *Krubin* mihi esse videtur villa publica Sannicensis parochiae prope Jamno, Barcik et Pacynam pagos sita, silvisque non paucis contigua, Gostyninensis territorii et regionis.

villarum incolas absolvimus perpetuo ab omnibus solucionibus, serviciis et exactionibus realibus, predialibus et personalibus, scilicet: a *povoz, strosa, stan, poradlne, naras, crova, ofza, targove,* a citatione castri, moneta, et ab omnibus angariis et preangariis, sive de novo emergant, sive fuerint ab antiquo, quibuscunque nominibus censeantur vel in posterum censebuntur; nec non ab omnibus juribus, juridictionibus, judiciis Palatinorum et Castellanorum, et omnium judicum officialiumque quorumcumque, facimus et reddimus immunes perpetuo liberos et exemptos, ut non liceat nec licebit villas predictas ad tribunal alicujus citatorie conveniri, nisi ad nostram tantum presenciam, nec aliter, nisi sigillo nostro fuerint evocati. Duntaxat tamen in gravibus et enormibus causis seu forefactis coram nobis respondere predicte (sic) incole tenebuntur. Ad *prevod* vero militale, juxta consvetudinem militum terre nostre, et ad edificacionem castrorum nostrorum solummodo tenebuntur: hoc adjecto, quod predictarum villarum incole ipsum *prewod* in proxima villa, cujuscunque fuerit, sub periculo non recipientium deponere teneantur. Ad hec volumus, ut ijsdem in omnibus et singulis libertatibus gaudeat villa Archidiaconi Cyrnensis dicta *Rokitno* ([3]) prout superius est expressum. Damus eciam et concedimus prefato patri Jo.(anni) et ecclesie Poznaniensi in prenominatis villis venaciones capreolorum atque cervorum, omnibus aliis feris magnis pretermissis, quorum (sic) venaciones penitus prohibemus. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus et sigilli nostri munimine communiri. Hec acta sunt anno domini M° CC° nonagesimo septimo, Indictione decima ([4]), quintodecimo Kalendas Julii. Datum in *Zochazov* per manus domini Hermanni Subcancellarii nostri, presentibus Baronibus nostris: Imislao ([5]) Castellano Wisnensi ([6]), Jacobo Judice Mazoviensi, Grotone Judice Cyrnensi, Nemiro Castellano Cyrnensi, Johanne Pincerna, Climenta Venatore, et aliis quam plurimis fide dignis.

([3]) *Rokitno* villa parochialis Varsaviensis territorii, Błonensis vero regionis.
([4]) Indictio recte indicata est.
([5]) „*Tomislao*" in Codicis Raczyńsciani tabula N^ro^ 78; „*Janislao*" autem in ejusdem Codicis tabula 98va (p. 117) legitur.
([6]) Vid. annotationem tertiam ad privilegium N^ro^ XIII^mo^ praemissum.

LXXXVII.

Pysdrae, anno 1297 die 6 mens. Octobris.

Wladislaus Locticus Dux Regni Poloniae et dominus Pomeraniae, Cujaviae, Lanciciae et Syradiae, donationem villae *Bronkowo* ab Ozia Thesaurario Lądensi coenobio ejusdem loci Cisterciensium factam, ratam esse jubet, et villae eidem privilegium juris Theutonici (quod dicebatur) confert (¹).

In nomine domini, amen. Quod fide sincera perpenditur, roborari debet sollempni tytulo litterarum. Nos igitur Wladislaus dei gracia Dux Regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyauie, Lancycie ac Syradie, notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis: quod Comes Ozyas Tezaurarius Lendensis, coram nostra Baronumque nostrorum constitutus presencia, pro remedio anime sue et in remissionem suorum peccaminum, contulit villam, de consensu fratrum suorum unanimi, que *Bronkowo* (²) wlgariter nuncupatur, monasterio de *Lenda* et fratribus ibidem deo seruientibus, iure hereditario in perpetuum possidendam, cum omnibus utilitatibus et prouentibus ad predictam villam spectantibus. Et quia predictus Ozyas coram nobis et nostris Baronibus, spontaneus, non coactus, dictam hereditatem predicto monasterio de Lenda et fratribus ibidem tradidit et donauit, ita quod deinceps prefatus Ozyas et fratres ipsius, et legitimi eorum successores, ad prefatam hereditatem nil habeant questionis. Volentes autem, ut fratres monasterij de Lenda, gaudeant de speciali nostra gracia et fauore, damus in villa superius prenotata plenum ius teuthonicum, cum omni libertate, secundum quod alie ville sepedicti monasterij iure teuthonico fore dignoscuntur locate; liberantes dictam villam et incolas ibidem, ab omnibus solucionibus polonicalibus, que nostro dominio dignoscuntur perti-

(¹) Ex archetypo membranaceo Josephi Rusieckii proprio, cujus sigillum filis sericis rubei coloris appensum valde laesum, leonis et aquilae dimidiae dorsis conjunctis sursum stantium effigiem repraesentat. In ambitu verborum fragmenta: „† *S. Wla*......... *adie*" conspiciuntur.

(²) Proximum est, hic villam *Bronniki* parochiae Kucharensis, Coninensis territorii et regionis intelligi; villa enim *Bronkowo* de qua et in tabulis anni 1324 et 1365 inferius exhibitis fit mentio, nec in indice locorum, nec in tabulis geographicis inveniri potest.

nere, et generaliter ab omi alia inquietacione, que ius teuthonicum consueuit perturbare. Ut igitur donacio Comitis Ozye sic legitime coram nobis facta, et nostre libertatis concessio, firma per nos et successores nostros in perpetuum obseruetur, presens instrumentum in testimonium predictis fratribus de Lenda dedimus, nostri sigilli robore communitum. Actum anno domini Myllesimo ducentesimo nonogesimo (sic) septimo, presentibus infra scriptis testibus ad hoc rogatis: Domino Johanne Cancellario Cuyauiensi, Comite Berwaldo Castellano Kalisiensi, domino Philippo Archidiacono Gnezdnensi, Comite Sandyuogio Subcamerario Kalisiensi. Datum *Pysdor* (3) in octaua beati Mychaelis Archangeli.

(3) *Pyzdry* (Peysern Germanis) oppidum parochiale Coninensis territorii, regionis vero sui nominis caput, in confinio M. Ducatus Posnaniensis situm.

LXXXVIII.

Calissiae, anno 1298 die 4 mens. Martii.

Vladislaus Locticus Dux Regni Poloniae etc. donationem villae *Koszuty* a Gervardo filio Boguszae nobili Polono, monasterio *Lądensi* Cisterciensium factam, ratam esse jubet, villaeque huic immunitates et privilegia juris Teutonici tribuit (1).

In nomine domini, amen. Quod magnifica principum decrevit auctoritas, ratum debet atque stabile permanere. Idcirco nos Wladizlaus dej gracia Dux Regni Polonie et dominus Pomoranie, Cuyavie, Lanchicie ac Syradie, notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis: Quod Comes Boguse filius nomine Gervardus in nostra nostrorumque Baronum presencia constitutus, hereditatem suam *Cosuti* (2) wlgariter dictam, domino Abbati totoque (sic) conventui domus Landensis tradidit et

(1) E tabula authentica membranacea Ill. Comitis Leonis Rzyszczevii propria, cujus sigillum rotundum de communi austera cera factum, parte aversa convexum, filis autem sericis rubeis appensum, jam saepius descriptum insigne Lancicionsis, Cujaviensis et Siradiensis Ducatuum, dimidiam scilicet aquilam cum leone dorso conjunctam, in ambitu vero verba: „† *S. Wladislai D.... Lancicie... uiavie et Siradie*" repraesentat. In media parte aversi sigilli, loco contrasigilli (quod dicebatur) foramen est, quod pollice Ducis vel Notarii cerae impresso, ut moris erat, factum esse videtur. Conf. tabb. N^ris^ XLI^mo^ et LXXXV^to^ praemissas.

(2) Vide annotationem secundam ad privilegium N^ro^ XLI^mo^ praemissum.

donavit jrrevocabiliter et in perpetuum possidendam, cum omnibus utilitatibus et proventibus ad eandem hereditatem pertinentibus, qui nunc sunt, aut esse poterunt in futuro, silvis, nemoribus, rubetis, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, molendinis, piscinis prout in suis limitibus et terminis dicta hereditas est distincta, consanguineorum ipsius Gervardi nullo reclamante aut contradicente. Nos vero predictam donacionem considerantes legittime ac racionabiliter esse ffactam, ipsam approbamus, et presenti nostro privilegio duximus confirmandam, ffacientes predictum dominum Abbatem et totum conventum domus Landensis hereditatis dicte *Cosuti* veros heredes et legittimos posessores. Ut autem predicti Abbas et totus conventus nobis oracionibus magis sint astricti, ac eciam pro remedio nostrorum pecaminum, damus super villam predictam omnem libertatem, prout cetere ville Theutonicales domus Landensis habere dignoscuntur. In cuius itaque evidenciam pleniorem, presentes conscribi jussimus, nostri sigilli munimine roboratas. Presentibus hijs testibus: domino Johanne Preposito Plocensi, Comite Johanne Castellano Lanchiciensi, Comite Stegneo (3), Comite Roscone Venatore Kalisiensi, Stanizlao Scriptore curie nostre, et aliis quam plurimis fide dignis. Actum anno domini M° CC° nonagesimo octavo. Datum *Kalis* proxima tercia feria post dominicam qua cantatur „Reminiscere" (4).

(3) Comes Stogneus anno 1301 munus Castellani Lądensis obibat. Vid tabulam Nro XCV exhibitam.

(4) Dies dominica „Reminiscere" dicta, anno 1298 die 2do mensis Martii celebrabatur.

LXXXIX.

Crusviciae, anno 1298 die 14ma mens. Junii.

Vladislaus Locticus Dux Regni Poloniae etc. oppidum *Radziejoviam*, sincero Magdeburgensi jure, quo jam Junivladislavia, Siradia et Brestia utebantur, regi sinit; provocationes vero litium, non alias, nisi ad Junivladislaviense municipale judicium interponendas esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quoniam facta mortalium inducunt oblivionem, vel morte intercepta, sicut experientia docuit, solent annihilari, si non fuerint

(1) Ex apographo Komiroviano, multis mendis scatente, cujus archetypon ubi et quale sit, nobis relatum non est.

legitime virorum ac proborum testimonio roborata: ea propter nos Vladislaus dei gratia Dux Regni Poloniae, dominus Pomeraniae, Lanciciae, Cujaviae et Siradiae, universorum praesentium et futurorum memoria (sic) declaramus: Quod nos attendentes communem nostram utilitatem et profectum honorabilium civium nostrorum et dilectorum de *Radziejow* (2), pro melioratione civitatis nostre et ampliatione, inclinati precibus praedictorum civium nostrorum gratuitis, quas nobis porrexerunt, contulimus ejusdem (? eisdem) civibus nostris in *Radziejow*, omne jus plenum et perfectum Meydeburgense, prout in scriptis et privilegiis civium de *Juveni Vladislavia* et *Syradz* et *Brzeszcze* secundum quod a patre nostro piae memoriae Duce Casimiro, iidem cives de Juveni Vladislavia super locationem civitatis suae donatum sibi habuerunt, expressim plenius continetur, cum omnibus utilitatibus, videlicet et censu, quem possunt pro melioratione civitatis suae in aedificiis et locationibus de cameris pannorum, institorum, carnificum, piscatorum (? pistorum), sutorum et ortorum (? sartorum), ac aliis omnibus utilitatibus, quas possunt ex suo providentiae modo et discutione (? discretione) in civitate et extra civitatem a suis terminis ad se pertinentibus invenire, de quibus utilitatibus et proventibus singulis annis nos sextum denarium percipiemus. Item contulimus jure haereditario praedictum jus Meydeburgense praenominatis civibus nostris de Radziejow, et successoribus ipsorum, et lucidissime in perpetuum confirmantes, statuimus etiam, ac firmiter observari demandamus: quod iidem cives nostri, si, quod absit, ex aliqua ignorantia vel defectu, jus in sua civitate de *Radziejow* Meydeburgense super aliquo casu invenire [non] possent, non alias extunc quam in *Junivladislavia* super eodem jure requirendo laborare (?) teneantur. Item in his autem (? antea) expressis, et in his quae per oblivionem (?) exprimi dispendiosum fuit, in omnibus jus Meydeburgense observetur. Ut autem nostra donatio praefatis civibus ex parte nostra ac nostrorum successorum firma ac inviolabilis perseveret, nos ipsis privilegium nostrum contulimus, appensione sigilli nostri communitum.

(2) *Radziejewo* oppidum Regni Poloniae parochiale, Cujaviensis territorii, regionis vero sui nominis caput, duobus a Crusvicia, sex vero circiter milliariis a Junivladislavia distat. Quae olim Capituli ecclesiae cathedralis Plocensis villa erat *Radziejovia*, huic jam anno 1252 Casimirum Ducem Cujaviae et Lanciciae jus et privilegium municipale teutonicum impertiisse, auctores nobis sunt Balińscius et Lipińscius in opere, quod „*Starożytna Polska*" etc. inscribitur T. I p. 294.

Actum in *Crusvicia*, et datum in vigilia beati Viti. Praesentibus his testibus: Comite Bronisio Palatino Cujaviensi, Weysio (? Woislao) Succamerario (³) Cujaviensi, Comite Dobeslao de *Lapidea ecclesia* (⁴) Subpincerna Cujaviensi, Sdemila Subagazone Cujaviensi, Rudgero Vicecancellario Cujaviensi. Sub anno incarnationis domini Millesimo ducentesimo trecentesimo (⁵) octavo (sic!).

(³) *Woislaus* rectius nominatus, Succamerarius Cujaviensis, in privilegio ejusdem Ducis Vladislai anni 1299 in Codice Raczyńsciano N^ro^ 81 descripto, testis personam sustinuit.

(⁴) De villa *Kościelec* in Prussia occidentali in ipso territorii Bydgostiensis confinio ad Vistulam prope villas Włuki et Trzęsacz sita hic agi, ut credamus, argumentum tabulae N^ro^ CIV^ta^ inferius exhibitae nos movet.— Conf. tab. praedictae annotationem secundam.

(⁵) *Nonagesimo* pro *trecentesimo* legendum esse, jam ex eo induci potest, quod anno 1293^tio^ adhuc Cristinum, anno autem 1307mo jam Stanislaum Palatinum Cujaviensem, non vero Bronissium, qui anno praedicto 1293^tio^ Crusviciensis Castellani munere fungebatur, fuisse, tum privilegio N^ro^ LXXXIV. praemisso, tum tabula anni 1307^mi^ in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Crac. asservata, et a Vladislao Loctico profecta docemur. Quum igitur nec ad 1288^vum^ nec ad 1308^vum^ annum tabula nostra referri possit, eam anno 1298vo conscriptam esse, propter octonarium ejus finalem numerum necesse est. Accedit, quod in praefato doctissimorum virorum Balińscii et Lipińscii opere, loco superius citato, quo de summa tabulae nostrae mentionem facere videntur, eidem revera annum 1298^vum^ assignatum esse videmus. Ceterum, de Bronissio Palatino Cujaviensi Dlugossius (L. IX. p. 916) refert, unum ex iis nobilibus fuisse, qui anno 1306to Vladislaum Locticum in Pomeraniam prosecuti sunt.

XC.

Pysdrae, anno 1298 die 9 men. Septembris.

Vladislaus Locticus Dux Regni Poloniae etc. Vojslao famulo suo villam *Wrąbczyn*, ab omnibus angariis et tributis liberam, cum jurisdictionis potestate impertitur (¹).

In nomine domini, amen. Multis incomodis prudenter occurrimus, cum ea, que etatis nostre tempore peraguntur, literis ac testibus perhenniter confirmamus. Ea propter est, quod nos Wladislaus dei gracia Dux Regni Polonie, Pomoranie, Cuyavie, Lanzicie ac Syradie, omnium presencium et

(¹) Ex archetypo membranaceo Ill. Josephi Rusieckii proprio, cujus sigillum filis rubeis appensum, insigne provinciarum Lanciciensis, Cujaviensis et Siradiensis praesefert, quod in tabulis praecedentibus jam saepius descripsimus. In ambitu fragmenta verborum: „† *S. Wladislai dei gra. . . . . Syradie*" conspiciuntur.

futurorum memorie commendamus: quod Woyslao fideli nostro famulo et sue posteritati legittime damus potestatem villam suam, que *Vronztino* (2) polonice nominatur, iure teuthonico collocare, absoluentes predictam villam et ipsius incolas a *naraz,* a *povos,* a *preuod,* a *podvoraue,* a *stroza,* a boue, a vacca, a porco, a perna, a *poramb,* a *stan,* a falconibus, a venatoribus, ab urna mellis provincialis, a curru feni, a capete siliginis, ab *opole,* a *poradlne,* et a castri citacione. Ita, quod coram nullo per ministerialem citati debeant comparere vel respondere, sed coram nobis tantum anulo nostro vel sigillo mediante litera provocati. Volumus eciam, ut iam dictus Comes Woyslaus et sui successores, omnes causas maiores, mediocres et minores, que infra limites eiusdem hereditatis *Vroncino* emerserint, habeat iudicare, et penas iudicatas pro se recipere integraliter et complete. In cuius rei firmitudinem evidentem presentes conscribi fecimus, nostro sigillo perpetuo roborantes. Acta sunt hec in *Piysdir,* presentibus hijs Comitibus: Roscone Venatore Kalisiensi, Swanthomiro Castellano de *Bechovia* (3), Swanthoslao Venatore, et aliis quam plurimis fide dingnis (sic). Datum ibidem in crastino natiuitatis beate virginis Marie, per manus domini Dominici Notarii curie nostre, anno domini M° CC° nonagesimo octavo.

(2) Villa *Wrąbczyn* sine dubio hic intelligenda est, Zagóroviensis oppidanae parochiae, Coninensis territorii et regionis, quam anno 1324 jam ad coenobium Lądense pertinuisse, ejus anni tabula inferius exhibita docet.

(3) *Biechowo* olim castrum, nunc villa parochialis in Ducatu Posnaniensi, Posnaniensis territorii, Wrzesniensis vero regionis, inter *Miloslaviam* et *Wrzesniam* oppida sita, non longe ab oppido *Pyzdra* distans.

XCI.

Calissiae, anno 1298 die 21 m. Novembris.

Wladislaus Locticus Dux Regni Poloniae etc. in media provinciae Calissiensis parte, tributum frumentarium ad pontem civitatis Calissiensis reficiendum, imperat (1).

Nouerint universi presentes et futuri, quorum audiencie presens scriptum deferetur, quod nos Wladislaus dei gracia Dux Regni Polonie et dominus

(1) Duo sunt tabulae hujus archetypa exempla, quorum alterum Comitis Rzyszczevii, alterum Comitis Rusiecii proprium; hoc sigillum habet filo serico viridis coloris appensum.

Pomoranie, Cuyauie, Lanchicie ac Syradie, de consensu et de voluntate Baronum nostrorum, statuimus in media parte terre Kalisiensis, quod quiuis homo, de quolibet manso siue sorte, pro reparacione pontis Kalisiensis ciuitatis, singulis annis . . . . . anum (2) siliginis soluere tenebitur, omni amota contradiccione. Quod si quis vero huic statuto nostro contrarius inveniretur, nostram proinde se nouerit indignacionem incursurum. Ut autem hoc statutum nostrum et nostrorum predecessorum robur optineat perpetue firmitatis, presentes conscribi fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum anno domini M° CC° nonagesimo octauo. Datum *Kalis* sexta feria ante diem beate Katerine virginis (3).

jam saepius descriptum insigne provinciae Cujaviensis repraesentans, verbis in ambitu fere prorsus deletis; illius autem sigillum jam desideratur.

(2) Rima chartam laedens in exemplo Rusieciano integrum verbum legi impedit, ut incertum sit, num „tercianum" an „terciarium," aut „quartanum" hic intelligi debeat. In Rzyszczeviano tamen exemplo claris literis scriptum est „*quartale*".

(3) Anno 1298 dies 25ta Novembris, sanctae Catherinae sacrata, dies Mercurii erat.

XCII.

Calissiae, anno 1299 die 6 men. Septembris.

Vladislaus Locticus Dux Regni Poloniae etc. civitati *Calissiensi* cum *Gnesnensi*, *Pysdrensi* et aliis quibusvis foedere contra nefarios turbatores pacis publicae inito junctae, ut efficacius eosdem latrones persequi posset, severioribus nonnullis poenarum et insectationum remediis utendi potestatem tribuit (1).

Noverint universi quorum audiencie presens scriptum deferetur, quod nos Wladislaus dei gracia Dux Regni Polonie, Princeps Pomoranie, Cuyavie,

(1) Ex archetypo membranaceo, olim in tabulario civitatis Calissiensis asservato, nunc autem doctiss. Stronczyńscii proprio, cujus sigillum jam abruptum filis sericis rubei coloris appensum erat. Anonymo rerum polonicarum scriptori, quem plerique Archidiaconem Gnesnensem appellant (Sommersberg II. 91) plus, quam par erat, tribuens Dlugossius (L.VIII. 889) ejusque compilatores, Vladislaum Locticum nimiae tunc temporis in latrones indulgentiae quam injuste insimulaverint, non solum haec tabula nostra probat, sed etiam altera anni 1298 ab eo profecta, quam vide sis in Josephi Łukaszevicii opere „*Obraz miasta Poznania*" T. I. p. 173.

Lancycie ac Syradie, cupientes quod omnes fures, latrones, homicide, periuri, sacrilegij, (sic) opressores virginum et maritarum, et alij universi malefactores non debeant gaudere de sua malicia, et dilectis nostris civibus Kalisiensibus talem contulimus auctoritatem, et omnibus eis adherentibus, scilicet Gnezdnensibus, de Pysder, ac universis alijs qui cum eis voluerint stare, ut eosdem malefactores secundum exigenciam meritorum ipsorum justicia tamen exigente, habeant suspendere, decollare, rotare, mutilare, cremare ac alias penas infligere. Et quod cives nostri Kalisienses ac alij, qui cum eis voluerint stare, habeant prolocutores suos per omnes civitates nostras, pertinentes ad dominium nostrum, qui habeant omnem auctoritatem agendi contra omnes malefactores et penam infligendi, secundum exigenciam meriti cujuslibet malefactoris; nec apud prolocutores jam dictos aliquis aliquam pecuniam vel solidos seu denarios, si in aliquo eos cadere contingerit, audeat extorquere vel accipere; et eciam apud omnes actores qui vellent proponere vel proponent actionem querimonie contra quoscunque malefactores, simili modo prohibemus, ne audeant accipere pecuniam aliquam apud ipsos. Insuper volumus et mandamus et statuimus, quod ubicunque clamor super quemlibet malefactorem fuerit, eundem detineatis; quod si non feceritis, ex tunc contra vestram vestre temeritatis audaciam, in quantum justicia suadebit, procedemus. Et in quacunque civitate vel villa aliquis malefactor proscribetur, sit proscripticius per totum dominium nostrum, et talis ubicunque capietur, utatur jure suo. Et super eo promittimus civibus nostris, tam Kalisiensibus quam alijs omnibus per totum dominium nostrum constitutis, assistere contra omnes qui vellent eos molestare pro infligendis penis malefactorum. Et ut predicta omnia et singula robur obtineant perpetue firmitatis, in hujus rei testimonium presentes scribi jussimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum anno domini M° CC° nonagesimo nono. Datum *Kalis* dominico die proximo ante diem nativitatis beate virginis (2).

(2) Dies feriatus nativitatis beatae virginis Mariae (dies scilicet 8va mensis Septembris), anno 1299, die Martis celebrabatur.

XCIII.

Toruniae, anno 1300 die 1° mensis Junii.

Christianus Scultetus venditionem molendini sui in villa *Koszuty* siti, dum adhuc in Polonia erat, monasterio Lądensi factam, in Borussia, publica auctoritate Conradi de Lichtenhagen Elbingensis ordinis equitum Teutonicorum Commendatoris (qui dicebatur) et consensu filiorum suorum accedente, ratam esse declarat (¹).

Nos frater Con.(radus) de Lyhtenhagen Commendator fratrum domus Theutonicae in Elbingo, notum esse cupimus presencium inspectoribus universis: Quod Cristianus quondam Scultetus in *Kosschuth* in presencia nostra et quorumdam fratrum nostrorum publice est professus, se cum consensu uxoris sue ac liberorum suorum molendinum in dicta villa *Kosschuth* situm, quod sub annuo censu duorum lapidum cere possederat(²), venerabilibus viris domino Abbati et fratribus suis de *Lynda* pro certa pecunia vendidisse, et in civitate dicta *Slubzec*(³) coram contestato iudicio resignasse. Postea vero, cum dictus Cristianus ad terram nostram de Polonia se transferret cum filiis suis Will.(helmo) et Theodrico, qui predicte vendicioni non intererant, prefatum molendinum et privilegium, quod supra (sic) eo confectum habuit, domino fratri Johanni de aquis loco predicti claustri sui, coram nobis in castro *Thorun* denuo resignavit. In cuius rei evidens testimonium et cautelam, sygillum nostrum presentibus est appensum. Testes sunt: frater Conradus Saccus Commendator, et frater Gozwinus Vicecommendator in *Thorun*, frater Hermannus Capellanus Magistri Pruscie, frater Marquardus Sacerdos, frater Waltherus Pincerna, et plures alij ordinis nostri fratres. Item Apez Scultetus in nova civitate *Thorun*, Waltherus Braseator, Johannes

(¹) E tabula authentica membranacea Ill. Josephi Rusiecii propria, cujus sigillum de cera communi factum crucem ordinis Teutonici, in eaque media scutum parvum effigiem aquilae Borussicae praeseferens repraesentat, et taeniola pergamena appensum est. In ambitu verborum fragmenta: „† *S. Conradi* .... *Elbingo*" conspiciuntur.

(²) Conf. tabulam anni 1296 Nro LXXXV. praemissam.

(³) Oppidum *Slupca*, de qua vide sis annotationem tertiam ad tabulam Nro LXXXV. praemissam.

Pistor, nec non alij fide digni. Actum et datum in castro *Thorun*, anno domini M° CCC° Kalendas Junii.

XCIV.

(Miechoviae?) anno 1300 die 5 m. Junii.

Gerardus Advocatus Miechoviensis, assentientibus filiis suis, Adamo de Komorów Judici Miechoviensi, unum macellum quod in *Miechovia* proprium habebat, dono confert (¹).

In nomine domini, amen. Omni kalumpnie via precluditur, dum quod geritur, scriptis memorie commendatur. Quapropter nouerint uniuersj, quod nos Gerardus ciuis Cracouiensis et Aduocatus ciuitatis *Mechouiensis* (²) huna (sic) cum dilectis filijs nostris, videlicet Johanne, Petro et Philippo, ffideli amico nostro viro discreto et honesto Ade de *Comorov* (³) Judici Mechouiensi, in recompensacionem aliquantulam sue fidelis amicicie, quam nobis in omnibus iugiter exibuit (sic), mere et libere contulimus in ciuitate nostra Mechouiensi unum macellum cum eodem iure, quo illud ipsi possedimus, sibi et suis successoribus in perpetuum hereditarie possidendum. Ita ut singulis annis, quod nos de prefato macello domino Preposito soluebamus, idem de eodem eidem persoluere teneatur. Et ne super donacione talj in posterum aliqua dubitacio uel calumpnia ab aliquibus moueatur, presentes sibi conscribj fecimus, ac sigillj nostrj munimine roborarj. Datum anno domini M° C° C° C° presentibus: Hugone ciue Mechouiensi, Hothone et Hulrico similiter ciuibus nostris Mechouiensibus, et alijs quam pluribus hydoneis testibus: et hoc in die sacrosancte et jndiuidue trinitatis.

(¹) Ex archetypo membranaceo Ill. Comitis Rusiecii proprio, cujus sigillum jam desideratur; fila autem, quibus appensum erat, rubei et viridis sunt coloris.
(²) Vid. pag. 36.
(³) *Komorów* villa publica parochiae Miechoviensis, oppido huic proxima.

XCV.

Pysdrae, anno 1301 die 8 mens. Maji.

Nicolaus Dux Opaviensis, Venceslai Regis Poloniae et Bohemiae in Polonia Procurator, qui Capitaneus dicebatur, monasterio Lędensi villae *Kossuty* possessionem quietam et securam servari jubet (¹).

Nycholaus dei gracia Dux Capitanius (sic) Regni Polonie universis Palatinis, Judicibus, Castellanis, Subiudicibus per Poloniam constitutis, omnis boni plenitudinem cum salute. Sub obtentu gracie domini Regis vobis precipimus et mandamus, ut nullus ex vobis dominum Abbatem Lendensem aut fratres eius super hereditate, que *Cosschuta* wlgariter nuncupatur, a Comite Gerwardo eidem domui collata pleno iure, veluti a vero herede, et a Wlodisslao Duce terre et Baronibus confirmata (²); citacione, iudicio, seu plane aliqua molestia ad instanciam fratrum dicti Comitis audeat aggrauare. Scire vos volentes, quod dominus Rex donacionem huius militis quam fecit pro remedio anime sue, ratam habet et firmam, absoluitque dictos fratres ab omni querela prefate hereditatis, ut deinceps nulli debeant respondere, sed in pace et tranquillitate possideant, quod monasterio eorum ac ordini est donatum. Committens nobis, ut prefatos fratres ab omni impulsione et molestia tueamur, quod notum vobis presentibus facientes et confirmantes testibus, consulimus, ut nemo ausu temerario confirmacionem et graciam domini Regis irritam facere in malum suum ulla ficta iusticia elaboret. Datum in *Pisdra* Staniczlai (³) martyris, anno domini M° CCC° I°. Presentibus hijs: Comite Nycholao Palatino Calisiensi, Comite Ubislao Castellano Calisiensi, Comite Stoigneo Castellano Lyndensi, et alijs quam pluribus fide dignis. Ut autem hec inviolabiliter ab omnibus teneantur, presentem cedulam sigilli nostri munimine duximus roborandam.

(¹) Ex archetypo membranaceo, Josephi Comitis Rusiecii proprio, cujus sigillum jam desideratur, fila tamen, quibus appensum erat, licet eorum color maximam partem evanuerit, flava tamen fuisse videntur.

(²) Conf. priv. a. 1298 Nro LXXXVIII. praemissum.

(³) Vid. annotationem tertiam ad tabulam anni 1293tii Nro LXXXIII. praemissam.

XCVI.

Junivladislaviae, anno 1303 die 13 m. Decembris.

Lesco, Premislaus et Casimirus (Ziemomyslii filii) Duces Cujaviae et domini Vladislaviae (i. e. Junivladislaviae) Obezano Clavigero de Szostka scultetiam villae *Skotniki* in perpetuum largiuntur (¹).

In nomine domini, amen. Ab humana facilius elabuntur memoria, que nec a voce testium, nec a scripti męmoria recipiunt firmamentum. Nos igitur Lesko, Premislius et Cazimirus dei gracia Duces Cuiauie et domini Wladislauie omnibus presentibus et futuris, ad quos hoc scriptum deuenerit, volumus esse notum: Quod Obezano Clavigero de *Sostuca* (²), villam nostram *Skothnijk* (³) jure Theutonico, videlicet Maijdemburgensi, prout eandem a Comite Alberto dicto [Ganska] de *Stuolna* (⁴) tenuit, ut vero hereditario jure ipsam a nobis possidere se gaudeat, conferimus et presentibus confirmamus, scultetiam cum quatuor mansis liberis sibi et suis successoribus jure hereditario perpetuo concedentes. De alijs autem mansis ibidem per fertonem usualium denariorum et per mensuram tritici, ad diem sancti Martini nobis prefatus Scultetus exsoluere tenebitur annuatim. Tabernam unam cum suis liberis liberam perpetualiter possidebit. Causas, ut alij Sculteti in terra nostra, sua cum posteritate judicabit, maximas et minores. De judicijs, tam magnis

(¹) E Sigismundi I. Regis Poloniae privilegio anni 1538, Petricoviae die 5 mensis Februarii Andreae Gulyacz Sculteto Skotnicensi collato, tabulam hanc Ducum Cujaviensium confirmatam ad verbum referente, quod libro manu scripto LIV^to fol. 312. Magni tabularii publici Regni Poloniae insertum est.

(²) *Szostka* sine dubio est parochiae Bronieviensis villa, in Regni Poloniae Cujaviensi territorio, regione vero Radziejeviensi non procul a Crusvicia sita, et villae *Skotniki królewskie* fere vicina.

(³) *Skotniki królewskie* et *Skotniki zabłotne* in M. Ducatu Posnaniensi, et quidem in Bidgostiensi territorio regioneque Junivladislaviensi duae sunt villae parochiae Piascensis, in ipso Regni Poloniae confinio sitae. Privilegium supradictum Sigismundeum easdem Radziejeviensi districtui (qui dicebatur) tunc temporis adscriptas fuisse docet.

(⁴) *Stwolno* in M. Ducatu Posnaniensi parochiae Golejówcoviensis, Posnaniensis territorii et Krobiensis regionis pagus oppido *Rawicz* proximus. Cognomen *Gąska*, secundum tabulas anni 1298 et 1295 apud Dogielum (IV. 36) et apud Jabczyńskium (*Archiv. theol.* II. 99) descriptas, eundem Albertum loco testis referentes restituimus.

quam paruis, nostro ducatui duos assignabit denarios, pro se et suis tertium retinendo. Volumus etiam, si ex imperitia villanorum ibidem invenire Scabini sententias non valerent, quod jus et consuetudo in *Cruswycza* requiratur. Ut autem hec pagina robur obtineat perpetue firmitatis, ipsam nostrorum sigillorum munimine decreuimus communirj. Presentibus his testibus: Barthossio Judice Wladislaviensi, Joanne Subcamerario, Andrea Castellano Cruswicziensi, Pobislao Subjudice, domino Michale (sic) Capellano curie, Plebano de *Thurzna*(5), Rosczassio Procuratore, et alijs quam pluribus fide dignis. Actum et datum in *Wladislauia,* in die beate Lucie, anno domini Millesimo tricentesimo tertio (6).

(5) Proximum est hic de pago parochiali *Tuczno* agi, qui in eadem Junivladislaviensi regione, ad lacum ejusdem nominis situs est.

(6) Non tam certi et expediti juris fuisse videtur communis provinciae Cujaviensis inter fratres coheredes divisio; de qua in tabula ab uno eorum, Lescone scilicet natu maximo Duce Cujaviae et domino Wyssogradiae anno eodem 1303 die 15 mensis Novembris profecta, pignerationem Michałoviensis territorii concernente, fit mentio. (Vide sis tabulam Nro 21 libro a doctiss. Stronczynio Varsaviae anno 1839 edito, qui „*Wzory pism dawnych*" etc. inscribitur, insertam), Siquidem posterior tabula nostra omnes adhuc fratres, Cujaviae Duces, ac si indivisi essent, insimul et promiscue negotia publica gessisse, docet: ita, ut Dlugossius (IX. 906) ab Johanne Voigtio (*Geschichte Preussens* T. IV. p. 189) injuste falsi incusari videatur. (Conf. ad tabulam Nro CL exhibitam annotationem tertiam; nec non tab. anni 1318 in Lelevelii „*Począt. prawod. polsk.* pag. 215 seqq.).—Ceterum, quod ad territorii Michałoviensis ab ordine fratrum Teutonicorum in Prussia justam vel injustam acquisitionem adtinet, praedictum doctiss. *Voigtium* meminisse juvabit, id antiquo illius temporis jure et consuetudine Polonorum constitisse, quod alienatio quorumlibet, etiam inter coheredes dispertitorum bonorum patrimonii immobilium, nulla et irrita esset, nisi consensu agnatorum praecedente, ab aliquo facta fuerit. (Conf. Roepelli *Geschichte v. Polen Ite Beilage*).

XCVII.

Dobrini, anno 1304 die 15 mens. Julii.

Ziemovitus Dux Dobrinensis (Casimiri Ducis Cujaviae Lanciciae et Siradiae filius) tres villas suas dictas *Makowo,* Andreae cuidam dicto de Cracovia, sub clientelae necessitudine in perpetuum possidendas donat, egregia in se merita ejus sic remuneraturus (1).

In nomine domini, amen. Quoniam ea, que sub tempore aguntur, labente tempore a memoria hominum evanescunt, nisi testimonio aut scriptura

(1) Ex Alexandri Regis Poloniae privilegio anni 1504 Cracoviae die 9 men. Novembris Alberto de Chudzewo Cubiculario regio, bonorumque *Makowo* (Chudzeviae proximorum) pos-

autentica fuerint perhennata. Nos igitur Semouitus dei gracia Dux Dobrinensis(2), notum facimus universis tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis: quod intuentes fidelia, grata et utilia servicia, que Andreas de Cracovia nobis multipliciter exhibuit, tam eo tempore, dum nos fuimus in captivitate, quam per consilium, auxilium et labores, quos pro nobis fecerat pensando vitam suam, liberati fuimus de captivitate absque ulla peccunia (sic), per consilium et suo adjutorio rehabuimus terram nostram (sic), quam eciam omnibus alijs retroactis pro nobis nostrisque successoribus (sic), vero titulo et pure donacionis damus, tradimus et conferimus tres hereditates nostras wlgariter dictas *Mokova*(3), sibi suisque veris heredibus et legitimis successoribus jure hereditario in perpetuum possidendas, cum omnibus utilitatibus, videlicet toto lacu, secundum quod in se continetur, terris cultis et incultis, pratis, silvis, nemoribus, quercetis, aquarum decursibus cum accessibus et egressibus, sive jura et jurisdiciones omnesque actus personales, reales atque mixtas, que et quas habere potest in predictis hereditatibus, ad habendum, tenendum, possidendum, et quitquid sibi vel suis successoribus deinceps placuerit, perpetuo faciendum. Dantes eidem Andree et suis posteris liberum arbitrium easdem hereditates vendendi, donandi atque commutandi, consilio tamen et consensu nostro ad hoc requisito, et sub ea condicione, quod nobis semper in eisdem hereditatibus fidele servicium exhibeatur. Volumus insuper, ut predictus Andreas cum suis posteris gaudeat de speciali nostra gracia et favore (sic), damus omnimodam venacionem animalium tam quadrupedum quam volatilium, cujuscunque generis fuerint, liberantes et absolventes incolas predictarum hereditatum ab omnibus solucionibus et exactionibus, que nostro nomine (sic) dinoscuntur pertinere, quocunque nomine censeantur; et specialiter idem Andreas decimam (sic)

sessori impertito, tabulam hanc Ducis Ziemoviti ratam declarante, eandemque ad verbum referente, quod manu scripto libro XXI° Tabularii publici Regni Poloniae fol. 72 sqq. insertum est.

(2) Anno 1300 die 15ma men. Septembris, Ducem Ziemovitum titulum „*Lanciciae terrarum et Dobrinensis*" usurpasse, tabula ejusdem Ducis, illa die exarata, et in opere doctiss. Stronczyńscii, quod „*Wzory pism dawnych*" inscribitur, typis descripta, docemur.

(3) *Makowo* pagus parochialis in propinquo oppidi Dobrzyń situs, territorii et regionis Lipnensis. Quum autem tabula de tribus villis ejusdem nominis mentionem faciat, puto hic etiam alia intelligenda bona, quae prope Makoviam in eademque parochia sita, *Makówko* (i. e. Makovia parva) appellantur.

predictarum hereditatum ab omnibus solucionibus et exactionibus, a *narzasch, a poradlne,* a *poramb,* a *sep* videlicet frumentj, a bove, a vacca, a porco, ab owe, item a Castellano, a castri cittacione, a judice et ab eorum jurisdicionibus sepedictos incolas penitus liberamus et eximimus, quod non comparebunt coram eis cittati, nec respondebunt, sed tantummodo coram nobis, dum per litteras nostras fuerint evocatj, tunc comparebunt coram nobis racione honoris non respondentes et sine pena judiciali, ad predictum Andream et suos successores revertentes et coram eodem respondeant de furtis, de latrocinijs, de capitis occisione, de wlneribus sangwinolentis aut non sangwinolentis, nullus sed idem Andreas cum suis posteris judicet et penam accipiet, tam a suis kmethonibus, qui alios occiderent, quam ab alijs quibuscunque, qui suos occiderent. Item omne duellum gladij, baculi, super aquam mittendj, ferum fervidum accipiendi, viam seu stratam ad curiam predicti Andree et suorum successorum, judicandi damus et conferimus, cum omnibus eorum penis facultatem recipiendi. Preterea, ut prefatus Andreas cum suis posteris absque omnimoda dissensione dictas hereditates jure hereditario in perpetuum obtineat, removemus omnes donaciones predictarum hereditatum, in quascunque personas, tam per nos, quam per predecessores nostros factas, eisdem pro recepcione dictarum hereditatum perpetuum silencium imponentes. Et specialiter his imponimus perpetuum silencium pro recepcione hereditatis *Mokova:* primo Bernardo pro eo, quia pro Simone de *Ossyek* (4) fidejubuerat (sic) in peccunia ducentarum marcarum argenti, et eadem (sic) non solvit nobis in termino statuto; item Chucz existens noster servitor, adhesit Voyslao Troyanj, et per [eum?] castrum nostrum Dobrzynense fuit defraudatum, et pugnando contra nos per nostros homines fuit occisus; item Przijbislaus Voyczijcz simili modo infidelitatem nobis demonstravit (5); item sepedictus

(4) *Osiek* pagus parochialis in Regni Poloniae territorio et regione Lipnensi, ad confinium Prussiae, et quidem inter Prussiae oppidum *Brodniciam* (Strassburg Germanis) et oppidum Poloniae *Rypin* situs. Haec forsan bona *Osiek* sunt, ad quae jus supremi dominii Ducem Lesconem Cujaviensem sibi vindicasse, tabulis ejusdem anni 1303 et 1304 pignerationem territorii Michałoviensis concernentibus (Stronczyńscii „*Wzory pism*" etc. Nro 21, 22. — Dogiel. IV. 37) constat. Debitum vero Simonis de *Osiek* causa fuisse videtur Ziemovito, bona haec ad territorium Michałoviense pertinentia occupandi.

(5) Quum de Ziemovito Duce Dobrsynensi in annalibus aliisque monumentis historiae vix aliqua mentio sit facta; nihil igitur mirum, si ea quoque, quae in hac tabula de captivitate ejus,

Andreas et sui posterj unum (?) servicium nobis tenebuntur (sic), secundum eorum facultatem, et hoc communitate (sic) terrigenarum Dobrinensium intra granicies seu terminos. In cujus rei testimonium presentes scribi fecimus et sigilli nostri munimine roborarj. Presentibus his testibus: Comite Wloscone Castellano, Comite Joanne Judice, Stanislao Vexilifero, Mauricio Succamerario Dobrzinensibus, Jascone Notario fratris nostri domini Wladislaj, qui de mandato nostro presens privilegium scripsit. Actum anno domini Millesimo tricentesimo quarto. Datum in *Dobrzyn,* in divisione Apostolorum.

de amissa et recuperata possessione terrarum ejus ditioni subjectarum, de proditione civium, ac denique de auxilio a quodam Andrea Cracoviensi lato, narrantur, explicari vix queant. Verisimile nobis tamen videtur, Ziemovitum, fratris sui Vladislai Loctici causam contra Venceslaum Bohemiae Regem armis defendentem a Bohemis captum fuisse; quod et fratris ejus filio Lesconi Cujaviensi ac Wyszogrodensi Duci accidisse constat. Ziemovitum enim et Dobrzynenses nobiles partibus Vladislai Loctici favisse, non solum e tabula hac prospicimus, in qua de Janconis Notarii Vladislai Ducis, in aula Ziemoviti praesentia fit mentio, sed etiam certiora Dlugossii (IX. 914 ad an. 1306) indicia docent.—Eundem ante annum 1311 mortuum esse, facile ex iis effici potest, quae *Naruszevicius* (T. V. p. 501, 502) *Voigtius* (T. IV. p. 276) retulerunt;—eum autem anno 1306 die 3[tia] mensis Februarii adhuc in vivis fuisse, tabula ab eo eadem die Golubi profecta docet, qua Magistro Ordinis Teutonici Conrado Sacco, et Guntero de Schwarzburg Ordinis illius Commendatori Culmensi affini suo, bona quaedam sua Grązawy dicta inter Brodnicam et Ludzibórz (Lautenburg Germanis) oppida Prussiae sita, donavit. (Vid. Voigt. l. c. p. 200, 201).

XCVIII.


Gnesnae, anno 1305 die 10 mensis Maji.

Tabula donationis villae *Szczonowo* dictae, quam Adalbertus Zechoslai Castellani Calissiensis filius, auctoritate publica Nicolai et Sandivogii Palatinorum Calissiensis et Posnaniensis accedente, coenobio Cisterciensium *Lądensi* largitus est (¹).

In nomine domini, amen. Nouerint uniuersi ad quorum noticiam peruenerit presens scriptum, quod... nos.. Comes Nicholaus Palatinus Kalisiensis nec non.. Comes Syndiwoyus Palatinus Poznaniensis notum facimus: quod

(¹) Tabula authentica pergamena Ill. Comitis Rusieckii propria est: cui, e quatuor, quibus olim instructa erat sigillis, nunc tria tantum reliqua sunt taeniolis membranaceis appensa. Horum primum, quasi taeniam in formam literae *M* majusculae (*M*) compositam repraesentat, cui mediae scutum parvum literam M romanam majusculam praeseferens, inest. In ambitu verborum

Comes Adalbertus filius quondam Zechoslay Castellani Kalisiensis ([2]) contulit hereditatem suam que *Uczonouo* ([3]) wlgariter nuncupatur domui Lendensi ordinis Cysterciensis in remedium anime sue et parentum suorum, cum omni iure et libertate que erant ipsius ac per suum fidele seruicium meruit obtinere a principibus, videlicet K(azimiro) Duce, ac Rege Premiszlone regnantibus in Polonia, presentibus filijs predicti Adalberti Jacobo, Johanne nec non Nicholao, qui donacioni paterne leto animo consenserunt. Et quia Capitaneus Regni Polonie absens fuit dominus Vodelricus ([4]), coram nobis hereditatem superius nominatam resignauit Comes Adalbertus sepedictus cum filijs nominatis. Presentibus Baronibus terre, videlicet: Comite Petro dicto Stohoszeuic Burgrauio Kalisiensi ([5]), qui sigillum suum huic litere

fragmenta: „†.....*um Nicolai Palati*....." conspiciuntur. Secundum sigillum desideratur. Tertium, cujus parvum tantum fragmentum reliquum est, vel duo corda, vel insigne generis ***Abdank*** dictum repraesentasse videtur: verborum inscriptorum, nonnisi literae *e* vestigium residuum est. Quartum, majori ex parte sat bene conservatum, insigne repraesentat, quod ancorae formam habet ima illius parte quadrigeminis arcuatis uncis, summa vero, triangulari ansa instructae  in nostris vero insignium libris non relatae. In ambitu nonnisi verbi fragmentum „......*elco*......" legitur.

([2]) Prima haec est, quod sciam, de Sandivogio illius temporis Palatino Posnaniensi, et de Zechoslao Castellano Calissiensi mentio facta.—Dlugossius (IX. 916) anno 1306 munus Palatini Posnaniensis obeuntem, et Vladislai Loctici partibus faventem Kelcium producit, quem anno 1294 Santocensem, anno 1295 Zbąszynensem, anno vero denique 1298 Gnesnensem Castellanum fuisse, tabulae (apud Dogielum T. IV. 36 N^ro 42 et 43, nec non apud Jabczyńscium II. 97) annorum 1294, 1295 et 1298 docent. Tabulis etiam anni 1294 et 1295 in eodem Jabczyńscii „*Archivo theologico*" (II. 95, 98) exhibitis constat, regnante Premislao II. Duce Majoris Poloniae, praedictum Sandivogium anno 1294 Castellanum Rudensem et Subcamerarium Calissiensem, Zechoslaum (Cziechoslaum) autem anno 1295 Regiae venationis Praefectum Calissiensem fuisse.

([3]) Proximum est, locum, qui hic *Uczonowo*, in posterioribus autem anni 1324 et 1357 inferius exhibitis tabulis *Wszonowo* et *Usczonowo* appellatur, esse villam *Szczonowo* nunc dictam in Magni Ducatus Posnaniensis Posnaniensi territorio, Wrześniensi autem regione, in confinio fere Regni Poloniae, in propinquo oppidi *Pyzdry*, et plurimorum olim bonorum monasterii Lądensis sitam, quae Pogorzelicensi parochiae adscripta est.

([4]) *Ulricum* de *Boscovice*, quem Regis Bohemiae et Poloniae in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatu Procuratorem seu Capitaneum (qui dicebatur) tunc fuisse, et Dlugossius (IX. 902), et tabula authentica anni 1303 in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Cracoviensis asservata docet; eum autem anno 1305 in Polonia quoque Majori hoc munus obiisse, tum e tabula hac nostra, tum ex altera proxime sequente cognoscimus. Conf. quoque Naruszevicii similem observationem T. V. p. 460 annot. 237. Vid. etiam Voigtii *Cod. dipl. Pruss.* T. II. p. 61.

([5]) In privilegio Vladislai Loctici anni 1296 (apud Jabczyńscium l. c. II. 99). „Comes Petrus dictus Stossewicz" testis personam sustinuit.

rogatus apposuit ... Comite Petrocone Castellano de *Sreme* (6), Comite Prestpelco herede de *Wspline* (7), .. Comite Mychaele filio quondam Janconis et alijs fide dignis. In cuius rei testimonium presentem cedulam nostris sigillis fecimus communiri. Datum et actum in *Gnezna* anno domini M° CCC° V°, VI^to^ Idus Mai in translacione sancti Adalberti martyris et pontificis gloriosi.

(6) *Szrem* (*Schrimm* Germanis) oppidum parochiale ad Wartam fluvium in M. Ducatu Posnaniensi situm, Posnaniensis territorii, regionis autem sui nominis caput.

(7) Forsan hic Predpelco est, qui munere Castellani Posnaniensis anno 1314 et 1320 fungebatur; siquidem illum in tabulis Vladislai Loctici annorum praedictorum (Raczyńsc. *Cod. diplom.* N^ro^ LXXXVI. Szczygiel. *Tinecia* p. 168) testis personam sustinuisse video. Nomen tamen bonorum ejus, quae in nostra tabula *Wsplme* vel *Wspline* appellantur, conjectura assequi non possum; frustra enim vel hoc, vel huic simile nomen, in Majoris Poloniae indicibus locorum et tabulis geographicis quaesivi. Quid? si pagum qui hodie *Sempolno* dicitur, territorii Posnaniensis, regionis Bucensis, olim *Wespolno* vel *Wespolne* nuncupatum, et antiqua scribendi ratione Wsplmo vel Wsplme scriptum fuisse arbitremur?

XCIX.

Toruniae, anno 1306 die 25 men. Januarii.

Advocatus et cives oppidi Brestensis, Episcopis Vladislaviensi et Culmensi, nec non ordinis Teutonici in Prussia Magistro intervenientibus, cum Paulo de Pauelsteyn Regis Bohemiae in Polonia Procuratore inducias ad diem 28^vam^ mensis Septembris duraturas ineunt, ut per eas Dux Vladislaus Locticus Brestiae cum Rege Bohemiae de pace pacisci possit (1).

In nomine domini, amen. Nos Tylo Advocatus, Albertus, Kerstanus, Gotkinus et tota communitas civitatis Brestensis, universis presentes litteras

(1) Tabula authentica, cujus sigilla jam desiderantur, in publico Regiomontano tabulario, cistula LVIII. N° 12 asservatur, apographon autem ejus a doctiss. Joanne Voigtio descriptum et Röppello missum, ab hoc doctissimo atque observandissimo viro liberaliter mihi concessum est.—Quod ante praedicti Voigtii opus de rebus gestis Borussorum (T. IV. p. 197) nemini nostrorum polonae historiae scriptorum perspectum erat, anno 1305 et 1306 inter Vladislaum Locticum et Venceslaum III Bohemiae regem, quasdam pacis conditiones postulatas fuisse, id clare ex tabula hac apparet; magisque etiam Hagecii in Bohemiae Chronicis (fol. 275) narratione confirmatur, qui Vladislaum Locticum mortem ejusdem Venceslai III. regis adolescentis maeruisse, de bello injusto ab eo contra se parato, non regem, sed perfidos nonnullos Bohemiae

inspecturis volumus esse notum: quod cum honorabili viro domino Paulo de Pauelsteyn Capitaneo Regni Polonie (2), treugam seu pacem fecimus, usque ad festum beati Venceslai, quas nos promittimus inviolabiliter servaturos, tali adiecta ordinacione: quod durante ipsa treuga, illustris princeps, dominus noster Dux Wladislaus intrare possit cum paucis hominibus nostram Brestensem civitatem ad tractandum super pace inter ipsum et dominum Regem Bohemie et Polonie ordinanda. Si vero idem dominus Dux cum exercitu veniret ad nostram prefatam civitatem, ipse cum paucis, ut supradicitur, eam intrare poterit, exercitu nichilominus de foris remanente. Et si castrum impugnare voluerit, hoc deforis facere habebit, sed de civitate nullum dampnum fiet castro. Terrigene et cives nostri Brestenses treugam predictam observabunt cum *Radeow*, cum *Kalis*, cum *Gnezna*, cum *Konin*, cum *Mogilna* (3), cum *Pysdri* et cum tota Polonia et Cujavia in cuius possessione est dominus Paulus nomine domini Regis supradicti, et specialiter cum domino Primislio Duce Cuyavie et tota terra sua (4). Item ordinavimus quod homines de castro Brestensi duo insimul intrare possint civitatem nostram pro necessariis ad castrum comparandis; adicientes, quod homines ipsi qui in castro manebunt, nullum dampnum seu nocumentum inferent civitati aut terre pabulando, spoliando, aut homines aliquomodo molestando. Item si aliquis castrensis cum civibus seu terrigenis aliquam litem contenderent, iudicabuntur per Palatinum, per Advocatum et per Beroldum Castel-

primores accusasse palamque id declarasse dicit, Venceslaum III, nisi interfectus fuisset, certo controversiam de Poloniae Regno bona cum gratia compositurum fuisse. Rem ex argumento tam hujus quam proxime sequentium tabularum a Voigtio (l. c.) relatam, tum in eo reprobandam esse putem, quod Episcopos Vladislaviensem et Culmensem a Magistro provinciali ordinis Teutonici pari modo ac Commendatores (quos dicunt) ordinis *accitos* fuisse dixit, quod certe facere ausus non fuisset, dignitate illis inferior; tum in eo, quod oppidanos Brestenses, primarum partium internuntios Vladislai Loctici fuisse credidit, quum praedictum Vladislaviensem Episcopum Gervardum, jurium patriae principisque justi ac legitimi defensorem acerrimum, quem totum Vladislai Loctici fuisse, gesta illius temporis docent (Vid. Dlugoss. IX. 916, 917, 959, 966, 970 etc.), pacis ejusdem ex parte Ducis Poloni actorem principalem facile cognoscere potuisset.

(2) In locum Ulrici de Boskowice paulo ante successisse videtur Paulus hic.

(3) *Radziejewo, Calissia, Gnesna, Konin* et *Pysdri,* oppida Poloniae nota in annotationibus nostris jam pluries designata sunt. *Mogilno* oppidum antiquissimo Benedictinorum coenobio insigne, non in propinquo Varsaviae (ut Voigtio IV. 366 videtur), sed in M. Ducatu Posnaniae, Bidgostiensis territorii, regionis sui nominis caput est.

(4) Conf. annotationem tertiam ad tabulam proxime sequentem.

lanum castri Brestensis, seu alium qui castrum ipsum nomine domini Pauli predicti tenebit, secundum ius terre. Item hii qui manebunt in civitate, plancare poterunt civitatem ipsam sicut inceperunt, et propugnacula que antefuerunt reparare, ita tamen, quod nullum ipsorum castro altius extollatur. Similiter hii qui in castro erunt, nulla nova edificare in nocumentum civitatis, sed ea que ante fuerunt, poterunt emendare. Ordinamus eciam, quod milites qui de Polonia tempore guerre Brestensem civitatem intraverunt, qui pacem predictam observare voluerint, ubicunque bona habent in Polonia, ea secure et libere debeant possidere. Similiter illi, qui de civitate seu de terra Brestensi castrum guerre tempore intraverunt, et Olrico de Pascovitz tanquam tunc Capitaneo adeserunt (sic), pacem omnimodam, tam in se quam in bonis suis debeant obtinere. Que omnia et singula supradicta inviolabiliter observare promittimus, et ad hoc nos tenore presencium obligamus. In cuius rei testimonium, presentes litteras fieri et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum in *Thorun* in domo Plebani ecclesie sancti Johannis, in die conversionis beati Pauli, anno domini M°. CCC°. VI°. Presentibus venerabilibus patribus, dominis: Gerwardo Vladislaviensi et fratre Hermanno Culmensi Episcopis; item honorabilibus viris, fratribus: Cunrado Magistro terre Prusie, Henrico de Dobyn Thorunensi, Hinrico de antiquo Culmine, Theoderico de *Beliglow* (5), Hinrico de *Nessow* (6) Commendatoribus, Petro Vicecommendatore provinciali et Gallo de Bohemia (7), et aliis quam pluribus fidedignis.

(5) Nunc *Birglau* Germanis, oppidum tribus circiter milliariis a Torunia distans.

(6) *Nieszawa* oppidum Regni Poloniae ad Vistulam situm, Cujaviensis territorii, Radziejoviensis regionis.

(7) Vid. ad literas proxime praecedentes annotationem quartam.

C.

Toruniae, anno 1306 die 25 men. Januarii.

Consules Junivladislaviensis civitatis, inducias, quas cum Paulo de Pauelsteyn Regis Bohemiae in Polonia Procuratore usque ad diem 29 mensis Septembris duraturas iniverunt, Premislaum eorum Ducem Cujaviensem et Junivladislaviensem etiam conservaturum, et aditum ad arcem civitatemque *Baroviensem* (?) eidem a Bohemis restituendam, obveniente belli contra Vladislaum Locticum necessitate, copiis Bohemorum patefacturum, in se recipiunt; nec non de licentia eorundem militum tunc et Junivladislaviam intrandi, variis conditionibus disceptant (¹).

In nomine domini, amen. Nos Ditericus de Thuran, Petrus Mancossa, Hermannus Glaz et Nicolaus Marquardi cives et consules civitatis Wladislavie, ac tota communitas civitatis eiusdem, notum facimus universis presentes litteras inspecturis: quod nos cum honorabili viro domino Paulo de Paulsteijn Capitaneo Regni Polonie talem fecimus ordinacionem: quod dominus noster Premislius Dux Cuiavie et dominus Wladislavie, treugam seu pacem inter nos factam usque ad festum sancti Michaelis cum tota Polonia et omnibus castris seu civitatibus et districtibus eorum, que memoratus dominus Paulus nomine domini regis in sua tenet potestate, firmiter et inviolabiliter cum suis omnibus observabit, et quod castrum et civitatem *Baroviensem(?)* (²) quos idem dominus Paulus memorato domino nostro Duci promisit reddere et resignare usque ad praedictum terminum, permittet intrare dominum Paulum seu suos homines contra hostes dicti domini regis, si predictos castrum et civitatem vellent aliqualiter inpugnare; vel eciam quantocunque durante treuga volent intrare eandem, admittentur: quod si contingerit, quod absit, quod civitas ipsa vel castrum aliquo infortunio vel potencia, per inimicos domini regis caperentur, promittimus, quod homines eiusdem

(¹) Tabula authentica in publico Regiomontano tabulario, cistula LX^{ma} N^{ro} 2 asservatur; apographon autem ejus, in quo nullam de sigillo mentionem inveni, eadem, qua et tabulam proxime praecedentem, ratione consecuti sumus.

(²) Nisi urbis Junivladislaviae (quam nunquam adii) vicus aut suburbium aliquod munitionibus olim firmatum, *Barów* nuncupatum sit, facile hoc nomen perperam ex autographo descriptum esse puto.

domini regis, seu dicti domini Pauli, triginta vel quadraginta, nostram civitatem Wladislaviam intrare permittemus, pro defensione seu recuperacione dictorum civitatis et castri de *Barow*. Quod si maior exercitus dictorum domini regis seu domini Pauli ob dictam causam ad nostram accederet civitatem, tunc, postquam Capitaneus ipsius exercitus et alii consortes sui quos nos elegerimus, nobis promiserint et litteras suas dederint, quod in nullo nocebunt civitati, nec aliquas iniurias aut violencias facient in ea, tunc plures de ipsis ad civitatem nostram intrare permittemus. Item promittimus, quod dominus noster predictus, prefatam civitatem et castrum Baroviensem, ac si sua essent propria, servabit, custodiet fideliter, ac eciam defensabit, et quod si durante dicta treuga, idem dominus noster non posset, quod absit, domini regis gratie reformari(3), promittimus, quod eandem civitatem et castrum, sicut ea recipiet, in dicti domini P.(auli) restituet potestatem. Pro quibus omnibus et singulis supradictis, nos tenore presencium obligamus, ad manus honorabilis viri fratris Cunradi Magistri terre Prusie, ea nos servaturos, firmiter promittentes. In cuius rei testimonium litteras presentes fieri,

(3) Quamquam plures sint a filiis Ziemomyslii, Lescone scilicet, Premislao et Casimiro Ducibus Cujaviae profectae tabulae, quas ex archetypis in Posnaniensi plerumque tabulario asservatis descriptas habemus, earum tamen omnium argumento, nec haec, quam Archidiaconus Gnesnensis (Sommersb. II. p. 111) post eum vero Dlugossius (X. 19) retulerunt, territoriorum Junivladislaviensis, Bydgostiensis et Gniewcoviensis inter fratres dispertitio tunc temporis facta probatur, nec ulla alia certo expediri potest. Siquidem ab anno inde 1299no, tum ab omnibus promiscue, tum ab uno, tum etiam a duobus eorum, per vices unius ejusdemque Junivladislaviensis territorii imperium habitum, et titulum non solum Ducum Cujaviae Dominorumque Vladislaviae, sed etiam dominorum Wissogrodiae ab omnibus, ad annum usque 1311 usurpatum fuisse, titulo domini Bydgostiensis vel soli Premislao reservato, vel ab eodem cum fratre Casimiro communicato, iisdem tabulis constare videtur. Non facile itaque inveniri potest, quid causae sit, cur in tabula hac solum Premislaum se pro Duce Junivladislaviae gerentem videamus, nulla ceterorum fratrum, praesertim autem majoris natu Lesconis ratione habita, quem scilicet et mense Octobri anni 1304, et mense Martio anni 1307 Junivladislaviae Ducem fuisse (Vid. tab. Nro. 22 apud Stronczynium l. c. et tabulam anni 1307 Nro CIIdo inferius a nobis exhibitam); eidemque praecipue ab anno inde 1318 solum praefuisse scimus, Premislao Wissogrodense territorium sibi soli possidente. (Vid. tab. No 23 in Lelevelii *Poczqt. prawod. pol.* et tab. Nro 27 in Stronczynii libro praedicto, qui „*Wzory pism*" etc. inscribitur).—Ex eo autem, quod hic de Ducis Premislai in gratiam Regis Bohemiae restitutione agitur, haec forsan conjectura capi potest, illum post Vladislai Loctici patrui calamitatem Lesconisque fratris captivitatem, anno 1301 Venceslao II Regi Bohemiae et Poloniae in clientelam se tradidisse, dato jurejurando fidei servandae, sive (ut more illorum temporum loquamur) homagium clientelae praestitisse (Conf. *Chron. aulae reg.* in Dobneri *Monumm.* T. V. p. 132), posteriore vero tempore, quum novum sidus Loctico illuxisset, ad hunc a Venceslao IIItio defecisse.

et nostri sigilli munimine mandavimus roborari. Actum in *Thorun,* in domo Plebani sancti Johannis, in die conversionis sancti Pauli, anno domini M° CCC° VI°. Presentibus venerabilibus patribus dominis: Gerwardo Wladislaviensi et fratre Hermanno Culmensi Episcopis; item honorabilibus viris fratribus: Cunrado Magistro terre Prusie predicto, Henrico de *Dobyn* Thorunensi, Henrico de antiquo Culmine, Diterico de *Bgrgelow,* Henrico de *Nessow* Commendatoribus, Petro Vicecommendatore provinciali, fratre Gallo de Bohemia, et aliis multis fide dignis.

CI.

Toruniae, anno 1306 die 25 men. Januarii.

Premislai Ducis Cujaviae Junivladislaviensis, de portorio Radziejeviensi, cum Paulo de Panelsteyn Regis Bohemiae in Polonia Procuratore pactio (¹).

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Premislius dei gracia Dux Cuiavie et dominus Wladislavie, cum honorabili viro domino Paulo de Pauelsteyn Capitaneo Regni Polonie, pro teloneo de *Radzeyow* talem fecimus ordinacionem: quod nos seu noster Procurator, cui id duximus committendum, recipiemus medietatem memorati telonei, Burcravius vero ipsius domini P. qui castrum Brestense tenebit, seu ille cui ipse com[mis]erit (²) aliam medietatem debet recipere de eodem. Quam ordinacionem [usque ad] festum beati Michaelis inter nos factam, prom[mittimus] firm[iter et] inviolabiliter observare. In cuius rei testimonium, presentes litteras [nostras], sigilli nostri munimine fecimus roborari. [Actum et datum] in *Thorun,* in die conversionis sancti Pauli, a[nno domini M° CCC°] s[ext]o. Presentibus: venerabili patre fratre Hermano [Episcopo Culmensi] et honorabili viro fratre Cunrado Magistro fratrum domus Theuthonice per Prusiam.

(¹) Archetypon in publico Regiomontano tabulario, cistala LVIIIva Nro 27 asservatur; apographum autem eadem, qua et proxime praecedentes tabulas, ratione nactus sum, nullam ibi sigilli mentionem factam esse observans.

(²) Verba uncis inclusa, quae arbitratu meo sic restituenda putavi, ob plures chartae laesiones, excidisse dicuntur.

CII.

Junivladislaviae, anno 1307 die 31 men. *Martii.*

Lesco et Premislaus Duces Cujaviae et domini Vladislaviae venditionem villae *Wtelno* a Vlodimiro de Lejewe filio Jaroslai Palatini, Byszeviensi monasterio Cisterciensium factam, ratam esse jubent, et Boguslaum quendam de Niewiesczyno Vlodimiri cognatum, vindicatione villae *Swinice* jam antea ab eodem Vlodimiro venditae destitisse declarant (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam facta hominum in oblivionem faciliter labi solent, nisi scripture testimonio vel testium amminiculo fuerint memorie commendata, ideo nos Lestko et Premislius dei gracia Duces Cuyavie et domini Wladislavie volentes, ut rei geste coram nobis certa in posterum memoria habeatur, notum facimus universis presentes litteras inspecturis: quod, constitutis in nostra presencia Wlodimiro de *Loyow* (²) filio quondam Jaroslai Palatini (³) et fratre Johanne Priore monasterii de Byssovia ordinis Cysterciensis Syndico, Yconomo seu Procuratore ejusdem monasterii, ipse Vlodimirus suo et omnium heredum suorum nomine, eidem Priori, Abbati et conventui ac monasterio *Byssoviensi* predicto, hereditatem, villam seu possessionem suam ad quam nullus jus habere dinoscitur, nisi predictus Vlodimirus, que hereditas *Vitelno* (⁴) wlgariter nuncupatur, jacentem in districtu Bydgoscensi, vendidit, tradidit et resignavit pro centum viginti marcis

(¹) Ex archetypo, quod in publico provinciae Posnaniae asservatur tabulario, doctiss. Stronczyński descripsit, duorumque, quae erant sigillorum, alterum filis sericis rubeis et nigris olim appensum jam desiderari, alterum sigillum magnum Premislai Ducis, effigiem stantis equitis praeseferens, filis sericis coloris rubei, nigri et flavi appensum esse tradidit, accuratiore ejus designatione (id, quod doleo) non communicata.

(²) *Łojewo* pagus parochiae Górensis, in M. Ducatu Posnaniensi, Bydgostiensis territorii, Junivladislaviensis regionis, inter Junivladislaviam et Krusviciam situs.

(³) Jaroslaum Palatinum Cujaviensem (Junivladislaviensem) anno 1286 mense Junio hoc munere functum esse, tabula Nʳᵒ LXVIᵗᵒ praemissa docet. Hic vel filius vel gener Andreae de *Służewo* (oppido et pago Regni Poloniae, territorii Brzestensis Cujaviensis, regionis Radziejeviensis, ab Junivladislavia non longe distante) fuisse videtur, argumento tabulae anni 1302 die 27 mensis Augusti ab iisdem Ducibus monasterio Byszeviensi impertitae, et in eodem Posnaniensi tabulario asservatae.

(⁴) *Wtelno* villa parochialis Bydgostiensis territorii et regionis.

denariorum et monete Thorunensis; volens, quod predicti Abbas, Prior, conventus et monasterium eandem hereditatem cum omni proprietatis et dominii jure ac omnibus utilitatibus, usibus, fructibus, pascuis, mellificiis, nemoribus, virgultis, paludibus, aquis et pratis adjacentibus que wlgariter *Zcke* nominantur, et quibuslibet aliis pertinenciis suis, infra terminos dicte hereditatis contentis, jure hereditario habere et tenere debeant ac perpetuo possidere. Adiciendo specialiter, quod nullus unquam consanguineorum, heredum ac successorum ejusdem Wlodimiri ipsam hereditatem possit redimere, liberare aut emere, quum nullum jus in hereditate dicta eis competit. Nos igitur ipsorum Vlodimiri vendicionem, et Abbatis, Prioris ac conventus empcionem ratas et gratas habentes, eas tenore presencium approbamus. Ad quam hereditatem videlicet *Vitelno* sors seu hereditas que *Svynicze* (5) vocatur, antiquitus pertinebat, dicti Abbas et conventus nuper ante annos aliquot, videlicet anno domini M° CCC° secundo, sexto Kalendas Septembris simili tytulo empcionis, de nostra certa sciencia et benivolencia, sibi ac suo monasterio pro triginta marcis usualis monete compararunt a Vlodimiro predicto et ab avia sua, qui ad hanc sortem seu hereditatem, videlicet *Swynicze*, jus habere dinoscebantur, et nullus alius, licet quidam Boguslaus dictus de *Nyvescino* (6) consanguineus ejusdem Vlodimiri diceret, se jus habere in eadem sorte seu hereditate *Svynicze*, tamen bona voluntate sua cessit, suo et heredum suorum, ac ceterorum amicorum suorum nomine, a sorte seu hereditate predicta videlicet *Svynicze* renuncians omni juri et impeticioni, quo nunc et in posterum frui posset, resignans et assignans cum omnibus utilitatibus et proventibus coram nobis una cum Vlodimiro sepedicto et cum avia sua, Abbati et conventui supradictis; quod in presentibus profitemur: et ad prelibatorum Abbatis et conventus devotam peticionem, predicte sortis sive hereditatis, que *Svynicze* dicitur, empcionem et vendicionem hijs scriptis duximus inserendas. Damus eciam eis omnem

(5) *Swinice* duae olim (antiqua scilicet et nova) villae erant, quarum limites sat accurate in tabula ejusdem Byszeviensis monasterii anni 1302 designatae, eandem inter Gogolin, Saltno, Więzowno, Gościradz et Wtelno villas quasi mediam fuisse indicant; quam tamen hodie frustra et in Indice locorum et in tabulis geographicis quaesiveris.

(6) *Niewieszyn* pagus parochialis jam nunc provinciae Prussiae Occidentalis adscriptus, in ipso autem fere Bydgostiensis territorii confinio situs, in via publica Bidgostia Svieclam ducente.

libertatem in bonis memoratis, ita, ut ab omnibus laboribus, exaccionibus, solucionibus, serviciis, vecturis, araturis, a *prevod,* a *povorove* (sic), a *podvolove,* a *povoz,* a *wiwoz,* a *naraz,* a *vimet,* a *nastava,* a *vesnica,* a *mostne,* a *poradlne,* a *stroza,* a bove, a vacca, a porco et ab aliis universis gravaminibus quocunque nomine censeantur, cum hominibus eorum in predictis bonis residentibus, exempti sint penitus et immunes. Omne autem jus eisdem Abbati et conventui monasterii sepedicti conferimus in bonis prenominatis, quod nobis competit, vel competere in eis videbatur, jure proprietatis ac pleno nostro dominio possidendum. In cujus rei testimonium presentes litteras nostrorum sigillorum munimine mandavimus roborari. Datum et actum Wladislavie in castro nostro, pridie Kalendas Aprilis, anno domini M° CCC° septimo. Presentibus hijs dominis: Johanne Castellano Wisgrodensi, Buziwojo Judice, Mathia Subpincerna, Petro Subdapifero, Mychaele Wenczekobila, Woycechone dicto Zugel militibus et servitoribus nostris.

CIII.

Cracoviae, anno **1310** *die* **1**ma *mens. Aprilis.*

Vladislaus Locticus, ut praeclara in se uxoremque suam Gerconis civis Radziejoviensis oppidi merita, dum patria exul esset, praestita remuneretur, eidem Advocati Radziejoviensis munus et beneficia jure hereditario confert (1).

In nomine domini, amen. Cunctorum perit memoria factorum nisi scripture presidio et testium aminiculo fuerint insignita. Proinde nos Vladislaus dei gracia Dux Cracovie, Sandomirie, Lancicie, Cujavie et Siradie, notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris: quomodo inspectis fidelibus servicijs et utilibus Gerconis civis nostri Radzieioviensis, que nobis exhibuit tunc cum caruimus terris nostris, conjugem nostram charissimam servando et sibi fideliter serviendo, eidem Advocaciam nostram in *Radzieow* damus, tradimus et conferimus cum

(1) E libro manu scripto LIVto fol. 118 tabularii publici Regni Poloniae Varsaviae asservati, quo et Casimiri Magni anni 1344 tabula tum has, tum alteras Loctici anni 1316 literas ad verbum referens, filiisque Gerconis Advocati Vojslao et Paulo petentibus confirmans, et Sigismundi I duo privilegia illam rursus Casimiri tabulam ratam declarantia continentur.

posteris suis jure hereditario in perpetuum obtinendam, cum omnibus juribus, pertinencijs et proventibus, que in ea sunt vel esse poterint in futuro. Omnibus, qui ad eandem advocaciam aliquot jus dicunt se habere, silencium perpetuum imponentes, eo, quod cum inimicis nostris contra nos institerunt. Dantes sibi omne jus theuthonicum in eadem civitate, prout alie civitates nostre obtinent, que jure Maijdburgensi in terris nostris sunt locate. Damus etiam sibi in eadem civitate, de omnibus mansis, qui ibidem sunt, septimum mansum liberum, tercium denarium de judicijs, balneum liberum, duo molendina libera, sive in aqua vel qualicumque alia arte ea poterit edificare, sex macella carnificum libera, et sextum denarium de omnibus solucionibus ibidem prout alij predecessores sui habuerunt. Preterea volumus, ut idem Gerko vel posteri ipsius de judicijs pro pena quattuor solidos recipiant, de quibus nobis et posteris nostris duos denarios dare tenebuntur, et pro se tercium obtinebunt. In cujus rei testimonium presentem literam scribi jussimus et nostri sigilli munimine roborari. Presentibus his: Comite Alberto Palatino Sandomiriensi (²), Navogio dicto Pankawka Subcamerario quondam Procuratore nostro Cracoviensi, domino Ceslao Cancellario nostro Cuiaviensi, Visslao dicto Bathoricz Castellano Brestensi et Bronissio de *Sluzew*. Actum anno domini Millesimo tricentesimo decimo. Datum in *Cracovia* Kalendis Aprilis, per manus Jacobi Nottarij curie nostre.

(²) Conf. de eodem Palatino factam in tabula anni 1311 apud Szczygielscium p. 166 mentionem. Anno 1306 die Iª men. Julii, Navogium adhuc Palatinum Sandomiriensem fuisse, privilegium Vladislai Loctici in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Cracoviensis asservatum docet.

CIV.

Junivladislaviae, anno 1311 die 4 men. Octobris.

Jesco filius Lupi de Lapidea Ecclesia, auctoritate Premislai et Casimiri Ducum Cujaviensium Junivladislaviensium accedente, villam suam *Samociąsko* dictam, coenobio Cisterciensium Byszeviensi vendit (¹).

In nomine domini, amen. Provide ac prudenter gesta mortalium quelibet disponuntur, dum id quod agitur, scriptis et testibus auctenticis roboratur.

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario publico provinciae Posnaniensis, quo tabulae sublatorum coenobiorum continentur, asservato, descripsit doct. Stronczyńscius, eique duo majora

Eapropter nos Premislius et Cazimirus dei gracia Duces Cuyavie et domini Vladislavie juvenis, memoriam eorum que aguntur coram nobis haberi a posteris perpetuam cupientes, ad universorum tam presentium quam futurorum notitiam volumus pervenire, et presentibus publice protestamur: Quod Jesco filius quondam Lupi de *Lapidea Ecclesia* (2) una cum conjuge sua domina Clara in nostra nostrorumque Baronum presentia constitutus, villam seu hereditatem quondam *Samoczansco* (3) vulgari nomine nuncupatam, sitam in territorio Wyssegrodensi cum tribus lacubus, videlicet *Prephno* (? Kremno ?) *Scherne, Byale,* que hereditas ad eandem conjugem suam racione dotis pertinebat, cum ejusdem sue conjugis bona voluntate et consensu, religiosis viris B. (4) Abbati et fratribus domus Byssoviensis Cysterciensis ordinis vendidit pro septuaginta marcis denariorum, et resignavit hereditatem prefatam coram nobis dictis Abbati et fratribus memoratis ac domui eorum, cum omnibus juribus ac pertinencijs suis, secundum quod est in terminis seu gadibus suis antiquitus limitata, cum omnibus eciam ac singulis utilitatibus et fructibus nunc repertis et in futurum reperiendis ibidem, agris, pratis, sylvis, pascuis, aquis, lacubus, naulo, mellificijs, piscacionibus, venacionibus, universisque alijs utilitatibus et proventibus jure hereditario inperpetuo tenendam, habendam ac eciam possidendam. Nos igitur ipsorum Jesconis vendicionem, et Abbatis ac conventus empcionem in universis et singulis gratas habentes et ratas, eas domino Abbati et fratribus monasterij Byssoviensis cum omni jure ac judicio nostro presentibus confirmamus. Eximus etiam et liberos facimus incolas dicte ville ab omnibus servicijs polonicalibus, a *prevod,* a *povoz, wivoz, wimeth, nastava, vesnica,* a *naras,* a *mostne,*

Premislai et Casimiri Ducum sigilla, insigne Cujaviensis provinciae praeseferentia, funiculis tortis sericis coloris rubei et viridis appensa esse tradidit.

(2) Conf. ad tabul. N° LXXXIX. praemissam, annotationem quartam, nec non annotationem proxime sequentem.

(3) Quum lacus ad villam hanc pertinentes ii mihi esse videantur (*Biale, Czarne* et *Krzemno*), quos Dlugossius (I. 28, 29) in Culmensi territorio sitos esse tradidit, facile et villam olim *Samociąsko* dictam, licet in tabulis geographicis a me inventa non sit, in dextro Vistulae litore, contra villam coenobii Byszeviensis *Trzęsacz* dictam, in Prussia Occidentali jacere puto, ubi et villa *Kościelec* (sc. ecclesia) praedicta sita est.

(4) De Bertoldo Abbate Byszeviensi hic agi, minime dubitandum est; siquidem illum monasterio huic anno 1310 mense Octobri praefuisse, tabula ab iisdem Ducibus profecta et in tabulario eodem Posnaniensi asservata docet.

a poradlne, a podvolove, a straza, a bove, a vacca, a porco et ab universis servitutibus, quocunque nomine vocentur, sive secundum antiquas debeantur consvetudines, sive secundum novas emerserint questiones, exempti sint penitus et absoluti. In cujus rei testimonium presentes dedimus fratribus supradictis, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Actum et datum *Wladislavie* in die sancti Francisci Confessoris, anno domini M° CCC° XI°. Presentibus hijs testibus: Comite Johanne Wisegrodensi, Comite Johanne *Bessadi* (5) Castellanis, Nycolao de *Czybore* (6) Vexillifero, Buzivogio Judice, Voneslao Subcamerario, Magistro Petro Plebano de *Gnevcow* (7) Subcancellario curie nostre, et alijs quam pluribus fide dignis.

(5) Quid de nomine *Biesiadi,* quod quasi castri nomen in tabula refertur, sentiam, nescio, nisi quod corruptum mihi esse videatur. Nullum enim locum hujus vel similis nominis in tota Majori Polonia invenire potui. Conferatur idem corruptum nomen in tabula N^{ro} 23 apud Lelevelium (*Początk. prawod. pols.* p. 216) descripta.

(6) *Sciborze* villa parochiae Płonkoviensis in M. Ducatu Posnaniensi, Bydgostiensis territorii, Junivladislaviensis regionis, in propinquo Junivladislaviae sita est.

(7) *Gniewków* parochiale oppidum ejusdem Bydgostiensis territorii, et Junivladislaviensis regionis.

CV.

Calissiae, anno 1314 die 31 mens. Augusti.

Vladislaus Locticus Heres Regni Poloniae, Dux Cracoviae etc. jura et privilegia civitati *Calissiensi* a praedecessoribus suis impertita, rata esse jubet (1).

In nomine domini, amen. Quum ea que legitime facta sunt, ne longinquitate temporis a memoria hominum elabantur, testium ac litterarum testimonio perhennantur. Proinde nos Wladyslaus dei gracia Heres Regni Polonie, Dux Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicye et Cuyavie, ad noticiam et

(1) E tabula authentica pergamena, Comitis Leonis Rzyszczevii propria. Sigillum e cera vulgari effictum in area adamantibus exculta exhibet virum principali trabea tectum, inermem, interiori veste complicata, tenentem dextra manu vexillum, in quo Polonorum aquila coronam in capite gestans repraesentatur, sinistra laciniam pallii umbilico subjectam. Ex parte utraque scuta inclinata visuntur, quorum alterum terrae Cracoviensis, alterum Sieradiensis et Cujaviensis insigne praeferre videntur, siquidem illud aquilam corona redimitam subvolantem converso ad laevam rostro repraesentat; hoc autem animal biforme dimidiatum aquilae et leonis tergis sese contingentium. Supra hoc scutum galea conspicitur, cujus pars summa plumis ad similitudinem

testimonium omnium presencium et futurorum harum serie litterarum volumus devenire: quod dum discreti viri fidelissimi nostri Advocatus, Consules et tota universitas civitatis Kalysiensis in presencia nostra nostrorumque Baronum fuissent constituti, a nobis unanimiter, benivole et gratanter postularunt, ut intuitu serviciorum suorum jura eorum omnia, que privilegijs nostrorum predecessorum possunt ostendere in publico, de speciali gracia et favore gratuita habentes, nostris scriptis autenticis confirmaremus. Et quia dignum est, ut benemeriti principum beneficijs consolentur, igitur nos attendentes dictorum civium fidelitates et fidelia servicia, que nobis constanter et fideliter ostenderunt, omnia jura et privilegia eorum, que a nostris predecessoribus optenta habuerunt, in publicis nostris scriptis gratanter rata habentes, duximus confirmanda. Actum apud *Kalys*, anno domini Millesimo trecentesimo quartodecimo, in octava S[ti] Bartholomei. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem, presentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Presentibus nostris militibus: Martino Palatino Kalysiensi (²), Predpelchone Castellano Poznaniensi, Petrchone Judice, Symone Subcamerario Kalysiensibus, Wenceslao dicto Lijs Capitaneo Syradiensi, Petro Stossewycz, et alijs pluribus fidedignis. Datum per manus domini Phylippi Cancellarii nostri terre Polonie.

alae est exornata. Personae effigies capite nunc caret, quod tamen alia huic similia sigilla Vladislai, diademate redimitum fuisse indicant. Inscriptio quoque sigillum cingens deest. Contrasigilli, quod appellant, locum obtinent duo spatia quadrata oblonga inter totidem lineas directas impressa.

(²) In Niesiecii indice Palatinorum Calissiensium, Martinus hic silentio praetermissus est.

CVI.

Osiecii, anno 1322 die 16 men. Decembris.

Rex Vladislaus Locticus, civibus oppidi *Radziejoviae*, molam vento agitari solitam prope oppidum aedificandam et pascua paludesque oppidum circumjacentia utenda fruenda concedit, vectigali quodam utrobique praestando, sibi reservato (¹).

In nomine domini, amen. Largitas regum multipliciter commendatur, si ex gratia donationum, confirmatio benivola subsequitur. Ideo nos Vladislaus

(¹) Ex apographo doctiss. Komirowscii, quod unde descriptum sit, nos latet.

dei gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Lanciciae, Cujaviae Siradiaeque Dux, ad notitiam praesentium quam futurorum volumus devenire: quod proventus et redditus civitatis nostrae Radziejoviensis cupientes augere et amplificare, civibus nostris ibidem damus, concedimus et conferimus unum molendinum ventuale ante civitatem aedificare, pascua omnia circa ipsam civitatem cum paludibus adjacentibus, libere et pacifice pro suis utilitatibus quae jam sunt, aut in futurum erunt, eis ac eorum legitimis successoribus in perpetuum possidere, ita tamen, quod nos sextum denarium utilitatis de praedicto molendino provenientem, et sextum denarium de agris, si quos in ipsis pascuis praedicti cives nostri araverint seu coluerint pro nobis et successoribus nostris legitimis heredibus reservamus; quem denarium datum prout expressum est, ipsi cives nostri nobis et successoribus nostris singulis annis tempore debito, sicut alias census solvitur, integraliter persolvant. Et deinceps ipsum molendinum, pascua cum paludibus et omnes utilitates in perpetuum et quiete pacificeque possidebunt. In cujus rei testimonium et evidentiam pleniorem, praesentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro regali roborari. Actum apud *Ossyrz* (2) feria quinta post diem beatae Luciae virginis, anno domini Millesimo trecentesimo vigesimo secundo. Praesentibus his fidelibus nostris: Petro Castellano Sandomiriensi, Jeschone filio Buaywagy(?) (3) Dapifero Cracoviensi, Alberto dicto Costellicz Subpincerna Cujaviensi, Kmithone et Tiluysone (?) civibus de ***Brzeszcz***. Datum per manus Petri Canonici Cracoviensis et Subcancellarii curiae nostrae.

(2) *Osiecz mały* et *Osięcz wielki,* duae sunt villae in Regno Poloniae parochiae Bonieviensis, Cujaviensis territorii, Brestensis autem regionis, quas hic intelligendas esse, ex praesentia duorum Brestiae civitatis incolarum et Radziejoviensis oppidi propinquitate, facile induci posse puto.

(3) Nomen *Buaywagy* corruptum, „*Bozivogii*" legendum esse censeo. Anno 1314 Albertum dictum Nosdrach Dapiferum Cracoviensem fuisse, tabula in tabulario Capituli ecclesiae cathedralis Cracoviensis asservata docet.

CVII.

Posnaniae, anno 1324 die 24 men. Julii.

Rex Vladislaus dictus Locticus, et tabulam Boleslai Ducis Poloniae Majoris, monasterio Lądensi impertitam, qua privilegium fundationis Ducis Miecislai dicti Senis confirmatum est, et plurium villarum posterioribus temporibus coenobio a nobilibus Poloniae collatarum acquisitionem ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Cum oblivio sit mater calumpnie, nouerca pacis et licium suscitatrix, expedit, ut racionabiles contractus hominum, ad ueritatis indicium perscripti (sic) memoriam transmittantur. Proinde nos Wladizlaus dei gracia Rex Polonie nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Lancicie, Cuyauie Syradieque Dux, ad noticiam tam presencium quam futurorum volumus deuenire: quod religiosus vir dominus Mathias Abbas de Lenda ordinis Cisterciensis ad nostram accedens presenciam nobis humiliter supplicauit, ut confirmacionem priuilegii gloriosi p[rincipis] proavi nostri Ducis quondam bone memorie Meschonis per Serenissimum Principem olim Boleslaum sororinum (²) nostrum dilectum factam, modernorum priuilegiorum

(¹) E tabula authentica membranacea, Josephi Rusiecii propria, cujus sigillum, olim filis sericis rubei coloris appensum, nunc jam desideratur.

(²) Verbum „sororini" latinitate medii (quod dicunt) aevi, vel sororis maritum, vel uxoris fratrem denotasse, Ducangius (v. *Sororgius, sororius, sororinus*), auctor est; quod nomen etiam fratri patrueli uxoris in Polonia dari solitum esse, privilegium archetypum, doctiss. Stronczyńscii proprium an. 1298 die 28 mensis Decembris Calissiae a Vladislao Loctico, Arnoldo filio Henrici Advocato Calissiensi impertitum docet, quo Premislaum Regem Poloniae a Loctico *sororium* appellari videmus. Nihilominus tamen in Polonia, etiam materterae maritum sororinum nuncupatum fuisse, tabula anni 1332 in Stronczynii saepius laudato opere Nʳᵒ 29 exhibita probatur, qua scilicet Boleslaus Dux Ligniciae Vladislaum Locticum, qui sororem matris Boleslai uxorem habebat, *sororinum* suum esse dixit. Quod quum ita sit, quumque ea, quae hucusque de Vladislai Regis progenie et parentelae nexu nota sunt, nullum nobis Boleslaum Ducem Polonum sororis Loctici maritum, vel uxoris fratrem, vel denique materterae maritum tradant, non levis sane hinc nobis dubitationis scrupulus injicitur, quemnam Boleslaum Ducem, qui ante 1324ᵗᵘᵐ annum mortuus sit, hic intelligendum putemus? De Boleslao Pudico Duce Cracoviensi hic agi, nullo modo accipi potest, quum tam de uxore, quam de sorore ejus, certissima, quae sunt, indicia, plane aliam fuisse ejus affinitatem demonstrent. Nec minus temerariae conjecturae admittendae essent, si Boleslaum Ducem Masoviae, qui anno 1313ᵗⁱᵒ mortuus est, hic indicatum censeremus.—Pro Boleslao Duce Calissiensi hic supputando, id multum quidem facit, quod

nostrorum confirmacione faceremus innouari. Cuius quidem confirmacionis et priuilegii de uerbo ad uerbum tenor erat talis:

„Anno domini M° C° XL° V° pro sustentacione" etc. *(Vid. privilegium anni* 1145 *N° I. praemissum).*

Verum quia temporis antiquitas, res que seruando seruari nequeunt, non sinit statu persistere in eodem, verendumque foret, ne predicta priuilegia proavi nostri nimia vetustate consumpta, in posterum iam dicte domui preiudicium generarent, nos vero progenitorum nostrorum deuocionem pio prosequentes affectu, premissas hereditates cum hominibus et libertatibus suprascriptis confirmamus. In nostra preterea defensione (sic) suscipientes hereditates per nobiles Polonie ipsis hereditario iure collatas, scilicet: *Carbossouo, Marchinoouo, Jarossino, Gorziza, Zagrouo, Scokom, Blosino* (3), et

Lądensis regio plerumque in ejus ditione fuisset. Sed quum uxorem ejus Helenam seu Jolentam filiam Belae Regis Hungariae, filiam autem ejus Hedvigem Loctici uxorem fuisse optime sciamus; quumque insuper constet, uxorem primam Casimiri (patris Loctici) fuisse Constantiam filiam Henrici II. Ducis Silesiae, quae nullam e quatuor sororibus suis, Boleslao Calissiensi nuptam sororem habebat, (Vid. Stenzelii *Scriptt. rer. Siles.* T. I. p. 28, 106, T. II. p. 113) et mense Majo anni 1257 jam hac luce carebat (Stenzel l. c. T. II. p. 176), alteram vero, licet genere non omnino certam, certe tamen sororem Jolentae non fuisse, diuturnae inimicitiae et bella inter Boleslaum et Casimirum gesta, jam ante Constantiae obitum coepta, et si non ad mortem usque Casimiri, tamen usque ad secundum ejus matrimonium ante 1260um annum initum continuata, sat evidenter doceant; omnia igitur haec animo perpendentes, proximum vero putamus, Boleslaum Ducem Calissiensem in tabula intelligi, eum tamen nonnisi errore vel inscitia scriptoris tabulae perperam *sororinum* nuncupatum esse, qui in aliis tabulis Vladislai Loctici *socer* recte appellari solebat. (Sic in tabula anni 1297 die 18 mensis Januarii Calissiae lata, vectigal quoddam ex institis civitati donatum concernente, cujus archetypon doct. Stronczyńscii proprium est). At, quum jam scriptorem erroris absolvere non possimus, eum vel in nomine Ducis errare potuisse, verbum autem *sororini* recte scripsisse arbitramur, et pro Boleslao Premislaum Regem admittendum esse, qui re vera sororinus Loctici appellabatur, ut supra monuimus, et ad quem titulus „Serenissimi" in tabula adjectus, magis, prouti ad Regem, spectare videtur, quam ad Boleslaum Ducem Calissiensem.

(3) *Skarboszewo* villa parochialis in M. Ducatu Posnaniensi, in confinio Regni Poloniae prope oppidum Słupciam sita, Posnaniensis territorii, Wrzesnensis autem regionis. *Marcinów* et *Jaroszyn* in Regno Poloniae sunt villae Coninensis territorii et regionis, illa Cramscensis, haec autem Lądecensis parochiae. *Górzyca* vel allodium est Pleszeviensis regionis in M. Ducatu Posnaniensi parochiae Szymanovicensi adscriptum, ad bona vero Grab pertinens, et in ipso fere Regni Poloniae confinio situm, vel *Górzyce* villa parochiae Biechoviensis in ejusdem Magni Ducatus territorio Posnaniensi et regione Wrzesnensi jacens. *Zagórowo* oppidum Regni Poloniae parochiale ad Wartam fluvium, Coninensis territorii et regionis. *Skokom* parochiae Zagóroviensis ejusdemque regionis Coninensis. De villa *Blosino* conf. annotationem quartam ad tabulam Nro LXIX. praemissam.

ob remissionem nostrorum peccaminum absoluimus omnes homines in prefatis villis commorantes, ascripticios, liberos, ac in curijs eorum seruientes ab omni iure Polonicali, et a collecceione que *powolowe* dicitur. Contulimus eciam fratribus sepedictis aquam Wartam cum riuulis adiacentibus, a terminis *antiqui castri* usque in *Drecino Episcopi*, et in alia parte usque in *Cappayn* (⁴) cum utilitatibus et piscacionibus et castoribus iure hereditario possidendam. Insuper addimus predicte domui de gracia speciali, quod nullus omnino hominum predictum Abbatem in causis hereditariis, aut rusticos seu ascripticios suos iudicare presumat, sicut in priuilegio superius est expressum, et cum hoc omnes hereditates, quas nunc iuste possident, presentibus confirmamus. Volumus eciam, quod nullus ipsum Abbatem et fratres in venacione, que *kloda* wlgariter dicitur, impedire presumat. Ut autem hoc nostrum factum in honorem dei sancteque genitricis eiusdem ratum et inuiolabiliter obseruetur, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum et datum apud Poznaniam in die beati Jacobi Apostoli, anno domini M° CCC° vicesimo quarto. Presentibus hijs nobilibus nostris: Martino Palatino, Slauenta Castellano Kalisiensibus, Petro Castellano Poznaniensi, Clemente Palatino Syradiensi, Woyslao Judice Poznaniensi, Jacobo dicto Drogoslauicz Judice Kalisiensi, et alijs multis fide dignis. Datum per manus Petri Canonici Cracouiensis et Vicecancellarij curie nostre.

(4) De Antiqui castri et Dręcini situ nulla mihi est suspicio. *Kopojno* villa est Zagórovienensis parochiae, ejusdemque Coninensis territorii et regionis.

CVIII.

Sine loco, anno 1327 mensis Octobris.

Vincentius de Smogorow, mediam partem haereditatis suae *Viskidno*, Joanni de *Ruczow*, genero suo, pro dote donat (1).

In nomine domini amen. Cum resignaciones, donaciones, et contractus, vigorem non valeant obtinere, nisi litterarum testimonio, et solempni confir-

(1) Ex archetypo membranaceo, quod in tabulario Posnaniensis provinciae, privilegia sublatorum caenobiorum continente, asservatur, descripsit doctiss. Stronczyński. Sigillum parvum funiculo serico viridis coloris appensum. Effigies sigilli penitus deleta.

macione fuerint roborate, proinde nos Wladislaus, Dei gracia, Rex Polonie, nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavieque dux et Dominus, scire volumus universos, tam presentes quam posteros, harum litterarum seriem inspecturos, quod nobilis vir Vincencius de *Smogorow* judex Wladislaviensis, offerens se nostro, nostrorumque baronum conspectui, non coactus, sed spontanea voluntate, mediam partem hereditatis in wlgari *Viskidno* vocitate, Johanni genero suo heredi de *Ruczow,* racione et nomine dotis seu dotalicii, cum omnibus utilitatibus, usufructibus, qui nunc sunt, aut fieri poterunt in futuro, dedit, coram nobis resignavit, et libere condonavit, in perpetuum valituram: quorum peticionibus inclinati, dictam donacionem et resignacionem ratam, gratam, ac firmam habentes, presentibus duximus confirmandam. Datum, infra octavas Sancti Michaelis Archangeli, Anno Domini M° CCC° XX septimo, presentibus nobilibus nostris, Pribislao poznaniensi, Martino kalisiensi palatinis; Petro poznaniensi, Zbiluto nakelensi Castellanis; domino Petro preposito Sandomiriensi, ac vicecancellario curie nostre, per cujus est manus datum.

CIX.

Cracoviae, anno 1337 d. 10 m. Octobris.

Casimirus Rex Marco Aduocato et civibus Sandomiriensibus villam *Radoskovicze* denuo donat et confert (¹).

In nomine domini, amen. Quod magnifica Regum fieri decreuit authoritas, ratum atque stabile debet perpetue permanere. Eapropter nos Cazimirus, dei gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Syradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Pomeraniaeque dominus et haeres. Notitiae uniuersorum tam praesentium, quam futurorum praesentibus declaramus, Quod volentes ciuitatem nostram Sandomiriensem in meliorj et vtiliorj statu ponere, ut per hoc Aduocatorum seruitia repensentur, et ciuibus utilitas

(¹) Ex libris manu scriptis vulgo Metryki Koronne dictis in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservatis, et quidem N^ro XCIII° p. 323 descriptum.

peramplius augeatur, exnunc igitur Marco Aduocato, nec non progenitis fratris eius Roperti memoriae foelicis, ac omnibus ciuibus Sandomiriensibus, haereditatem nostram *Radoskowicze,* etiam dudum iunctam per nostros praedecessores eidem ciuitati, de novo nunc donamus, damus, tradimus, et conferimus. Velut in suis metis, et terminis circumferentialiter est distincta, eidem Marco et progenitis praescriptis, Aduocatis praedictae ciuitatis et ciuibus, ipsam haereditatem *Radoskowicze*, cum omnibus utilitatibus, redditibus, singulisque pertinentijs, et vsibus, qui nunc ibi sunt, aut per eorum prouidentiam fuerint in futurum, irreuocabiliter tenendam, habendam, libereque et imperpetuum possidendam. Haec igitur harum serie roboramus. Actum et datum Cracouiae die *Gereonis* Martiris et eius sotiorum. Anno domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo. Praesentibus hijs nobilibus nostris Spicimirio Castellano, Nicolao Palatino, et Zbigneo praeposito et cancellario, Jaroslao Archidiacono Cracouiensibus, Petro Nosal Sandomiriensi, Mistigneo Radomiensi Castellanis et aliis multis fide dignis.

CX.

Anno 1341 d. 3 Octobris.

Henricus Landgravius Hassiae promittit Cazimiro regi se statuto die duo millia sexagenarum grossorum pragensium filiae dotis nomine persoluturum (¹).

Nos Heinricus dei gracia Lantgrauius terre Hassie, manifeste recognoscimus in hijs scriptis. Quod magnifico domino, domino Kazimiro, Regi Polonie, domino genero nostro karissimo, duo milia sexagenarum grossorum pragensium, cum inclita Adelheide coniuge sua, filia nostra nomine donacionis propter nupcias, bona fide dare promisimus, ac promittimus per presentes de quibus ipsum, in die sancti Michahelis archangeli affuturo nunc proxime, in ciuitate sua Crakouia (sic) sub expensis et dampnis nostris pro-

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 226 asservato. Sex sigilla appensa sunt huic tabulae taeniolis membranaceis, omnia attrita. Eorum primum majoris formae sine dubio erat Landgravii Hassiae.

prijs, pagare tenebimur expedite. Obligantes ipsi nihilominus, ob maiorem certitudinem, illustres et nobiles viros Heinricum et Ernestum, patrueles nostros de Brunswig, Hermannum fratrem nostrum, Johannem comitem de Cyginhain, avunculum nostrum, et Syfridum comitem de Wydalginstein fidelem nostrum, fideiussorie in hunc modum, videlicet, quod si nos in dicto termino, ipsi prefatam peccunie summam non persoluerimus, extunc cum moniti erimus, infra mensem, diem monicionis immediate sequentem, dictam ciuitatem Crakouiam una cum eisdem fideiussoribus nostris intrabimus, inde non exituri, nisi eadem pecunia prescripto domino genero nostro, integraliter per nos tradita sit et soluta. Dantes sibi has literas sigillo nostro firmiter sigillatas, super eo. Et nos fideiussores prescripti, recognoscimus prefato domino nostro, domino Kazimiro Regi Polonie, fideiussisse, ac in solidum nos ipsi pro sepedicta pecunia, omnibus modo et forma, sicuti superius expressum est, fideiussorie obligasse, bona fide, promittentes et astringentes nos ad hoc, quandocumque per ipsum aut nuncios suos moniti fuerimus, obstagium sibi more bonorum fideiussorum una cum dicto domino Lantgrauio in prescripto loco fideliter adimplere. In quorum euidenciam, et clariorem firmitatem, sigilla nostra, sigillo ipsius domini Lantgrauij, presentibus sunt appensa. Sub anno domini M° CCC° XLI° feria quarta proxima post diem beati Remigij confessoris.

CXI.

Cracoviae, anno 1343 die 15 m. Julij.

Cives Cracoviae, Sandomiriae et Sandeciae jussu Regis Casimiri spondent Magistro Prussiae se neque Regi Poloniae, nec cuiquam alteri qui foedus cum eo ictum rupisset, auxilio fore, imo summopere adnixuros, ut haec concordia firma permaneat (¹).

In nomine domini, amen. Quoniam omnium habere memoriam, diuinum est pocius, quam humanum. Nos igitur ciues et uniuersitas ciuium ciuitatum

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae N° 19 asservato. Huic tabulae tria sigilla taeniolis membranaceis sunt appensa. Primum eorum reprae-

Cracouiensis, Sandomiriensis et Sandecensis, ad universorum tam presencium, quam futurorum noticiam, deducimus per presentes. Quod ad mandatum speciale serenissimi principis domini nostri, Kazimiri dei gracia Regis Polonie, promittimus et spondemus ex certa sciencia, bona fide, reuerendo et religioso viro domino et fratri Ludolpho Cunig magistro generali et fratribus ordinis beate Marie domus thewthonice, quod si idem dominus noster Rex uel quiuis alij, cuiuscumque status, dignitatis, condicionis existant, concordiam initam et feliciter consumatam cum predictis magistro et fratribus violabunt, contraueniendo iure uel facto, quomodolibet contra ipsam, occasione terrarum Pomoranie, Culmensis et Michalouiensis, super quibus est concordia huiusmodi consumata, eidem domino nostro Regi, uel cuilibet alteri, qui occasione predictarum terrarum, magistrum et fratres predictos forte inpeterent, non assistemus, nec eum, uel eos iuuabimus uerbo uel facto, consilio uel auxilio, publice uel occulte, ad inpediendum (sic) huiusmodi concordiam, uel totaliter dissipandam, sed pocius manutenebimus eam, hortabimur fideliter, et consulemus salubriter, prout melius poterimus bona fide, ad eandem concordiam firmiter et inviolabiliter obseruandam. Et ut hanc promissionem nostram iuxta debitum plenius inpleamus, presentes litteras in testimonium scribi fecimus, et sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum Cracouie in die diuisionis apostolorum, anno domini millesimo trecentesimo guadragesimo tercio.

sentat portam apertam, in qua stat miles armatus; portae imminent tres turres, quarum media ornata est aquila polonica scuto triangulari incisa. In dextra turri adspicitur imago Sancti Stanislai, inscripta: S. STANISLAV, in sinistra vero imago Sancti Venceslai, et iuxta exaratae sunt literae: S. VENCESLAV. Ex utraque parte turrium collocata sunt duo parva scuta triangularia, quorum utrumque continet binos gryphos dorso ad se conuersos, super scuta positae sunt coronae regiae, super quamlibet earum una stella, scilicet duae super quodlibet scutum. In circuitu sigilli leguntur sequentes voces: S. CONSULUM ET COMUNITATIS CIVITATIS CRACOVIE. Alterum sigillum exhibet imaginem alicujus Sancti vel Sanctae sedentis caput corona redimitum habentis, dextra manu vexillum cruce exornatum tenentis; ex sinistra parte conspicitur parva ecclesia turri cruceque instructa, sub ea cornu copiae expressum. In ambitu leguntur sequentia: S. CONSULUM ET CIVIUM IN NOVO SANDECI. Tertium quoque sigillum exhibet portam cum tribus turribus, mediae infimae imminet scutum aquila polonica instructum, declive positum, in cujus superiori latere clypeus est suspensus. In circuitu legitur: S. REGIS POLONIE ET CIVITATIS SANDOMIRIE.

CXII.

Varsaviae, anno 1343 d. 3 m. Augusti.

Semovitus et Casimirus Duces Masoviae, militi Panątha castellano Czirnensi, haeredi de Boglewice, villas *Segluki* **et** *Sczichi*, **pro villis ipsius** *Boglewice, Wola* **et** *Zirocryno*, **donant** (¹).

1538. Sigismundus etc. Significamus etc. Quia constituti hic coram nobis personaliter Nobiles Ottha, Joannes et Jacobus Bobrkowssczij, fratres germani, heredes in villa Bobrek, narrantes inter se habere quandam controversiam, occasione priuilegij super eorum bona hereditaria servientis, predecessoribus eorum, per duces olim Mazouiae concessi, unoquoque illorum hoc idem priuilegium apud se retinere cupiente. Quare supplicarunt nobis humiliter, ut ejusdem priuilegij, quod coram nobis hic originaliter exhibuerunt, ejus verum transsumptum in forma vidimus, sub sigillo nostro regio, transcribi et extradj mandaremus. Cujus priuilegij tenor ad verbum, ut sequitur, est talis:

1343 (²). In nomine domini, amen. Quoniam corruptibilium iugis non est memoria, necessarium est, ut quidquid in eis temporibus agitur et geritur, proborum virorum tam nobilium, quam simplitium (³) testimonio atque literarum serie, approbetur. Pateat igitur universis, tam presentibus quam futuris, presentium notitiam habituris, et percepturis. Quod nos Semouitus una cum fratre nostro Cazimiro, dei gracia duces Mazoviae et (⁴) domini Czirnenses, sana mente et bona corporis sospitate, habita etiam (⁵) digna ac matura deliberatione (⁶), attendentes seruitia (⁷) frequentia (⁸), nobis per fidelem nostrum militem dictum *Panątha* (⁹) Castellanum Czirnensem, heredem de Boglewijcz (¹⁰), multis temporibus fideliter exhibita, ac in posterum exhibenda: volentes ipsius voluntati aquiescere (¹¹) (sic), pro commutatione (¹²) villarum nostrarum

(¹) Ex libris manu scriptis Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae vulgo Metryki Koronne dictis, et quidem Nro LIV. p. 313 descriptum.

(²) Aliud exemplar pruilegii hujus continetur libro manu scripto vulgo Metryka Koronna dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservato et quidem Nro 333 p. 118. Diversam lectionem ejusdem in notis attulimus. (³) simplicium. (⁴) etc. (⁵) eciam. (⁶) deliberacione. (⁷) seruicia. (⁸) frequencia. (⁹) Panantha. (¹⁰) Bogleuicze. (¹¹) acquiescere. (¹²) per

ac ipsius, contulimus ac conferimus sibi et suis legittimis successoribus, villam nostram, que *Seglukij* (13) wlgariter nuncupatur (14), cum altera que *Sczijchi* (15) dicitur. Addicientes (sic) sibi de borra sequestrando (16) de villa que *Strumecz* (17) nominatur, prout semita transit, que appellatur Nedabijlowa Stijza (18) wlgariter dicta, usque ad gades ville *Seglukij* (19). Conferimus etiam eidem Panęthe (20), et suis legittimis successoribus, super eisdem villis jus theutonicale (21) locandj jure Maijdburgensi (22). Permittimus etiam (23) in eadem villa forum habere, et libere forizare (24) omnes aduenientes, quascunque merces apportauerint vel adduxerint, preter pannos libere et secure, sine omni impedimento, statuto die forensi, quem elegerit, cum omnibus juribus, prout in nostris civitatibus habentur, illo jure gaudebunt incole in eadem villa residentes. Absolventes easdem villas ab omni jure polonicali, et ab omnibus solutionibus (25), angarijs et preangariis, quocumque nomine censeantur. Nos vero dux Semouitus, et frater noster Cazimirus (26), recepimus ab eodem Panętha (27), pro commutatione (28) villarum nostrarum, villas ipsius *Boglewiczi* (29) cum *Vola,* et aliam *Ziroczijno* (30), ex illa parte fluuij, qui dicitur Vizla (31) in perpetuum duratura (sic). Ut ergo nostra donatio (32) et commutatio (33), firma, stabilis et inconuulsa perseueret, mandauimus hanc literam conscribi, et nostri sigilli munimine roborarj. Presentibus honorabilibus (34) viris, Venceslao (35) Palatino Czirnensi, Sassino Judice Curie nostre, Daskone (36) Pincerne (sic); Thomazio Castellano Warschouiens., Bartholomeo Aduocato Warschouiensi, Luthkone (37) Thezaurario nostro, Pribislao Tribuno Warschouiensi, Thylbone (38) Notario Curiae nostrae, Stanislao Capellano nostro, Jacobo Capellano Curie (sic) nostre (sic), et alijs quam pluribus fide dignis. Actum et datum in Warschouia die dominica in vigilia beati Dominici. Per manus domini Guntherj Cancellarij nostri. Anno domini Millesimo Tricentesimo quadragesimo tertio.

Nos itaque Sigismundus rex prefatus, eorundem Nobilium Otthe, Joannis et Jacobi Bobrkowssczij fratrum praefatorum supplicationibus clementer et gratiose annuentes, volentesque, ut hoc priuilegium non unus tantum, alter

commutacionem. (13) Seclukij. (14) nuccupatur. (15) Sczijti. (16) sequestranda. (17) Stromecz. (18) Nedabilowa schdza. (19) Secluky. (20) Panathe. (21) teutunicale. (22) maydboriensi. (23) eciam. (24) forisare. (25) solucionibus. (26) Kazimirus. (27) Panantha. (28) commutacione. (29) Boglewicze cum Wolya. (30) Syroczino. (31) Wisla. (32) donacio. (33) commutacio. (34) nobilibus. (35) Vencesla. (36) Dascone. (37) Luthcone. (38) Tilcone.

illorum quoque habeat, illud eis extradi, sigillique nostri appensione communirj mandauimus. Harum testimonio etc. Datum Pyotrkouie in Conuentione generali, feria secunda post festum Purificationis gloriosissime virginis Marie, domine nostre, proxima. Anno domini millesimo quingentesimo trigesimo octauo, Regni vero nostri anno trigesimo secundo. Paulus de Vola Vicecancellarius subscripsit. Relacio ejusdem.

CXIII.

Cracoviae, anno 1346 die 1 mens. Augusti.

Casimirus Rex Theodorico cuidam dicto Sturm villam in fluvio *Lipnik* locandi potestatem confert (1).

In nomine domini, amen. Quod Magnifica Regum facere decreuit Magestas, maxime ad utilitatem Regni sui, debet esse firmum et stabile, roburque perpetue firmitatis obtinere. Proinde, nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, notum facimus uniuersis tam presentibus, quam futuris, hanc paginam inspecturis. Quod cupientes, utilitates Regni nostri augere, et facere de siluis et nemoribus, de quibus nobis nulla penitus utilitas proueniebat, damus viro discreto Theodrico dicto Sturm villam in silla (sic) circa fluuium, qui Lipnik dicitur, et ex utraque parte ipsius fluuij, iure Theutonico, quod Sredense nuncupatur, locandi, perpetuoque durandi, omnimodam potestatem: que villa sexaginta mansos in limitibus suis habebit. In qua villa damus et conferimus, de bona deliberacione predicto Theodrico, et posteris ipsius, in perpetuum sculteciam iure hereditario habendam, tenendam, possidendam, vendendam, donandam, commutandam, pro sua et suorum posterorum voluntate, quomodolibet conuertendam, cui sculteto et successoribus suis perpetue iure hereditario, damus sextum mansum liberum, et ante omnia unum mansum pro ecclesia, et unum mansum pro pellendo grege, quod *Scotnicza* dicitur, tabernam liberam, sex ortos, molendinum uel molendina,

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 603 asservato. Sigilli abrupti nonnisi funiculus sericus coloris cerasini superest.

quodcunque fieri po......... uel piscinas, quodcumque possunt fieri infra limites dicte hereditatis, mensam sut(orum), macellum carnium, fabrorum, panum, tercium denarium de iudicio, de pen(is tam mag)nis quam paruis, duobus duntaxat pro nobis .... reseruantes; licebit dicto sculteto eciam, et sue posteritati, infra limites predicte hereditatis piscari, venari, et alias quascumque utilitates facere, et ex(ercere) .... (ta)men excipimus, quod iam dictus scultetus, uel qui pro tempore fuerit, nobis et nostris posteris cum uno hastario, ad quamlibet expedicionem, tenebitur seruire. Tria iudicia magna, que ter in anno fieri consueuerunt. (In) quibus iudicijs nostro nuncio quem mittemus, unum prandium scultetus, et duo kmethones, ministrare tenebuntur, uel pro quolibet prandio sex scotos grossorum soluent. Preterea damus et concedimus sepedicto sculteto, et omnibus kmethonibus, a data presencium ad viginti annos, continue computandos, a solucione, seruicio et decima census, omnimodam libertatem, qua elapsa, extunc kmethones, de quolibet manso, singulis annis perpetuo, in festo beati Martini, nobis et nostre posteritati, per octo scotos grossorum, racione census soluent, et pro decima, cui debebitur per sex scotos. Ceterum prenominatus scultetus, et sui successores, habebit uel habebunt, iudicandi, condempnandi, puniendi pro quibuscumque causis, secundum quod ipsum ius Theutonicum postulat et requirit, plenam potestatem. Item, ipse scultetus et sui posteri, non alias, nisi coram nobis, dum per nostram literam fuerit citatus, uel citati, iure predicto, kmethones vero coram sculteto, iure quo supra respondebunt. Cum autem scultetus, in reddenda iusticia de quocumque esset negligens, ad nos pro habenda iusticia habebunt recursum. Datum Cracouie, in die beati Petri ad vincula, anno domini M° CCC° XL° sexto. Presentibus hijs testibus: Ottone Polonie, Hermanno Cuyauie, Floriano Lancicie cancellarijs, Pelca castellano Sandecensi, Vilczcone Subdapifero Sandomiriensi, et Abram subpincerna et alijs. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum presentibus est appensum.

CXIV.

Lanciciae, anno 1348 die 24 mens. Junij.

Jaroslaus Archiepiscopus Gnesnensis superarbiter inter Vladislaum ducem Lanciciensis et Dobrinensis Terrarum et Clementem Episcopum Plocensem, villas *Rus, Trambino* et alias Episcopo Plocensi adjudicat (1).

In nomine domini, amen. Nos Jaroslaus, diuina prouidentia Sanctae Gnesnensis Ecclesiae Archiepiscopus. Notum facimus uniuersis tam presentibus, quam futuris, ad quorum noticiam deuenerit scriptum presens. Quod, licet ab olim inter Magnificum Principem Dominum Wladislaum, Dei gratia Ducem Lanciciensis et Dobrzinensis Terrarum, ex una: et Venerabilem in Christo fratrem nostrum Dominum Clementem, eadem gratia Plocensem Episcopum, et suam Plocensem Ecclesiam, parte ex altera, super solutione Decimarum, seu certae pecuniae, loco et nomine earundem in Terra Dobrzinensi per incolas ejusdem Terrae, tam in villis Ducalibus, quam etiam militalibus, quae ipsi Domino Episcopo et dictae suae Plocensi Ecclesiae, annis singulis fuerat facienda, grauis fuerat, seminante satore Zizaniae discordia, seu controuersia suscitata. Quia tamen Christi clementia annuente, placuit eisdem partibus, dissensionis huiusmodi scopulo procul moto, in nos tanquam arbitratorem, seu amicabilem compositorem super premissis, sponte et libere et amicabiliter compromittere, et etiam conuenire. Nos gratia Sancti Spiritus inuocata, dictas partes, videlicet Ducem et Episcopum prenominatos, ipsis consentientibus, et etiam approbantibus, per viam et modum concordauimus, et ad pacis foedera reduximus infrascriptas (sic): ita videlicet, quod dictus dominus Dux Wladislaus, inprimis villas *Rus* et *Trambino,* cum suis pertinentijs sitas in Terra Dobrinensi, predicto Domino Episcopo et suae Plocensi Ecclesiae, tenetur restituere, prout in veris suis sunt gadibus et granicijs limitatae. Quod si quispiam, super huiusmodi limitibus, dicto domino Episcopo, uel ipse Episcopus alij seu alijs mouerit

(1) Ex libris manu scriptis vulgo Metryki Koronne dictis in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruatis et quidem Nro CXXV. p. 122 descriptum.

in posterum questionem, extunc dictus Dominus Dux, ex praelatis et canonicis Plocensis Ecclesiae quatuor; dictus vero Episcopus similiter inter barones seu limites (nobiles?) Terrae Dobrzynensis quatuor eligere tenebuntur, de quibus eis videbitur expedire, qui omnes simul prius fideli super hoc et plena informatione praehabita, (iuramento etiam praestito ab eisdem electis), secundum modum praemissum dictas villas distinguent ab alijs super gades seu granicies, et etiam limitabunt, duraturas perpetuo, iuxta quod eorum videbitur honestati, qualibet partium praedictarum, seu etiam aliarum et quorumlibet contradictione cessante, et hoc idem seruabunt domini et partes praedictae ex utraque parte, octo videlicet eligendo personas modo praedicto, ad limitationes et gades in bonis et possessionibus dictae Plocensis Ecclesiae, et bonis dicti domini Ducis contiguis, in dictae Terrae Dobrzinensis dominio situatis. Quod si praedictae octo personae per Dominos praedictos electae, ad limitationem praefatam modo debito faciendam, nequiverint forsitan concordare, extunc super hoc sorte missa, ea pars, cui sors dederit ipsas haereditates, secundum Deum et conscientiam limitabunt (sic). Quibus taliter limitatis, si deinceps questio super his orietur, jus commune terrestre seruabitur, aut ipse Episcopus literis dicti Ducis, quas super limitatione praefata, dicto Domino Episcopo dare promisit, se tuebitur, et de eadem limitatione docebit. Dictas vero haereditates expresse et etiam nominatim, et alias infrascriptas, videlicet nouam villam contiguam *Gorzno* et ipsum *Gorzno*, castrum nouum *Gorzno, Succowo, Golkowo, Tcole, Mensanczkowo* binum et alodium similiter *Mensączkowo* dictum *Brensk,* quod nunc Episcopus noscitur obtinere, *Sitna* cum lacu, *Pogorzalowo Biskupino, Paseczno, Uneiowo, Poline, Gałkowo, Supierzijcze* et caeteras omnes uillas, prout in ueris suis limitibus, in Dominio Terrae Dobrzinensis sunt distinctae, item villam *Lanki* eiusdem Episcopi, sitam in terra Lanciciensi, (eadem libertate gaudebit, excepto, quod Dux Lanciciensis stationem siue *stan* semel in anno habebit in illa, et quod homines de eadem iuuabunt ad aedificandum castrum seu reaedificandum, et hoc tum tantum, quando homines Archiepiscopi Gnesnensis hoc facient, et ad hoc euocati siue iussi transibunt) dictus Dominus Dux Wladislaus, piae memoriae Domini Ducis Conradi Priuilegium, et tenorem ipsius, qui sequitur in haec verba: Ego Conradus Dei gratia Dux Masoviae etc. ex toto ac plenissime approbando et etiam con-

firmando, debet et tenebitur a sua suorumque Judicum, Subiudicum, Castellanorum omnium Jurisdictione, dominio, ac etiam potestate, nec non collectis, exactionibus, boue, vacca, oue, perna, *stan,* et generaliter, ab omnibus angarijs, praeangarijs quocunque nomine censeantur, consuetis in Terra predicta Duci seu Domino de villis et earum incolis exbiheri, plene ac totaliter eximere, ac etiam liberare. Eo duntaxat excepto, quod quandocunque castrum in *Rippin* de nouo aedificari, vel jam destructum, vel prae vetustate consumptum, seu alio infortunio destructum, per terrigenas communiter omnes reaedificare contingat, tunc dictus dominus Episcopus, et sui successores, pro constructione et qualibet reaedificatione castri praedicti, decem marcas Thorunensis monetae, soluere sit adstrictus. Praeterea quia Dominus Clemens Episcopus Plocensis, sui Plocensis Capituli ad id etiam accedente assensu, in tota Terra Dobrzinensi, per quatuor scotos de quolibet manso nomine decimae et ratione ipsius solutionis, per incolas eorundem statuit, limitauit, et voluit sibi et suae Plocensi Ecclesiae fore perpetuo in posterum faciendum; dictus Dominus Wladislaus in recompensam illius, centum mansos de mericis, aruis, dum tamen sint arabiles, utiles et habiles pro cultura, circa *Gorzno,* aut circa *Rus* et *Trambino* praedicta, si fieri commode poterit, aut alibi in viciniori loco, ubi videbitur a dominio suo, prout aliae haereditates et villae Plocensis Ecclesiae existunt, liberos et exemptos, distinctos a bonis circumiacentibus, integraliter et bona fide dare et assignare tenebitur, ab homine quolibet exbrigatos, seu etiam expeditos, penes dictam Plocensem Ecclesiam, et eius dominium, perpetuo permansuros. Caeterum Sculteti villarum Terrae Dobrzinensis praefatae, in die Beatae Catherinae virginis, pro quolibet manso villarum, in quibus Scultetias obtinere noscuntur, per quatuor scotos exigere et recolligere fideliter ac etiam ex integro, quando per nuncios vel literas Plocensis Episcopi, qui nunc est, et pro tempore fuerit, moniti seu requisiti extiterint in *Dobrin,* vel in *Rijpin,* eidem Episcopo, vel ejus nuncio ad id specialiter deputato, suo periculo deportare, dare etiam seu praesentare, annis singulis, perpetuis temporibus, tenebuntur. Tam (quam?) pecuniam recollectam ut praefertur, et nuncio dicti Plocensis Episcopi praesentatam, si idem nuncius eandem dicto Episcopo tuto, secure, ac sine periculo deportare nequeat, vel non possit, tunc Dominus Dux praefatus, rogatus tamen, et cum data reuerentia eidem, ipsam

pecuniam per suos homines et suo damno, dicto Episcopo, tenebitur destinare. Quod si praefati Sculteti, in exigendo censu praefato, dictae Plocensi Ecclesiae nomine decimae debito, forent negligentes aliqualiter, seu rebelles, sub iuramento nullam suae negligentiae causam racionabilem praetendentes, poterit extunc dictus Dominus Episcopus contra ipsos scultetos, ob huiusmodi eorum negligentiam et contemptum, procedere per censuram Ecclesiasticam, praeuia ratione. Et nihilominus, negligentiae occasione praedictae ipsos scultetos compellere ad sibi soluendum de quolibet suo manso quatuor scotos, prout tenentur villani caeteri, seu villae, quos scultetos etiam ad hoc fore dicimus obligatos. Quam censuram excommunicationis, vel interdicti sententias in eos ex causis praemissis prolatas, si ijdem Sculteti, infra unius mensis spacium, animo sustinuerint pertinaci, extunc cum, crescente contumacia, crescere debeat et poena secundum legitimas sanctiones, praefatus Dominus Dux Dobrinensis, ipsos Scultetos, qui et quot culpabiles extiterint, pro huiusmodi pertinacia, et per quatuor scotos de manso quolibet quorumlibet eorundem et villanos omnes, vel aliquos ex eis, qui et quotcunque in soluendo censu praedicto praefato Plocensi Episcopo rebelles extiterint, seu etiam pertinaces, pro ea solum pertinacia, seu contradictione inpignorare, et recepta pignora apud illos, ad viciniorem domum seu curiam ipsius Episcopi, per suos homines officiales, seu etiam Ministeriales debebit transmittere, super hoc ex parte memorati Plocensis Episcopi requisitus, per ipsum tam diu pacifice detinenda, quousque sibi, et Ecclesiae suae neglectus census, seu etiam denegatus, per Scultetos et villanos praefatos, integre fuerit persolutus. Praemissa vero omnia et singula, saepedictae partes scilicet Dominus Dux et Episcopus supradicti, promiserunt se effectualiter impleturos ex utraque parte, sub poena centum marcarum, quas parti seruanti, ordinationem nostram huiusmodi, pars etiam (eam?) non seruans seu contraueniens contra illam, mediantibus nobis dare, soluere tenebitur, et etiam assignare. Submiserunt se insuper spontanea voluntate Domini supradicti, quod partem huiusmodi non seruantem praedicta, possimus propter hoc excommunicationis vinculo innodare. Ut autem haec nostra ordinatio et concordia, quam etiam authoritate Metropolitica approbandam duximus et etiam confirmandam, robur obtineat perpetuae firmitatis, praesentes literas scribi et confici super ea fecimus, nostri sigilli appensione

muniri. Actum Lanciciae, in die Beati Joannis Baptistae, Anno domini Millesimo Trecentesimo quadragesimo octauo. Presentibus strenuis et nobilibus viris: Domino Falo Palatino Lanciciensi, Iwone Praeposito, Nicolao Archidiacono, Kielczone Custode, Gnesnensibus; nec non Michaele Pincerna, Dominico Subiudice Lanciciensibus, et Ticzone de Radomskie, et aliis pluribus fide dignis.

CXV.

In villa Bobrownik, anno 1349 d. 19 mens. Aprilis.

Vladislaus Dux Lanciciensis et Dobrinensis militi Nasironi mericam in Terra Dobrinensi sitam, una cum silva *Gorzechowo,* ipsius hereditati Zyrniki adjacenti, vendit (¹).

1493. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam etc. Significamus tenore presencium etc. Quomodo in nostra (Joannis Alberti Regis), et Consiliariorum nostrorum presencia constituti personaliter, honorabilis et nobilis Paulus Presbiter, Arcium Liberalium Baccalaureus, et Nicolaus fratres germani de Zijrnijki heredes, obtulerunt coram nobis quoddam priuilegium, sub titulo et sigillo olim Illustris Principis, domini Wladislai Lanciciensis et Dobrzinensis Terrarum Ducis, antecessoris nostri: supplicaveruntque nobis, quatenus eis ipsum privilegium renovare dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

1349. In nomine domini, amen. Ut rei geste ambiguitate qualibet semota, apud presentes et apud posteros noticia loculencior habeatur: igitur Nos Wladislaus, dei gracia Lanciciensis et Dobrzinensis Terrarum Dux, notum fore cupimus universis presentibus et posteris, presencium noticiam habituris: Quod viro discreto et honesto militi Nazironi, et suis veris heredibus ac legittimis successoribus, mericam nostram sittam in Terra nostra Dobrzinensi, cum silva Gorzechowo wlgariter dicta, coniunctam et annexam ipsius hereditati, que Zijrnijki wlgari nomine nominatur, tredecim mansos Culmensis mensure, et decem iugera, que morgij wlgariter nominantur, in

(¹) Ex transumpto Regis Joannis Alberti, quod libro manu scripto vulgo „Metryki Koronne" dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato Nº XV. fol. 163 continetur.

suis granicijs et metis continentem, cum omni jure Culmensis civitatis, cum omnibus utilitatibus, proventibus, et usufructibus, quocumque nomine censeantur, qui nunc sunt, aut oriri poterunt modo quolibet temporibus in futuris, eidem militi Nazironj vendidimus de nostro vero dominio, pro quinquaginta marcis monete Thorunensis, cum tanta libertate, quantam idem Nazir suis kmethonibus seu incolis, dictos mansos colentibus tradet et donabit, tam sibi suisque veris pueris, de ipso legittime procreatis, iure hereditario, libere temporibus perpetuis tenendam, habendam, atque possidendam, ad ususque proprios conuertendam, iuxta quod sibi suisque veris heredibus ac legittimis successoribus utilius, comodiusque videbitur expedire: videlicet donando, vendendo, sive commuttando, pro sua, suorumque posterorum, omnimoda voluntate, tamen nostro de consensu pariter affectu. Ad quam quidem mericam, nullus aliquod ius, preter nos, habuit vel habebat temporibus ab antiquis. Et si unquam prefata merica, alicui pro tempore fuerat concessa, nunc vero et inperpetuum revocamus per presentes, quod nullo iure aliquis hominum, preter Nazironem prefatum et suos posteros, ipsam valeat obtinere. Preterea prenotatus Nazir, et sui posteri, de utraque hereditate, videlicet de hereditate Zirnijki nominata, et de merica sepius dicta, ad expedicionem quamlibet nostram, cum pancero nobis tenebitur deseruire in suo dampno pariter et expensis; unumque porcum, seu quamlibet solucionem aliam nostram ducalem nobis solvet, de ambabus hereditatibus prenarratis. Ut autem hec nostra vendicio, et ipsius empcio, inter nos et prefatum Nazironem habita, robur perpetue optineat firmitatis, presentes sibi fieri, nostrique maioris sigilli munimine iussimus communiri. Datum in Bobrownijk, in octava Pasche. Presentibus testibus subnotatis: Comitibus, Johanne tunc Capitaneo Dobrzinensi Succamerarioque Lanciciensi, Misliborio Judice Dobrzinensi, Thiczmano Judice Rippinensi herede de Radomino, Bernhardo herede de Mokouo, Viskone de Grochovalsco, et alijs quam pluribus testibus fide dignis, viris nobilibus et honestis. Actum sub anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono. Scriptum per manus Augustini.

Nos tandem, viso huiusmodi eorum privilegio iusto, in nulla parte viciato: tantumque propter antiquitatem scriptura in eo erat caduca et deleta; eorum peticioni iuste acclinati, ipsum privilegium, sic de verbo ad verbum insertum, duximus renovandum, et per presentes renovamus. In cuius rei

testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum Poznanie, feria tercia infra octavas Corporis Cristi (d. 11 Junij), anno ejusdem millesimo quadringentesimo nonagesimo tercio, Regni vero nostri anno primo. Presentibus reverendis in Christo patribus dominis: Petro Wladislaviensi, Uriele Poznaniensi, Episcopis; nec non magnificis et generosis: Nicolao de Cuthno Lanciciensi et Capitaneo Maioris Polonie generali, Johanne Szwydwa de Schamothuli Calischiensi, Johanne de Opporow Brestensi, Mathia de Sluzewo Juniwladislaviensi, Pallatinis etc. Datum per manus Venerabilis Gregorij de Ludbrancz etc. R. P. Vicecancellarij. Relacio eiusdem Venerabilis Gregorij de Ludbrancz R. P. Vicecancellarij.

CXVI.

Cracoviae, anno **1351** *d.* **12** *mensis Junii.*

Rex Cazimirus Nicolao et Tilusio quibusdam villam *Visoke* jure theutonico locandam confert (1).

In nomine domini, amen. Ea, que magnifica Regum Magestas facere decreuit, maxime pro utilitate Regni sui, debent esse firma et stabilia, roburque perpetue firmitatis obtinere. Igitur nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, notum facimus uniuersis, presentem literam inspecturis: Quod cupientes utilitates Regni nostri peramplius ampleare, discretis viris Nicolao et Tilusio damus villam in *Visoke,* in fluuio *Sidinez,* iure theutonico, quod Maydburgense dicitur, locare plenam potestatem. Que villa habebit infra limittes centum mansos iure predicto theutonico mensuratos. In qua villa damus predictis Nicolao et Tilusio, ac posteris ipsorum, perpetuo sculteciam habendam, tenendam, donandam, vendendam, commutandam, pro uoluntate ipsorum conuertendam. Quibus scultetis, et successoribus ipsorum damus perpetuo octo mansos liberos, pro ecclesia duos mansos liberos, pro pellendo grege, quod *scotnicza* dicitur, duos mansos. Item damus predictis scultetis et posteris eorum duas tabernas liberas, macellum carnium, sutorum,

(1) E tabula authentica membranacea Varsaviae in tabulario publico Regni Poloniae Nro 612 asseruata. Sigillum deest.

panum, fabrorum, sex ortos liberos, duas piscinas, duo molendina, pratum liberum ad viginti currus, tercium denarium de iudicio; preterea omnibus et singulis kmethonibus dicte ville, a data presenti ad viginti annos, ab omnibus solucionibus damus libertatem. Qua elapsa, extunc kmethones, singulis annis, in festo beati Martini, pro censu nobis per octo scotos grossorum soluent, et scultetis VI denarium de quolibet manso, et pro decima per fertonem: ad tria iudicia magna, que ter in anno fieri consueuerunt, unum prandium sculteti, et duo kmethones dabunt nostro nuncio, uel pro quolibet prandio per sex scotos soluent. Remouemusque a predicta villa omnia iura polonicalia, angarias et preangarias qualescunque: ita sculteti dicte ville non alias, nisi in iudicio nostro theutonicali, iure theutonico predicto, dum tamen per nostram literam fuerint citati, respondebunt; kmethones vero coram scultetis iam dicte ville, iure eodem, respondere teneantur. In causis autem criminalibus, et aliis quibuscunque magnis uel paruis, scultetis iam dicte ville in villa sepedicta, et infra limittes ipsius ville, iudicandi, condempnandi et puniendi, secundum quod ipsum ius theutonicum postulat et requirit, damus omnimodam facultatem. Sculteti enim prenominate ville, ad expedicionem cum galea seruire, equo competenti, tenebuntur. In cuius rei testimonium, nostrum sigillum duximus presentibus appendendum. Data Cracovie, in die sancte Trinitatis, anno domini M° CCC° quinquagesimo primo. Presentibus hijs testibus: Johanne Palatino Sandomiriensi; Eustachio Lublinensi, Henrico Wisliciensi, Johanne Voynicensi, Castellanis; Dobeslao Subcamerario Sandomiriensi et Nicolao Subdapifero Cracouiensi, ac alijs multis.

CXVII.

Sanocii, anno 1352 d. 25 mensis Januarii.

Casimirus Rex Jacobo dicto Isskra villam *Obrwinow* jure theutonico locandi confert potestatem (1).

1530. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus etc. Significamus etc. Quomodo Nobilis Adam Myslowski,

(1) E libro Metrica Regni dicto Nro XLIV. p. 382.

scultetus noster in villa ***Iskryna,*** coram Majestate nostra constitutus, exhibuit originaliter priuilegium suum sculteciale ***Iskrinense,*** titulo et sigillo Serenissimi olim Principis domini Cazimiri Polonie Regis tunc temporis existentis, predecessoris nostri, sibi super prefatam sculteciam seruiens, obsignatum; petens illud, propter eius inueteracionem, sigillique regalis aliqua ex parte infractionem, innouari, approbari, ratificari, confirmarique per nos decerni tenoris subsequentis:

1352. In nomine domini, amen. Ea, que aguntur in tempore, simul labuntur cum cursu temporis, nisi scripto apicum et testimonio testium perhenniter roborentur. Ea propter nos Cazimirus dei gracia Rex Poloniae notum facimus universis, tam praesentibus quam futuris, hanc paginam inspecturis: Quod cupientes utilitates Regni nostri meliorare et augere, de nemoribus et siluis, de quibus nobis nulla penitus utilitas proueniebat, Jacobo dicto ***Isskra,*** in merica, quę dicitur ***Obrwinow*** et ***Brachcyn,*** incipiendo a fluuio ***Wislok,*** villam damus jure theutonico, quod Maidemburgense dicitur, perpetuo duraturo, nomen villę ***Obrwynow*** wlgariter imponendo, locandi, mansos mensurandi, omnimodam potestatem. Que villa habebit sexaginta mansos, infra limites jure predicto theuthonico mensuratos. In qua villa praedicto Jacobo damus sculteciam, et posteris seu successoribus ipsius legitimis, ac pueris uxoris suę, filijs Dauidconis: Paulo videlicet, Nicolao, Dominico, Curado et Misscislao, perpetuo ac jure hereditario, tenendam, habendam, possidendam, vendendam, commutandam, pro sua et suorum posterorum utilitate conuertendam. Quę scultecia habebit perpetuo quattuor mansos liberos: mensurato prius uno manso pro pellendo grege, quod ***Scothnicza*** wlgariter dicitur; juramenta omnia, tercium denarium de qualibet re iudicata, in pęnis magnis vel paruis: duobus denarijs pro nobis duntaxat reseruatis; thabernam liberam, maccellum carnium, bancam panum, sutorum, fabrorum, molendinum, cum quotcumque rotis fieri poterit, in fluuio predicto ***Wislok,*** piscinam liberam, prata, pascua. Licebitque praedicto sculteto, et posteris ejus piscari, venari infra limites dictae hereditatis, mellificia informare: in mansis tamen, qui ad sculteciam pertinebunt. Scultetus vero, qui pro tempore fuerit, ad expedicionem generalem unum hominem in *plattis,* in *slappa,* et cum hasta, in equo valenti mittere teneatur. Et kmethones ad expedicionem per duos scottos grossorum nobis dare tenebuntur. Ad iudicia

autem magna, quę ter in anno fieri consueuerunt, unum prandium scultetus, et duo kmethones, nuncio nostro, quem ad hoc mittemus, ministrare tenebuntur; uel pro quolibet prandio, per fertonem grossorum soluent. Et ut cicius dicta villa possit locari; a data presencium, de agris dudum excultis, octo annorum, de siluis vero densis, quę extirpari debeant, ad viginti annos continue computandos, praedictae villae kmethonibus, damus et concedimus ab omnibus solucionibus nostris omnimodam libertatem. Qua elapsa, kmethones villę predictae perpetuo, quilibet eorum de quolibet manso, singulis annis in festo Beati Martini, racione census nobis et nostris successoribus per decem scottos: pro decima ..... scott. cui de jure deberet, solvant, et soluere sint astricti. In causis autem capitalibus et criminalibus, magnis vel paruis, predicto sculteto, successoribusque ipsius judicandi, senteneiandi, condemnandi et puniendi, secundum quod ipsum jus theutonicum requirit, damus et tribuimus omnimodam facultatem. Preterea remouentes omnia jura polonicalia, quę jus theutonicum impedire consueuerunt; absoluimus et liberamus scultetum dictę villę et suos successores, ac kmethones inibi, ab omnibus potestatibus et judicijs Palatinorum, Castellanorum, Judicum, Subjudicum, Ministerialiumque ipsorum. Ita quod ipse scultetus, et sui posteri, coram ipsis vel eorum aliquo cittati, qui pro tempore fuerint, minime respondebunt: nisi tantum coram nobis, vel in judicio nostro, theutonicali jure supradicto, respondere tenebuntur; kmethones autem coram sculteto villę prenotatę, suo jure theutonico respondebunt. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum maius presentibus est appensum. Actum in *Sanok* die Conversionis Sancti Pauli, anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo. Presentibus his testibus: Henrico Visliciensi Castellano, Petro Neorza Tribuno, Pelka Vexillifero, Cracouiensibus; Petro Capitaneo de *Sanok*, Nicolao Puscz Subdapifero Cracouiensi, et Pelka Subagazone Sandomiriensi, et alijs multis fide dignis. Datum per manus Pribislai nostrae curiae Notarii.

Proinde Nos Sigismundus Rex, cognoscentes priuilegium preinsertum esse justum ac legitimum, nullaque ex parte sui viciatum; illud de certa sciencia nostra, ex causis preallegatis, innouandum esse censuimus, prout innouamus, nostraeque regiae Majestatis auctoritate approbamus, ratificamus et confirmamus, decernentes illud robur firmum et perpetuum habiturum, presencium tenore mediante. Ut autem nos memoratum Adam Mislowski,

scultetum nostrum, super premissis redderemus deinde magis consolatum, sibi et filio ejus legitimo Joanni memoratam sculteciam inscribēndam esse decernimus (sic), prout et inscribimus. Promittimusque in verbo nostro regio presentibus, quod ipsum Adam, ejusque filium Joannem supraexpressum, de sculteccia prefata, quamdiu uterque ipsorum vixerit in humanis, nemini redimere consenciemus, neque successores nostri consencient: duntaxat nobis et successoribus nostris, pro mensa sua regia, proprijs pecunijs eosdem redimendi facultatem reseruamus, presencium tenore mediante: juribus nostris regalibus per omnia semper saluis. In cujus rei etc. Actum *Cracouiae* feria tercia in vigilia Sancti Laurencij, anno domini millesimo quingentesimo trigesimo, Regni vero nostri anno vigesimo quarto. Presentibus reuerendis in Christo patribus dominis: Petro de *Thomicze* Cracoviensis et Regni nostri Vicecancellario, ac Joanne Carnkowski Premisliensis ecclesiarum Episcopis; nec non magnificis, generosis et venerabilibus: Christophoro de *Schidlowiecz* Castellano et Capitaneo Generali Cracouiensi, ac Regni nostri Cancellario, tum *Siradiensi, Sochaczouiensi, Gostinensi,* Noue Ciuitatis *Corczin* et *Lucouiensi* etc. Capitaneo, Nicolao de eadem *Schidlowiecz* germanis Castellano Sandomiriensi, et Regni nostri Thezaurario, *Radomiensi, Olstinensi, Crzepicensi, Osswiaczimensi, Zatoriensi* etc. Capitaneo, Nicolao Wolski Castellano *Sochaczowiensi, Sanocensi, Lanczkorunensi, Visnensi* et *Lomzensi* Capitaneo, et Serenissimę dominę Bonę conjugis nostrae amantissimę, ac Petro Opalenski *Landensi* Castellano, et Serenissimi domini Sigismundi Secundi Regis Poloniae etc. filii nostri charissimi Curię Magistris, Joanne Choyeński Poznaniensi, Archidiacono Cracouiensi, et Paulo de *Crassow* omnium sanctorum Cracoviensi prepositis, et Canonicis Cracouiensibus, Secretarijs nostris, et alijs quam plurimis Dignitarijs, Officialibus, Secretarijs et Aulicis nostris ad premissa testibus, fide dignis, sincere et fidelibus nostris dilectis. Datum per manus prefati Magnifici Christophori de *Schidlowiecz* Castellani et Capitanei Cracoviensis R. P. Cancellarij.

Relacio ejusdem Magnifici Christophori de Schidlowiecz Castellani et Capitanei Cracoviensis R. P. Cancellarij.

CXVIII.

Gostinini, anno 1353 d. 24 m. Februarii.

Semowitus Dux Masoviensis, villas *Brwelino*, *Lonczsko* et *Nrzestno*, ad monasterium Plocense pertinentes, ab omnibus solutionibus et exactionibus liberat (¹).

In nomine domini, amen. Cunctorum factorum perit memoria, mutabilitate temporis exigente, nisi sollempni testimonio literarum fuerint perhennata. Igitur nouerint uniuersi, presentes et posteri, presens scriptum inspecturi: Quod nos Semouitus dei gracia Dux Mazouiensis et dominus Cyrnensis, Rawensis et Gostinensis Terrarum, tactus misericordia Dei, et beate Marie genitricis sue, aclinatusque (sic) supplicacionibus Jacobi Prepositi Monasterij Plocensis, una cum Grimelli Magistra et sororibus sui conuentus, ob nostre anime remedium, et omnium predecessorum nostrorum, ac eciam successorum, villas eiusdem Monasterij predicti scilicet: *Brwelino, Lonczsko, Nrzestno* wlgariter nucupatas, ab uniuersis solucionibus et exaccionibus, videlicet: conuiuiorum, vaccarum, porcorum, scropharum, agnorum et ab illa contribucione, que dicitur *sep,* et a stacione exactorum exigencium monetam per terram, et ab alijs contribucionibus omnibus, quocumque nomine censeantur, facimus et esse volumus penitus liberas in perpetuum et exemptas: nisi monetam, que dicitur *obraz,* et collectam generalem toti terre positam, villis in eisdem supradictis nobis reseruamus. Et cum venator noster in villas memoratas venerit, ipsum nutrire tenebuntur et incole villarum dictarum; ad custodiam fere agitantis (sic), que dicitur *przelaya*, dum mandati fuerint a venatoribus nostris, ire tenebuntur. Item si duo uel tres de hominibus predictarum villarum invicem contenderint, et alterum alter occiderit; caput non a castro, sed a sororibus prenotatis, ex integro tres marce recipietur (sic). Volumus eciam: si aliquis extraneus, non habens residenciam in villis prenotatis, occiderit incolam villarum iam dictarum, quod a sororibus prefatis due marce pro capite occiso percipiantur. Eciam si qmeto residens

(¹) Ex archetypo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nʳᵒ 1108 asseruato descriptum. Sigillum funiculo serico coloris viridis appensum, prorsus destructum.

In nomine domini amen

noverint universi presentes et posteri p
ma dei et beate marie genitricis su
et omnium predecessorum nostrorum ac e
et exaccionibus videlicet aunniorum
contribucionibus omnibus quomodoq
lem toti terre positam villis nostris de
ad custodiam fere agunntis qui
dunt et alium alter occidit capi
persona occidit incolam villarum
generum non attinentem villis
castellanorum nostrorum aut iudicum
nostro aut litera nostra evocari fu
iussimus roborari. Testibus
Andrea Camerario Bostin
beati mathie apostoli Sub anno

ui testimonio literarum fuerint perhennata Igitur
nensis Rawensis et Gostinensis terrarum tactis
et sororibus sui conventus ob nostre anime remedium
vulgariter nuncupatas absolvimus solucionibus
earum exigencium monetam ptram et ab aliis
c... monetam que dicitur obraz et collectam gha
im inrovire tenebuntur et incole villarum dictarum
tras de hominibus predictarum villarum in vicam oten
iam si ad generum non habuit residenciam in vill
cto residens in villis supradictis alium quemcunque
Volumus eciam ut nullus palatinorum et ca
in homines villarum predictarum annulo vel sigillo
t renovari presentes fieri nostrique sigilli signaculo
Warssevien, Nicolao thezaurario Rawensi
rienis. Datum et actum in Gostinino in die
Notarii . Tu ... ic~~~

in villis supradictis, alium qmetonem extraneum non inhabitantem villis in prefatis, occiderit, sorores iam dicte capitis occisi unam marcam optinebunt. Volumus eciam, ut nullus palatinorum et castellanorum nostrorum, aut judicum habeat facultatem citandi seu iudicandi prenotatas hereditates sororum, nisi cum homines villarum predictarum annulo uel sigillo nostro, aut litera nostra prouocati fuerint, respondere tenebuntur. Ut autem nostra hec donacio a futuris non possit reuocari, presentes fieri, nostrique sigilli signaculo iussimus roborari. Testibus ydoneis subnotatis, videlicet: Nicolao castellano Cyrnensi, Cristino dapifero Warsseuiensi, Nicolao thezaurario Rawensi, Andrea subcamerario Gostinensi, Vincencio filio palatini Cuyawiensis, Johanne dicto Zgles, Nasutkone curiensibus. Datum et actum in Gostinino, in die beati Mathie apostoli, sub anno domini M° C° C° C° L° III°, VI kalendas Marcij. Scriptum per manus Anthonij Notarij curie.

CXIX.

Cracoviae, anno 1354 d. 19 men. Januarij.

Casimirus Rex Poloniae, Johanni Pakoslao, haeredi de *Stozyscz*, oppidum Rzeschouiense donat, eidemque oppido jus theutonicum concedit (1).

In nomine domini, amen. Decet equidem caput nobile membris fulciri nobilibus. Expedit itaque Regie Majestati habere subditos opulentos, ut eorum suffulta presidijs, defendatur temporibus opportunis ab adversis. Igitur noverint presentes et posteri, ad quorum noticiam presens scriptum in perhennem memoriam fuerit devolutum. Quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Pomeranie, Russieque dominus et heres. Considerantes digna, clara, comendabiliaque merita, et obsequibiles actus fidelis nostrj Pakoslaj Johannis, heredis de *Stozyscz*, quibus in ante ea, suis racionabilibus obsequijs, pro communi bono Regni nostri Polonie et terre Russie, quam fauente domino gubernamus, pacem et tranquilitatem ordinans, ad Tartaricas naciones descendere non expavit, vitam suam non preposterans, ad honorem et

(1) Ex libris manu scriptis vulgo Metryki Koronne dictis in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruatis, et quidem N° XVII. pag. 247 descriptum.

comodum Regnorum eorumdem, fideliter exponendo; et quia racioni consonum videtur, et honestati conforme probatur, ut virtuosi in suis virtutibus non immerito debeant consolarj: ideo ut ceteri nostri fideles, ad similia virtutum opera, studiosius conformentur, eidem domino Johanni Pacoslai (sic), et sue posteritatj ex utroque sexu tam masculino, quam femineo descendentibus, opidum *Rzeschouiense,* cum ~~suo toto~~ districtu, in terra Russie situm, secundum quod antiquitus per Serenissimos duces Russie extitit limitatum, quibus diuina clemencia legittimus successor extitimus, et ejusdem terre Russie dominus principalis, cum omni jure et pleno dominio, prout soli jus nacti sumus, et habuimus in eisdem, ac cum omnibus et singulis villis et libertatibus locatis et locandis, nec non fructibus, redditibus, censibus, utilitatibus ac affittibus, appendijs et adherencijs earum universis, videlicet agris, pratis, pascuis, aquis, torrentibus, lacubus et piscinis, siluis, borris, mericis, rubetis, quercetis, venacionibus ferarum et avium quarumcunque, que nunc ibi super terram sunt, et sub terra in futuro, natura vegetante, poterunt exoriri, quorum limites incipiendo a gadibus terre Sandomiriensis, videlicet a villa *Dambrowa,* que ad Terram Sandomiriensem noscitur adiacere, et ex alia parte protendentibus granicijs usque ad villam *Lanzaysko* limitibus terre Jaroslaviensis confinante (sic): item a dextris versus Russiam descendendo, usque ad limites Castri *Czudecz,* suis finibus circumferencialiter distingwuntur, damus, assignamus, conferimus perpetuis temporibus, et donamus: preterea ipsum dominum Johannem et suam posteritatem, ut premittitur, gracia prosequi volentes ampliorj, eidem et suis posteris seu heredibus, omne jus et potestatem plenariam, in suo premisso dominio quomodolibet genus malefactorum et sceleratorum, per modum justicie punire et condempnare sentencia punitiva, attribuimus decernentes. Castra eciam seu municiones quaslibet in eodem suo territorio *Rzeschouiensi* locare, construere, erigere et firmare, admittimus graciose, in quibus vitam suam, et bona ipsius, ab insultu hostium quorumlibet confouere possit salubriter, et tuerj. Insuper theloneum ab antiquo institutum, sive sit gwidagium sive pedagium, idem dominus Johannes et sui successores exigent et percipient cum omnimoda facultate. Ceterum regio ex favore duximus statuendum, quod prenominatum *Rzessoviense* opidum cum suo toto districtu, in villis et libertatibus locatis et locandis, jure theutonico, quod Maijdeburgense dicitur,

211

ɛum
arj,
ca-
s et
ius
vel
int,
io-
inc
lat
ere
lla
ter
im
iri
ia,
io
io
a-
le

co
nu
no
tut
et
tib
se
qu
R
na
lil
til
pı
rı
ib
e
li
e
t
c
l

frui debeant et gaudere. Propter quod etiam, ut sepedictum opidum, cum villis et libertatibus adiacentibus eidem, possint celerius restaurarj et locarj, omnes et singulos incolas eorumdem, ab omnibus judiciis palatinorum, castellanorum, judicum, subjudicum, ministerialium quoque perpetuo eximimus et etiam liberamus, ita quod coram ipsis vel eorum aliquo respondere nullatenus teneantur, nisi advocatus aut sculteti premissarum villarum coram nobis vel judicio nostro, dum tamen per literam, nostro sigillo munitam, evocati fuerint, tunc suo jure theutonico de se querelantibus (sic) respondebunt. Kmethones vero, cum eorum sculteti in reddenda justicia fuerint negligentes, tunc per suum dominum judicabuntur, prout ipsorum jus theutonicum postulat et requirit. Inter alia dicto domino Johanni favorem volentes impendere specialem, omnes et singulos incolas dicti *Rzessouiensis* districtus, illa gaudere volumus libertate, quam a nobis habent sculteti in villis noviter locatis, dum idem dominium tenuimus, perpetuis temporibus concessam libertatem. In cujus rei testimonium et evidenciam clariorem, presentes dari fecimus nostri sigilli munimine roboratas. Actum *Cracouie,* die dominica, qua cantatur omnis terra, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto. Presentibus his testibus: Johanne palatino, Vilczone Castellano Sandomiriensibus, Eustachio Lublinensi, Stanislao Malogostensi Castellanis, Andrea Succamerario, Petro tribuno Cracoviensibus, et alijs multis fide dignis. Datum per manus domini Sbignei Cancellarij Cracoviensis.

CXX.

In villa Szarley, anno 1355 d. 11 m. Octobris.

Wladislaus Dux Cujaviae scultetiam in villa *Ostrowąż* sitam, cuidam Nicolao collatam ab omnibus solutionibus liberam facit (¹).

In nomine domini, amen. Gestorum perit memoria cunctorum, si non testibus veridicis, et scriptis publicis denotentur. Igitur notum sit uniuersis,

(¹) Ex archetypo membranaceo N^ro^ 1105 Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae. Sigillum appensum in funiculo serico coloris rubri habet in campo in modum tabulae latrun-

tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris. Quod nos Wladyslaus dei gracia dux Cuiauie et dominus Gnewkouiensis, consideratis et inspectis continuis et fidelibus seruicijs, nobis per nostrum fidelem Nijcolaum dictum Rumlik, heredem de *Wenczslauicz* exhibitis et inpensis, adhuc quoque in posterum inpendendis; cupientes eciam beneficio beneficijs obuiare, dictum Nijcolaum de hijs sex mansis, quos in villa Monialium cenobij plocensis beate Marie Magdalene, *Ostrowans* wlgariter nominata, sita in terra *Gnewkouiensi*, nomine scultecie dignoscitur possidere, ab omnibus iuribus polonicalibus, nostrisque solucionibus ducalibus uniuersis, que pronunc sunt, aut oriri possunt quomodolibet temporibus in futuris, puta ut sunt: *pekarne, glowne, crowne, godne, podworoue, dymowe, porudlne, poramb poglowny, walne, stroza, narzaz, prewod, wiuoz*, a vacca, porco, perna et oue, ab omnibus alijs iuribus et solucionibus uniuersis, quocumque nomine nominentur, una cum suis liberis et successoribus legittimis, liberum facimus eternis temporibus, pariter et solutum. In cuius rei robur perpetuo valiturum, presentem paginam ipsi Nicolao scribi fecimus, sigilli nostri munimine roborantes. Actum et datum in *Szarley* (²), beati Francisci in octaua. Sub anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto. Presentibus hijs nobilibus nostris: Mosciczone palatino Gnewkouiensi, Chebda castellano Brestensi, Thoma iudice, Stanislao subcamerario Gnewkouiensibus, Alberto subpincerna Wladislauiensi, Jankone subdapifero Gnewkouiensi, et alijs quam plurimis fide dignis. Scriptum per manus Henrici curie nostre notarij.

culariae efficto clypeum oblique positum insigni terrae Cujaviensis exornatum, super eundem clypeum collocata est galea germanica cum ala aquilae. In ambitu leguntur verba: † S. WLADISLAI ..... ACIA DUCIS CUYAVIE. Ex altera parte parvum sigillum item insigni terrae Cujaviensis, sed in alteram partem conuerso, exornatum. Verba in ambitu leguntur: S. WLADISLAI.

(²) Procul dubio villa Szarglew antea in provincia Masoviensi et territorio Gostinensi sita.

CXXI.

Czchoviae, anno 1356 d. 18 m. Julij.

Casimirus Rex Poloniae cuidam Petro Herbordi, jus locandi villam ad fluvium *Sitnik* **confert, eidemque villae nomen** *Libertas Petri* **imponit** (¹).

In nomine domini, amen. Quod magnifica Regum pro utilitate decreuit fieri auctoritas, ratum atque stabile perpetuo debet permanere. Eapropter nos Kazimirus dej gracia Rex Polonie, ceterarumque terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuiauie, Pomoranieque dominus et heres, ad noticiam et testimonium omnium, tam presencium, quam futurorum, harum serie literarum cupimus deuenire. Quod de nemoribus et siluis, fructus verrissimos ampliare cupientes, viro prouido et honesto Petro Herbordj de *Belcz,* damus omnimodam potestatem locandi villam, in fluuio *Sitnik,* iure Theutunico Maydburgensi, de s........ mansis franconicis, nomen eidem ville *Libertas Petri* inponendo. Racione cuius locacionis, damus Petro eidem, et per eum suis veris heredibus et successoribus legittimis, sculteciam in eadem villa *Petri Libertate* perpetuo habendam, tenendam, donandam, vendendam ac possidendam, pro sua et suorum posterorum voluntate conuertendam; hos redditus expresse eidem Scoltecie addicientes videlicet: mensam panis, piscium et sutorum, macellum carnium, molendinum de duabus rotis, quatuor mansos liberos cum totidem ortis, duos pro ecclesia et unum pro pascuis communibus, seu pro pellendo gregge (sic) quod *scotnicza* dicitur in wlgari. Que omnia debent esse libera ab omnibus contribucionibus, solucionibus et exaccionibus, ac penitus absoluta. Volumus eciam, ut nullus Palatinorum, Castellanorum, et quorumlibet iudicum nostrj Regnj, kmetones memorate ville, pro quacumque causa siue causis, magnis et paruis puta: furti, sanguinis, homicidij, incendij, membrorum mutillacione, et alijs uniuersis debeat iudicare, nisi memoratus Scoltetus, et sui successores, de quibus idem Scoltetus tercium denarium habebit, duobus pro nobis reseruatis. Scoltetus eciam predictus, et sui successores, coram predictis palatino, castellano, et

(¹) E tabula authentica membranacea in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 606 asseruata. Sigillum abruptum, restat tantum funiculus sericus coloris rubei.

iudice, qui pro tempore fuerint, nullatenus respondebunt, nisi tantum coram nobis, dum per literam nostro regio insignio singnatam (sic) euocati fuerint, tunc de se querulantibus, non aliter tamen, quam suo iure theutunico, respondere teneantur. Et ut facilius predicta villa locari possit, omnibus ipsam inhabitantibus, a data presenti, ab omnibus nostris solucionibus et exaccionibus, quocumque nomine dicantur, infra quatuordecim annos, omnimodam elargimur libertatem. Qua elapsa, kmetones predicti ville predicte, de quolibet manso, octo scotos grossorum racione census nobis soluere in festo beati Martini teneantur, sextum vero denarium censualem Scoltetus predictus et sui successores legittimi habebunt; tria prandia infra annum nobis, siue nuncio nostro debebuntur, a Scolteto unum, et a kmetonibus duo, siue pro quolibet unum fertonem (sic); pro decima vero per sex scotos de quolibet manso soluent, et non manipulatim. Preterea predictus Scoltetus et sui successores, ad quamlibet expedicionem generalem in defensionem nostri Regni, cum uno homine galeato, nobis et nostris successoribus seruire teneantur. In quorum testimonium, presentes dari fecimus, nostri sigilli munimine roboratas. Actum in *Czchow*, feria secunda ante diem beate Marie Magdalene. Sub anno domini Millesimo CCC° L° sexto. Presentibus hijs testibus: Wiczga capitaneo sandecensi, Nicolao subdapifero ......, Ottone de Pylcia, Petro de Sczecoczin, Ymramo Zegothe burcrauio de Czchow, Marco custode Sandomirien., et alijs multis fide dignis. Scriptum per manus Jacobi notarij nostri.

CXXII.

Brestii, anno 1359 die 12 m. Februarii.

Zemovitus Dux Masoviae, approbat concordiam inter se et Elizabetham patruam suam per Cazimirum regem factam de immunitate et libertate bonorum ab ea possessorum (¹).

In nomine domini, amen. Ea que fiunt et ordinantur in tempore, ne per decursum temporis, simul cum tempore transeant, et a memoria hominum

(¹) Ex tabula authentica membranacea Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 25. Sigillum deest, restat nonnisi taeniola pergamena, qua appensum erat.

euanescant, necessarium est, ut literarum presidio, et testium aminiculo confirmentur ad memoriam sempiternam. Igitur Nos Semouitus dei gracia dux Mazouie et dominus Czirnensis, harum, quibus expedit, literarum tenore notum facimus uniuersis publice profitentes. Quod super omnibus et singulis controuersijs, dissensionibus, rixis et iniurijs inter nos ex una, et serenissimam principem dominam Elizabeth ducissam Wysegradiensem, patruam nostram, parte ex altera, aliquo tempore habitis et ventilatis, per magnificum principem, dominum nostrum dominum Kazimirum Regem Polonie, cum eadem domina ducissa sumus amicabiliter concordati in hunc modum. Primo et principaliter: Quod ad districtum, situm inter fluuium dictum *Brzura* et inter magnam stratam dictam *Czyrwska,* et ad vasallos et kmethones in eodem districtu residentes, ac ad villam dictam *Czyrmno,* et ad ipsius kmethones, tempore vite eiusdem domine ducisse Wysegradiensis, nullum jus seu respectum de cetero habere debeamus. Ita, quod nullas exacciones, bernas, collectas, jurisdiciones, penas iudiciales, custodias, angarias, perangarias generales aut speciales, quocumque censeantur nomine, nullaque penitus seruicia, que wlgariter dicuntur *Posady,* ab incolis et inhabitatoribus, et specialiter a vasallis prefati districtus et ville *Czyrmno* memorate, inantea extorquemus (sic), seu aliqualiter repetemus. Sed eundem districtum, et villam *Czyrmo* (sic), cum omni jure et dominio, ac cum omnibus utilitatibus, obuencionibus, censibus ac uniuersis pertinencijs suis, nichil iuris aut dominij inibi pro nobis reseruando, ad prefatam dominam ducissam Wyssegradiensem, solum ad tempora vite ipsius, ex diffinitiua promulgacione dominj nostri dominj Regis memorati volumus pertinere. Prefatam quoque dominam ducissam, venacionem omnium animalium et ferarum solo animali, quod *Thuer* wlgariter dicitur duntaxat excepto, in tota terra nostra libere admittimus habere et exercere. Quam quidem concordiam et conposicionem per dictum dominum nostrum dominum Regem sic factam et ordinatam, laudamus, consentimus, et de eadem stamus contenti; ipsamque, bona nostra fide, absque doli et fraudis specie, promittimus inviolabiliter obseruare. In cuius rei testimonium et efficaciam cerciorem, presentem literam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Actum et datum in *Bresth,* feria tercia proxima post diem beate Scolastice virginis, anno dominj millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Presentibus hijs testibus: venerabili in Christo patre domino

Jaroslao sancte gnezdnensis (sic) ecclesie archiepiscopo, et serenissimo principe domino Nicolao duce Opauie, ac nobilibus viris dominis: Dadzybog Plocensi, Johanne Lanciciensi, Alberto Brestensi palatinis, Floriano cancellario Lanciciensi, Pascone Gnezdnensi (sic), et Pascone Brestensi castellanis, Wyrbantha Polonie, Predborio Cuyauie, et Chebda Syradie capitaneis, et Nicolao Czamborij, ac alijs qaum plurimis fide dignis.

CXXIII.

Plosci, anno 1361 die 25 m. Aprilis.

Kazimirus Rex Poloniae, villas *Kurowo, Dymce,* et *Ostrowąż*, ab omnibus solutionibus excepta universali collecta terrae, liberat (1).

In nomine domini, amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi scripturis autenticis, et fide dignorum testimonio commendentur. Igitur nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, nec non Cracouie, Sandomirie, Sijradie, Lancicie, Cuyauie, Plocensis, Russie, Pomeranieque dominus et heres. Ad universorum noticiam tam presencium, quam futurorum, volumus deuenire harum serie literarum: Quod ad instantes peticiones honorabilis et religiosi viri fratris Nicolai prepositi, nec non sororis Derslae priorisse tocius conuentus monasterij Sancte Marie Magdalene ordinis Premonstratensis ante *Ploczk*, exnunc kmethones et incolas villarum infrascriptarum videlicet: *Curowo*, *Dymcze* et *Ostrowons*, ipsius monasterij inhabitantes, ob salutem anime nostre, eximimus et perpetuo liberamus villas predictas ab omnibus angarijs, preangarijs, laboribus, solucionibusque uniuersis et singulis, excepta uniuersali collecta terre, que *poredlne* nunccupatur; liberamus insuper iam dictos kmethones a juridicione omnium palatinorum, castellanorum, judicum, subiudicum, ministerialium ipsorum ita, quod coram ipsis, uel eorum aliquo, pro causis magnis seu paruis, et uniuersaliter quibuscumque citati minime teneantur respondere, nisi coram suo preposito, aut eius iudice, per eum et

(1) Ex archetypo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 1111 asservato. Sigillum deest.

suos successores deputato, jure suo teutonico seu polonico respondebunt. Eciam de nostra gracia speciali admittimus eundem prepositum et suos successores, perpetuis temporibus, post suum hominem villarum supradictarum videlicet *Curowo, Dymoze* et *Ostrowons,* ubicumque et per quemcumque occisus fuerit, penam recipere capitalem, que quidem pena in polonico dicitur *poszederze* (sic), alias omnes penas tam magnas, quam parvuas in dictis villis perpetratas, idem prepositus et sui successores pro se et suo conuentu tollent et habebunt, temporibus eciam perpetuis. In cuius rei testimonium et euidenciam pleniorem sigillum nostrum est appensum. Actum in Ploczko, die Marci ewangeliste, anno domini millesimo CCC° sexagesimo primo. Presentibus Dadzybogio Plocensi, Jaberto Cuyauiensi, Johanne Lanciciensi, Chebda Syradiensi, Palatinis; Jacussio Subcamerario Plocensi, Dobeslao Castellano Cruswiciensi, et Floriano Cancellario Lanciciensi, qui dicta habuit in commissis, et alijs.

CXXIV.

Anno 1362 d. 13 m. Februarij.

Vladislaus Dux Cujaniae commutationem certorum bonorum inter Moszczicium Palatinum Cujaviensem et filiastros ejus factam ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Vniuersa que fiunt negocia, proch dolor apud homines labente tempore vacillant, nisi pagine et sc(ripti), test(iumque) fuerint insignita suffragio. Igitur Nos Wlad(islaus) Dei gracia Dux Cuyauie, dominusque Gnevcoviensis, ad perpetue (sic) rei memoriam edisserimus uniuersis, tam presentibus quam futuris, quorum audicioni presens scriptum recitatur. Quod strenuus miles dominus Moszcicz Palatinus Cuyauiensis, et sui filiastri sic nominati videlicet: Nicolaus, Bichno, Czibor in nostra presencia constituti notificantes: cambium laudabile inter se cum hereditatibus mutuo fecisse. Ita quod sui filiastri prius nominati, sanis corporibus et plenis racionibus,

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 605 asseruato. Documentum hoc pluribus rimis laesum. Sigillum deest.

perfectis mentibus, non coacte, nec compulse, sed bonorum sensuum deliberacione, et cum suorum amicorum, videlicet Nicolay dicti Visichlot, quondam filij Stanisslay, et Staszkonis filij quondam Alberti pye memorie heredis de *Kneye* libera volumptate (sic), non pre puericia, sed ad annos discrecionis omnes plenarie venientes, ad annos tales videlicet: Nicolaus ad annos viginti, Bichno ad decimum octauum, Czibor ad quindecimum annum, hereditatis partem eorum *Czibozre* (sic) dederunt, ... dictam *Zlotniki*, domino palatino iam dicto, cum omnibus utilitatibus et prouentibus ad eandem pertinentibus, prout sunt . . . . filiastri iam pretacti palatini et sui amici prememor . . . . dictam hereditatem se perhenniter abren. . . . . suis metis et terminis per m. . . . . . .m iam dictis videlicet Nicolao . . . . et Staszkone circumferencialiter est limitata . . . . Cuyauiensem et per s(uos) successores dictam hereditatem, ... regendam . . . . dam, conuert . . . . prout sibi et suis (successor)ibus melius et . . . . Adhuc . . . ., palatinus p. . . . . manum adiutricem . . . . . .exit xx mar. . . . . supradictas dominus p. . . . . . . suis filiastris dictam . . . . resignauit . . . . . . utilitatibus ac . . . . prouentibus prout in suis gadibus circumferencialiter est . . . . possidendam . . . . . . commutandam pro . . . . sagatius uidetur expedire. Preterea recognos. .latino iam dicto et suc(cessori)bus pro suis meritis . . . . nobis inpensis et aduc (sic) in posterum, per suos successores, ... super dictam partem her. . . . . . .re, que pars per suos s. . . . . pro hereditate *Zlotniki* sibi est commutata, omnia iura su. . . . . . hereditates, scribi iussimus, nec non . . . . . . munimine roborari. Ut autem h. . . . . cambij ac mutacionis peraccio, resignacio, abremuciacio (sic), iurisque donacio, robur obtineat perpetue . . . . . . (presente)s literas scribi fecimus, et eas nostri sigilli munimine iussimus roborari, ad evidenciam (sic) huis (sic) rei testimonium. Datum et actum in castr. . . . . . vigilia beati Valentini martyris gloriosi, sub anno domini M°C°C°C°LXII°. Presentibus hijs testibus: domino Oswaldo Castellano Slo. . . . . ., Andreo (sic) Judici Cuyauien. . . ., Przibislao Vexillifero, domino Jaszkone Subpincerna . . . ., Johanne

Dapifero, domino Procuratore ...... Cuyauie dicto Run............ ...... per manus Nicolay summi notarij domini ducis Cuyauie filij ....

CXXV.

In villa Dolessycze, anno 1362 d. 18 m. Julij.

Cazimirus Rex Poloniae cuidam Henrico quondam advocato de Wartha facultatem de novo locandi oppidum *Kolo* jure theutonico concedit (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei etc. Proinde nos Johannes Albertus etc. Significamus etc. Quomodo in nostra et Consiliariorum nostrorum presencia constituti personaliter providi Consules opidi nostri *Colo,* suo tociusque comunitatis nominibus, exhibuerunt coram nobis privilegium sub titulo et sigillo Majestatis olim Serenissimi domini Principis Antiqui Kazimiri eadem gracia Polonie Regis super advocaciam ibidem in Colo, quam prehabito consensu olim Serenissimi domini Kazimiri Regis etc. genitoris et antecessoris nostri carissimi, a multis iam annis pacifice possiderunt (sic), datum et concessum, supplicantes, quatenus eis prefatum priuilegium confirmare dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

In nomine domini, amen. Ne res gestas coram Regum magnificencia, aboleat successus temporum, opportunum est eas scripturis autenticis, et fide dignorum testimonio testium ad perpetuam rei memoriam roborari. Proinde Nos Kazimirus dei gracia etc. Ad universorum noticiam tam presencium, quam futurorum volumus devenire, quod utilitates Regni nostri peramplius dilatare cupientes, exnunc provido viro Henrico, quondam advocato de *Wartha,* tenore presencium damus et concedimus plenam et liberam potestatem locandi de nowo ciuitatem ex villa dicta *Colo* sic wlgariter appellandam, cum duabus villis ad eandem ciuitatem perpetue pertinendis,

(1) Ex apographo libri manu scripti vulgo „Metryka Koronna" dicti Nro XV. p. 159 in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservati.

eodem nomine *Colo* appellandis, omnes simul quinquaginta mansos Maydburgenses continentes, jure theutunico prefati (sic) Maydburgensi, quo gaudet Civitas nostra *Brezst.* In qua quidem civitate locanda, publice profitendo recognoscimus: prefato Henrico suisque veris et legittimis heredibus ac successoribus, advocaciam dicte civitatis locande, pro sexaginta marcis pragensium grossorum, numeri polonicalis XLVIII° faciencium (sic) marcam eandem, pro se et sua posteritate ementi et (sic) racionabiliter, rite, vendidisse, de quibus nos tenemus pagatos et contentos, cum adiunccione duarum sculteciarum dictarum villarum Colo, ut prefertur, nominandarum. Quas idem Henricus de nostro beneplacito et consensu, a sculletis predictarum villarum pro sexta media marca dictorum grossorum pragensium, racionabiliter emit, per eosdem resignacione subsecuta, cum omnibus et singulis comodis, utilitatibus et proventibus quibuscunque, qui et que ex eadem Advocacia et scultetis (sic) predictis, succedente tempore, poterint (sic) dirivari (sic), habendas, tenendas et perpetuis temporibus pacifice possidendas, nec non vendendas, donandas, alienandas, obligandas, seu commutandas, et pro libito sue voluntatis, et suorum posterorum, de Advocacia et Scultecijs predictis, libere disponendas. Idem quoque Henricus et sua posteritas, racione locacionis civitatis huiusmodi et predictarum Advocacie et Sculteciarum empcionis, infrascripta bona et iura imperpetuum obtinebit, habebit et pacifice possidebit. Et primo videlicet quatuor mansos liberos dicti iuris theutunici Maijdemburgensis absque omni dacione cuiuslibet rei, dandi cuipiam ab eisdem. Item, duos ortos liberos sitos in insula pertinenti ad eandem civitatem. Idem (sic), domum et curiam liberam, in eadem civitate. Item balneum. Item de omnibus cameris suis operatorijs quibuscunque, et qualescunque inibi poterunt edificari, carnificum, panum, sutorum et pannorum, terciam partem. Idem Henricus advocatus et sui posteri habebunt et optinebunt (sic), contradiccione quorumcunque non obstante, illis cameris duntaxat exceptis, que ecclesie ibidem erigende et fundande, una cum alijs perpetuandis (sic) rectori ipsius, qui pro tempore fuerit, deputentur (sic) et adjungentur. Item molendinum, quod melius construere poterit in fluvio dicto *Vetscza*, cum omnibus necessitatibus construendis, et utilitatibus spectantibus ad illud. Item in alio fluvio dicto *Wartha,* et per totum ipsum fluvium liberam piscaturam cum omnibus

instrumentis suis ad piscaturas, et ad ipsum officium necessarijs et consweetis, licite habebit. Item de qualibet area unum grossum pragensem. Item idem advocatus tercium denarium de qualibet re iudicata, et eciam de iuramentis quibuscunque, que qualitercunque cadent, in terminis eiusdem civitatis et villarum predictarum, secundum quod late longeque limitate sunt et distincte, ac nunc de nowo limitabuntur et distingwentur, sic quod easdem habeat iudicare. Insuper damus et concedimus prefate civitati dicte *Colo* duodecim annos, et predictis villis sic eodem nomine nuncupatis sex annos libertatis, ita quod ad soluciones qualescunque, et contribuciones et exactiones quascunque, eciam ad *sep,* et ad alia quocunque nomine vocentur, minime teneantur. Nec ad ea qualitercunque compelli de jure vel de facto nobis faciendas (sic). Qua quidem libertate utrobique expirata, prefati cives de qualibet area unum grossum pragensem, kmethones vero predictarum duarum villarum, quilibet per unum fertonem in quolibet beati Martini festo nunc proxime instanti, a data presencium immediate computando, nobis racione dominij dare et solvere tenebuntur. Que quidem civitas una cum predictis villis situate sunt in districtu Conynensi. Preterea advocato in villa infradicta damus et concedimus unum pratum liberum in *Gastaw,* et libera pascua civitati pro peccoribus pellendis, et eciam libera pascua in *Ruscow,* et in *Cosczyol* obtinendi, dummodo prefatis villis nullum in eorum segetibus et pratis ab eisdem pascuis separatis [damnum] aliqualiter inferatur. Et in horum omnium dicto Henrico advocato et sue posteritati per nos graciose concessorum iuris dominii recognicionem, in plattis (2) ad quamlibet expedicionem per nos faciendam requisitis (sic) secundum consvetudinem Regni nostri Polonie in hijs hactenus observatam, nobis expeditus et decenter seruire teneatur et sit astrictus. Que quidem omnia et singula, videlicet locacionem civitatis et prefatarum villarum locandarum empcionis, vendicionis, et resignacionis advocacie et sculteciarum aliarum, et omnia alia, que ex predictis sunt secuta, rata et grata habentes, ac eas et ea, presentis scripti patrocinio ratificamus, approbamus et confirmamus, nostri maioris sigilli presencium (sic) appensione. Damus nichilominus, et presenti-

(2) Ita appellabantur armaturae ex laminis ferreis confectae, cujusmodi habuisse Sarmatas scribit Tacitus. *Du Cange* Glossarium mediae latinitatis s. v. *Plata.*

bus assignamus ecclesie et plebano, qui pro tempore fuerit, in eadem civitate sic ut premittitur locanda, unum mansum liberum, macellum carnium, mensam panum, et aliam mensam sutorum, exceptis alijs eidem ecclesie et plebano in posterum per nos aut alios adiungendis, perpetuis temporibus, libera et pacifice possidenda, cum confirmacione nostra superius expressa. Actum et datum in *Dolessycz,* feria secunda post diem beate Margarethe, sub anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo. Presentibus hijs testibus videlicet: Chebda Palatino et Capitaneo Siradiensi, Abrahe (sic) Castellano et Capitaneo Lublinensi, Ottone Capitaneo Russie, Johanne dicto *Bogathka* Subagazone Cuyaviensi, Drischone Capitaneo Dobrzinensi, Predborio de Brzeze, et pluribus alijs fide dignis. Scriptum per Henricum Cropelin Notarium nostrum.

Nos itaque Johannes Albertus dei gracia Rex prefatus, viso predicto privilegio iusto, in nulla parte viciato, preterquam ex antiquitate et corrosione vermium parum offenso et leso, ipsum de consilio consiliariorum nostrorum confirmandum et innovandum duximus, confirmamusque et innovamus tenore presencium mediante, decernentes ipsum robur perpetue firmitatis obtinere. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum *Poznanie,* feria quarta post dominicam conductus pasche (d. 17 Apr.) anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tercio, Regni vero nostri Polonie anno primo. Presentibus reuerendis in Christo patribus dominis: Andrea Rosa Archiepiscopo Theomoviensi (sic) et Coadiutore Leopoliensi, Uriele Episcopo Poznaniensi; nec non Magnificis et Generosis: Nicolao de Cuthno Pallatino Lanciciensi et Capitaneo Maioris Polonie generali, Johanne de Ostrorog Poznaniensi, Sandivogio de Czarnkow Gneznensi, Ambrosio Pampowskj Roszperiensi, Johanne Oleskj Malogostiensi Castellanis; Petro Kmytha de Wysznijcze Scepusiensi, Raphaele de Leschno Curie nostre Marsalko et Lanciciensi, Johanne de Chodecz Haliciensi, Capitaneis; ceteris consiliarijs, dignitariis, et curiensibus nostris quam pluribus fide dignis testibus ad premissa. Datum per manus venerabilis Gregorij de Ludbrancz Poznaniensis, Skarbimiriensis et sancti Floriani in Kleparz prepositi, Regni Polonie Vicecancellarij, sincere nobis dilecti. Relacio eiusdem venerabilis Gregorij de Ludbrancz R. P. Vicecancellarij.

CXXVI.

In villa Plowcze, anno 1363 d. 23 m. Junij.

Oswaldus Castellanus de *Slonsko* vendit scultetiam in villa sua *Plowcze* Stephano dicto Wojciechowicz, quam venditionem Casimirus Jagiellonides Rex Poloniae confirmat ([1]).

1456. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Regum ac principum liberalitas multipliciter commendatur, si grata deuocione beniuola confirmacio ac innouacio litterarum subsequatur. Proinde Nos Kazimirus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie Cuyauie, Magnus dux Lithwanie, Russie, Prussieque dominus et heres. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris: Quomodo accedentes nostre magestatis presenciam honesti et laboriosi Albertus Sandza, Nicolaus Yesz, et Martinus Caczor, Sculteti de villa nostra magna *Plowcze,* litteram seu priuilegium ipsorum Scultecie nobis obtulerunt et exhibuerunt humiliter supplicando, quatenus ipsis de innata nobis regie benignitatis clemencia, eandem litteram seu priuilegium ipsorum ratificare, approbare, renouare et confirmare dignaremur. Cuius quidem priuilegij tenor de uerbo ad uerbum sequitur et est talis:

1363. In nomine domini, amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi fuerint baronorum (sic) scripture (sic), et testium aminiculo firmiter roborata. Hinc est, quod nos Oswaldus Castellanus de *Slonsko,* et dominus de *Plowcze,* una cum filio nostro Johanne notum facimus uniuersis, tam presentibus quam futuris, presentem litteram habituris, quod de maturo consilio amicorum, in bona mentis et corporis valitudine, ad melioracionem bonorum nostrorum, vendidimus in *Plowcze* villa nostra, sculteciam pro quinquaginta marcis Thorunensium denariorum, fideli nostro Stephano dicto Woijczechowycz, kmethoni ibidem in *Plowcze,* ac sue posteritati in perpetuum possidendam. Obtinebit quoque idem Scultetus una cum suis succes-

([1]) Ex tabula authentica membranacea Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 604 depromptum. Sigillum deest.

soribus, in predicta villa *Plowcze* quatuor mansos liberos, et tercium denarium de causis iudicialibus, et de juramentis, siue in Polonico fuerint, siue in Theutunico iudicate. Similiter de thabernis, quotquot fuerint in predicta villa *Plowcze,* dictus Scultetus una cum suis successoribus, tercium denarium obtinebunt. Ceterum, cum ad expedicionem nos transire contigerit, volumus, ut dictus Scultetus sit absolutus ab eadem expedicione illo anno nobiscum transiendi; sed pro eo, nobis et posteris nostris soluet unam marcam grossorum. Si autem eodem anno aliud mandatum proclamatum fuerit ad expedicionem, et si nos a kmethonibus aliquas pecunias recipere contigerit, volumus, ut nobis soluat idem Scultetus dimidiam marcam grossorum. Cum igitur uille Theutunicales, videlicet kmethones cum Sculteto tria prandia domino suo parare teneantur, volumus, ut dictus Scultetus pro tercio prandio, quod ipsum tangit, nobis soluat annis singulis duodecim grossos. Si autem ad aliquas inuitatas siue nostras villas ([2]) nos, dominam nostram, aut filiam transire contigerit, ipse Scultetus aut filius suus, nos conducere tenebitur, aut quem loco sui duxerit expediendum. Concedimus insuper eidem Sculteto, ac sue posteritati, ut habeant gregem ouium et opilionem, jumenta equerea (sic), pecudes cum suis pusillis, vitulis, agnellis, et pascant libere cum suis proprijs pastoribus in predicta hereditate sine dampno vicinorum. Ita tamen, quod in tempore messorum (sic), gregem (sic) ouile nostrum prius transibit per campum, tunc Sculteti grex ouile nostrum gregem sequi habebit, et si gregem nostrum non contingerit nos habere, tunc scultetus prefatus pascat oues suas, et omnia animalia superius dicta sua per campum predicte hereditatis, sine omni impedimento kmethonum. Damus et eciam iam dicto Sculteto et suis sequentibus valteres (sic), nisos, accipitres pro leporibus, auibus uniuersis, quos inuenire poterit libere in dicta hereditate capiendis. Volumus eciam, ut dictus Scultetus, aut sui successores, coram nullo iudice respondere teneantur, nisi coram nobis. Si autem ipsi Sculteto aut suis successoribus, in predicta uilla *Plowcze* mansio displicuerit siue status, admittimus, quod eandem scolteciam vendat, obliget, et commutet, disponatque de ea, prout wlt, uel placuerit sue posteritati (sic)

([2]) *Invitata*, convocatio, conventus; invitatio ad solennitatem, vel coenam solenniorem. *Du Cange* s. h. v.

voluntati (sic). Ut autem hec vendicio robur obtineat firmitatis, presentem scribi fecimus literam, et nostri sigilli munimine roborari. Datum in *Plowcze* in vigilia Nativitatis Beati Johannis Baptiste, anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo tercio. Presentibus discretis viris: Bartholomeo dalatkowo(²), cum duobus filijs suis videlicet Petro et Michaele, domino Johanne plebano de Plowcze, Nicolao dicto Geszko, Johanne Lyowicz, Maczkone Troyanowycz ciuibus Radzeyowiensibus cum alijs multis.

Nos uero peticionibus eorundem tamquam iustis et racioni consonis benigniter acclinati, prefatam ipsorum literam seu priuilegium, in omnibus suis punctis, capitulis, articulis et clausulis in ea contentis, ratam habentes atque gratam, ex certa nostra sciencia ratificamus, gratificamus, innouamus, approbamus, confirmamus et presentis scripti patrocinio roboramus, decernentes ipsam robur obtinere perpetue firmitatis. Nichilominus tamen omnia jura nostra regalia, quibus utimur in presenti, uel que competere dinoscuntur, salua pro nobis et nostris successoribus reseruamus. Post cuius quidem littere ratificacionem, hanc interpretacionem adicimus et facimus, quod huiusmodi confirmacionem, ratificacionem et roboracionem priuilegij ipsorum, nonnisi ad ea, que nunc ipsi Sculteti tenent in possessione volumus extendi et non ad plura. Quantum uero est de seruicijs, ad que occasione huiusmodi scultecie tenentur, illa nobis iuxta consuetudinem antiquam et solitum morem, secundum quod et alij Sculteti in Terra Cuyauiensi et Palatinatu Brestensi villarum nostrarum regalium seruiunt, impendere tenebuntur et supplere, inconsuetis et insolitis seruicijs eosdem onerare seu quouis modo aggrauare nolumus, neque ad illa quomodolibet obligari. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in *Brzescze*, sabbatho proximo ante festum Sancte Margarethe (d. 10 Julij), anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Presentibus ibidem: Reuerendo in Christo patre domino Andrea episcopo Poznaniensi; et Magnificis et Generosis: Paskone de Goslawycze Castellano Conariensi, Floriano de Paczonow Subdapifero Curie nostre, Nicolao Beijsad Vexillifero Cracouiensi et Marschalco, Thoma Sanczygnyewsky Incisore, Voyschykone de Woijcza

(²) Deberet esse de Latkowo.—*Latkowo, Plowce, Słońsk,* villae provinciae Masoviensis, territorii Cujaviensis, regionis Radziejeviensis.

Succamerario nostre Curie suppremo, et alijs quam pluribus fide dignis testibus ad premissa. Datum per manus venerabilis Johannis Lutkonis de Brzesze utriusque iuris doctoris, apostolici prothonotarij, et eiusdem causarum auditoris, Archidiaconi Gneznensis, et Regni Polonie Vicecancellarij, sincere nobis dilecti.

Relacio prefati Johannis Lutkonis de Brzesze utriusque iuris doctoris, Archidiaconi Gneznensis, R. P. Vicecancellarij.

CXXVII.

In villa Bobrowniki, anno 1364 d. 16 m. Februarij.

Rex Casimirus dirimit litem de possidenda villa *Tluchowo* ortam (1).

In nomine domini, amen. Quoniam omnium habere memoriam, plus dinoscitur esse diuinum, quam humanum, Nos igitur Kazimirus dei gracia Rex Polonie, Cracovie, Sandomirie etc. Notum facimus tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris: Quod extra [extans?] coram Strenuis ac Nobilibus militibus, nostris fidelibus Dirskone Capitaneo, Andrea Judice, Wlostone Subjudice dobrzinensibus, inter Nobiles milites Joannem, Vislaum, Paulum fratres germanos, filios quondam Bollessij de *Nexin* heredis actores parte ex una, et strenuos milites Adam Venatorem, et Albertum Subpincernam similiter germanos fratres dobrinienses, heredes de *Tluchowo* reos parte ex altera, materia questionis pro hereditate ipsorum *Tluchowo* (2). Tandem coram ipsis hinc inde terminis et dilacionibus ventilatis, ad nostram Majestatem eadem questionis materia cum partibus extitit devoluta. Partibus igitur coram nobis et Baronibus nostris constitutis, audita diligenti proposicione questionis et responsione Ade venatoris et Alberti Subpincerne dobrinensium; quia diuturnitatem allegabant et possessionem, cujus contrarij memoria non extitit, ac prescripcionem et jus terre hactenus obser-

(1) Ex confirmatione Regis Sigismundi I. anni 1527, quae continetur libro manu scripto vulgo Metrica Regni dicto, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato, Nro XLII. pag. 284 et 285.

(2) Villa *Tluchowo* in Palatinatu quondam Plocensi sita, territorio et regione Lipnoviensi.

vatum, Nos vero habito consilio nostrorum Baronum, habentes deum et conscienciam nostram pre oculis, per decretum Judicij nostri Andree Judici nostro dobrinensi mandavimus eandem hereditatem dictam *Tluchowo,* sittam in terra Dobriniensi, perpetuo jam dictis Ade Venatori et Alberto Subpincerna (sic) Dobriniensibus adjudicari et ipsorum legittimis successoribus, cum omnibus utilitatibus, redditibus et censibus; predictis vero fratribus ipsorum patruelis (sic) actoribus Joanni, Vislo et Paulo fratribus germanis de *Nexin* heredibus, pro eadem hereditate *Tluchowo,* et ipsorum successoribus exnunc perpetuum silencium imponentes. In quorum omnium testimonium ad evidenciam pleniorem, sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Actum et datum in *Bobrowniky* (3), Sabbato proximo ante Dominicam, qua cantatur Reminiscere, Anno domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quarto. Presentibus testibus: Joanne Palatino Lanciciensi, Petro Castellano, Andrea Judice, Wlostone Subjudice, Alberto Subcamerario Dobriniensibus, Bernardo Castellano de Rippin et alijs multis fide dignis. Scriptum per manus Nicolai Rola Custodis Lanciciensis et Notarij curie nostre.

(3) Bobrowniki opidum in Palatinatu Plocensi.

CXXVIII.

Kazanovii, anno 1364 d. 31 mens. Decembris.

Florianus Cancellarius Lanciciensis et praepositus Cracoviensis, scultetiam villae *Glina* in terra Lanciciensi sitae, Sdzeslao filio Tomconis de *Rzeczica* vendit (1).

1505. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam actus hominum perpetua memoria indigentes, plerumque ab hominum noticia dilabuntur, nisi apicibus literarum et testium fide dignorum annotacione fuerint perhennati; proinde Nos Alexander dei gracia Rex Polonie, Magnus dux Lithuanie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiavie, Russie, Prussieque, ac Culmensis, Elbingensis et Pomeranie domi-

(1) E libro manu scripto vulgo Metrica Regni dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservato Nro XIX. pag. 193.

nus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis et singulis, presentibus et futuris harum noticiam habituris: Quomodo nomine Nobilis Johannis Grothek sculteti ville nostre *Glyna*, in Terra Lanciciensi et districtu Brzezinensi consistentis, supplicatum nobis humiliter extitit, ut ejusdem sculteti priuilegium super sculteciam dicte ville nostre, titulo et sigillo, prout in eodem priuilegio inferius describendo continetur, munitum, propter vetustatem, qua consumitur, innovare, approbare, ratificare et confirmare dignaremur. Cujus quidem priuilegij tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

1364. Noverint universi, presencium noticiam habituri: Quod [Nos] Florianus, Cancellarius Lanciciensis et prepositus Cracouiensis cupientes bona Cancellarie nostre in meliores reditus ampliare, vendidimus sculteciam Sdzeslao filio Thomkonis de *Rzeczicza* in villa nostra dicta *Glyna* sitta in terra Lanciciensi, in fluvio, qui *Luczozna* nuncuppatur, pro sedecim marcis grossorum pragensium, dantes eidem sculteto in dicta villa duos mansos liberos ab omni solucione nostra, seu alia qualicunque. De quibus mansis decimam Ecclesie in *Rzeczicza* soluet manipulatim. Damus eciam eidem sculteto et suis legittimis successoribus sculteciam dictam commuttare, donare, vendere, nostro tamen cum consensu. Predictus eciam scultetus kmethones in eadem villa pro singulis causis paruis et magnis, jure teutunico, quod Srzedense vocatur, judicabit et de penis tercium denarium pro se tollet, cum toto juramento. Scultetus vero cittatus coram nobis, eodem jure respondebit. Postquam vero elapsa fuerit libertas, que in locacione ejusdem ville est data, quilibet kmetho de manso nobis duodecim grossos in festo S[ti] Martini soluet; seruicia eciam et labores seu honores, prout alie ville in terra Lancicie teutunicales soluent nobis. Predictus eciam scultetus nobis seruicia exhibebit, prout alii sculteti prelatorum. Actum et datum in *Kazanowo* (²), feria tercia in octawa sancti Stefani, anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto. Presentibus hijs testibus: domino Dobeslao herede de *Conysskije* (sic), Stefano herede de *Bedlno*, Woyslao herede de *Pomorzan*, Gregorio plebano de *Conijsskije*, Stanislao plebano de *Rzeczicza*, Johanne plebano de *Brzezini*, et alijs quam plurimis viris fide dignis.

(²) *Kazanow* opidum in Palatinatu Sandomiriensi territorio vero Radomiensi situm.

Quibus quidem supplicacionibus pro parte ejusdem Johannis Grothek coram nobis exhibitis, tanquam justis annuentes, priuilegium preinsertum ratum, firmum et gratum habentes, in omnibus suis punctis, clausulis, condicionibus et articulis innovandum, approbandum, ratificandum et confirmandum duximus, innovamusque, approbamus, ratificamus et confirmamus, tenore presencium mediante. Decernentes ipsum robur perpetue firmitatis obtinere. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum in conuencione generali *Radomiensi*, feria secunda post festum sancti Urbani proxima (d. 26 Maij), Anno domini millesimo quingentesimo quinto (1505), Regni vero nostri anno quarto. Presentibus reuerendissimo et reuerendis in Christo patribus dominis: Andrea Archiepiscopo Gneznensi et Primate, Bernardino Electo Leopoliensi; Johanne Cracouiensis, Vicencio Wladisslauiensis, Johanne Poznaniensis, Luca Warmiensis, Alberto Vylnensis, et Martino Mednicensis, Mathia Premisliensis ecclesiarum, Episcopis. Nec non magnificis, venerabilibus et generosis: Spithkone de *Jaroslaw* Castellano Cracouiensi, Johanne de *Tharnow* Sandomiriensi, Nicolao Gardzyna de *Lubrancz* Callissiensi, Petro Myschzkowskj de *Myrow* Lanciciensi, Nicolao de *Cosczelecz* Brzestensi, Nicolao de *Crethkow* Juniwladislawyensi, Johanne de *Tharnow* Russie, Nicolao de *Curozwankj* Lublinensi, Prandotha de *Thrczyana* Rawensi, Palatinis; Johanne Jarand Callissiensi, Johanne de *Przeramb* Siradiensi, Janussio Latalskj Gneznensi, Johanne Slupeczkj Sandeczensi, Jacobo de *Szyekluka* Voyniczensi, Petro Schaffranijecz Visliciensi, Johanne Jordan de *Zaklyczijn* Byeczensi, Stanislao de *Mlodzeyowycze* Radomiensi, Martino Szkothnyczkj de *Bogoria* Zavichostensi, Stanislao Potuliczkij Myedzyrzeczensi, Petro de *Opalenycza* Landensi, Petro Gorskj Naklensi, Nicolao de *Radzykow* Dobrzynensi, Andrea de *Radzeyowycze* Sochaczewyensi, Paulo Choteczkj Polaneczensi, Castellanis; Johanne de *Lassko* Cancellario; Jacobo de *Schydlowyecz* Thezaurario Regni nostri, Alberto Gorskj Scolastico Wladisslawyensis, et Nicolao de *Barthnykij* Custode Ploczensis ecclesiarum, secretarijs nostris, ceterisque dignitarijs, officialibus et curiensibus nostris, circa premissa testibus fide dignis, sincere nobis dilectis. Datum per manus Reuerendi in Christo patris domini Mathie Episcopi Przemijslyensis et Regni nostri Vicecancellarij sincere nobis dilecti.

Relacio ejusdem Reuerendi in Christo patris domini Mathie Episcopi Przemyslyensis et R. P. Vicecancellarij.

CXXIX.

In villa Dambowdzial, anno 1365 d. 13 m. Maij.

Casimirus Rex Poloniae, Hanroni et Mathiae quibusdam, advocatiam in civitate ***Ossiek*** **una cum villa** *Schirchowa vendit* (1).

1502. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Labantur necesse est a memoria concessiones atque decreta per quantumcunque excellentes, etiam maximos principes facta, que non fuerint communite (sic) perhennium apicibus literarum. Quapropter Nos Alexander dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Magnus dux Lithwanie, Russie, Prussie, ac Culmensis et Elbingensis, Pomeranieque dominus et heres etc. Significamus etc. Quia pro parte nobilium Petri, Johannis, Stanislaj et Nicolai, liberorum nobilis olim Stanislai Gamrath de *Sowoklanski* aduocati opidi nostri *Ossyek* in terra Byecensi siti, exhibite nobis erant litere certe vendicionem advocacie Civitatis *Ossyek* in se continentes. Et quia ex vetustate per tinearum seu aliorum vermium corrosionem, non parum demollite erant, quam ob rem supplicatum nobis fuerat, ut easdem literas innovare, atque munimen novi roboris ac confirmacionis nostrorum eis adicere dignaremur. Quarum sequitur tenor:

1365. In nomine domini, amen. Nouerint, quibus expedit uniuersis: Quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuijavie, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Utilitates Regni nostri in certis pecunijs ampliare cupientes, extunc prouidis viris Hanroni condam Stephani, et Mathie Volurami filijs, aduocaciam nostram in *Ossijek,* civitate nostra cum villa dicta *Schirchowa,* secundum quod in suis granicijs sunt distincte, in districtu *Byecensi* situata,

(1) E libro manu scripto Metrica Regni dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato Nro. XVII. p. 280.

pro centum quinquaginta marcis grossorum pragensium, numeri polonicalis, quadraginta octo marcam facienciam, vendidimus et tenore presencium vendimus perpetuo, cum omni jure, dominio, prout soli tenuimus, post resignacionem Lusczkonis condam aduocati civitatis supradicte; assignantes et appropriantes eidem aduocacie redditus infrascriptos, videlicet: sex mansos liberos, quatuor in agris cultis, et duos in silua, molendina et piscinas, quecunque intra limites ejusdem civitatis in fluvio dicto *Vissloka* construere poterit, balneum liberum, cameras pannorum, mensas panum, sutorum, fabrorum, nec non macella carnium, nec non sextum denarium census, et tercium de qualibet re judicata, curiam seu locum in quo peccora mactantur, que in Theutonico *Cutelhoff* nominatur, et ortos quotquot in suis ortis (sic). Que omnia et singula titulo aduocacie ad iam dictos scultetos et eorum legittimos successores, jure hereditario perpetuis temporibus voluimus pertinere. Licebitque dominis aduocatis et eorum posteris, eandem aduocaciam cum utilitatibus supradictis vendere, commutare et ad ipsorum conuertere voluntatem, nostro tamen de consensu regio. Damusque dictis aduocatis locandi centum mansos uel plures in siluis, videlicet in silua eundo versus siluam *Borzijn,* per fluvium dictum *Clopothnijcza,* in silua eundo de villa dicta *Rosslanska volya.* Reseruamus tamen dictam villam pro nobis et successoribus nostris. Kmethonibus autem in dictis siluis locandis, a data presencium intra viginti annos, plenam et omnimodam concedimus libertatem; qua expirata, kmethones per octo scotos de quolibet manso grossorum, sicuti et ciues memorate civitatis singulis annis in festo beati Martini, nobis et nostris successoribus soluere tenebuntur. Insuper decernimus, quod sepedicti aduocati et eorum successores legittimi nobis et nostris successoribus, ad quamlibet expedicionem generalem, quociens necesse fuerit, cum homine cum hasta decenter expedito servire sint asstricti. Preterea dictos aduocatos et eorum posteros, cum universis civibus et incolis memorate civitatis, ab omnibus judicijs et potestatibus pallatinorum, castellanorum, judicum et subjudicum universorum Regni nostri absoluimus et perpetuo liberamus; ita quod coram eis, vel eorum aliquo pro causis magnis et paruis nullatenus respondebunt. Sed tamen cives coram suis aduocatis, aduocati vero coram nobis, jure theutonico Maijdemburgensi, dum tamen per literam nostram citati fuerint, tunc de se querulantibus respondere tenebuntur. In causis autem criminali-

bus et capitalibus, dictis aduocatis judicandi, sentenciandi et condempnandi plenam et omnimodam concedimus facultatem, prout jus maydemburgense in omnibus suis articulis postulat et requirit. In quorum omnium testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in *Dambowdzyal,* feria tercia proxima post diem beati Stanislai martiris gloriosi, anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo quinto. Presentibus: Bodznatha (sic) Procuratore nostro generali, et Predslao Subdapifero Cracouiensi, Virzbnatha (sic) de Maloschow, Petro Capitaneo Sandecense (sic), Johanne dicto Kolamb Magistro coquine curie nostre regalis.

Igitur nos considerantes literas ipsas non minus efficaciter, quam eciam cum auctoritate non mediocri, sub Majestatis sigillo antiquitus concessas, nullamque in eis apparentem suspicionis notam, eas de speciali gracia et virtute regijs nostris innovando, novi roboris et confirmacionis nostrarum munimine literarum decretum eis adiciendum et concedendum duximus, prout innovamus, confirmamus et communimus easdem, decernentes eas in toto earum tenore preinserto, in omnibusque punctis, condicionibus et clausulis valituras, tenore presencium mediante in ewm. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum *Cracouie* feria secunda ante festum conuersionis sancti Pauli (d. 24 Januarij), anno domini millesimo quingentesimo secundo (1502), Regni vero primo.

Relacio reuerendi in Christo patris domini Creslai Episcopi Wladislauiensis, R. P. Cancellarij.

CXXX.

Gneznae, anno 1366 d. 21 m. Martij.

Casimirus Rex Poloniae, nobilibus militibus Jacobo, Valtero et Hennigo de *Guntersberg,* villam *Wyssoka* cum omnibus attinentiis confert (1).

Nouerint uniuersi, tam presentes quam posteri, presencium noticiam habituri: Quod nos Kazimirus dei gracia Rex Polonie, et terrarum Cra-

(1) Ex confirmatione Regis Sigismundi contenta libro manu scripto Metrica Regni dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato Nro XXIII. p. 20.

couie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyauie, Pomeranie, Russieque dominus et heres, strenuis et nobilibus Militibus dominis: Jacobo, Valtero et Hennigo de *Guntersberg,* nostris fidelibus et ipsorum veris et legittimis successoribus in Regno nostro Polonie *Vyssoka* cum villis seu predijs, et omnibus attinencijs ad eandem spectantibus, et superfluitate nemorum usque ad locum ubi fluvius *Chuda,* appellatur in wlgari *Valny* et de illo loco *Valny* directe per metas infrascriptas scilicet: in *Quijczko,* in *Lokouo,* in *Piskorzdol,* in *Sczodre,* in *Klaczijno,* in *Kleparzewlass,* in *Camijonki,* in *Palecznijczam,* in *Radecznijczam,* in *Ploczijczam,* directe in ococite (sic) usque ad prefatum fluuium *Chuda,* damus et conferimus cum omnibus utilitatibus, solucionibus et seruicijs, que nunc sunt et processu temporis possunt exoriri. Concedimus eciam eisdem et ipsorum legittimis successoribus plenam libertatem, municiones vel firmaciones quascunque edificare et construere in bonis nominatis. Preterea volumus, ut ampliori nostra gracia utantur prefati Jacobus, Valterus et Hennigus, cum eisdem veris et legittimis successoribus, a nostro seruicio ([2]) sint penitus liberi et soluti de bonis nominatis. Ceterum volumus, ut omnibus fluvijs, stagnis, lacubus, lignis, pratis, pascuis, molendinis et hujusmodi similibus integraliter perfruantur, prout eis et eorum successoribus legittimis utilius videbitur expedire. Quas quidem prememoratas nostras donaciones, sicut a nostra et nostrorum predecessorum gratia, ipsorum predecessores et parentes hucusque longis temporibus possiderunt (sic), habere volumus, ut pretacti nostri fideles et ipsorum legittimi successores imperpetuum possidebunt (sic). Considerantes vero insuper ipsorum seruicia fidelia et nobis utilia, damus et elargimur de gracia nostra speciali, maturo consilio nostrorum nobilium prehabito, pretactis Jacobo, Waltero et Hennigo, et ipsorum legittimis successoribus iura infrascripta videlicet: quod quicunque ipsos vel eorum aliquem, pro qualibet calumnia vel qualicunque questione euocauerit ad judicium nostrum, volumus et statuimus decernentes, quod idem euocatus mettercius juramento suo corporali hujusmodi calumniam euadere tenebitur. Si autem noluerit juramento corporali, ut expressum est, innocenciam suam declarare, et e conuerso et (sic) habere volu-

([2]) In alio exemplari, quod in libro Metricae Regni Nro 84 p. 33—37 invenitur, legitur *iuditio.*

mus, quod pretacta jura coram nobis seu nostro Capitaneo Majoris Polonie, et non alio judice in Regno nostro Polonie, fieri (sic) debeant. In cujus rei testimonium, presentem literam nostri sigilli munimine duximus roborandam. Datum *Gnezne*, Sabbato ante dominicam Judica, anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo sexto. Presentibus Magnificis Principibus: Henrico Glogouie, Georgio Lijwonie, Ducibus; Thomislao Judice Chalissiensi et alijs fide dignis. Per manus domini Ottonis Cancellarij Polonie.

CXXXI.

Srzodae, anno 1369 d. 2 mens. Junij.

Cazimirus Rex venditionem scultetiae in *Murzynowo* a Przeczslao Palatino Calisiensi cuidam Czessek seu Lassek factam approbat (¹).

1562. Sigismundus Augustus etc. Significamus etc. Exhibitas esse nobis per certos consiliarios nostros nomine Laurentij Sculteti in *Murzynowo*, literas in pargameno scriptas, saluas et integras, ac sigillo Serenissimi olim Cazimiri Poloniae Regis, praedecessoris nostri, communitas, confirmationem donationis eiusdem Scultetiae maioribus praedicti Laurentij in se continentes. Quarum literarum tenor ad verbum descriptus est talis:

1370. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quod Regum fieri decreuit auctoritas, ratum atque stabile debet perpetuo permanere. Proinde Cazimirus dei gratia Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Syradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Pomeraniae, Russiaeque dominus et haeres. Notum facimus quibus expedit uniuersis: Quod fidelis nostri Czossek alias Lassek Scolteti antiqui de *Murzynowo*, nuper nostrae Majestati oblata supplicatio continebat, quatenus sibi literam fidelis nostri domini Przeczlaj Palatini Calissiensis et Capitanei Poloniae generalis, ipsius sigillo appenso sigillatam, sanam et integram, omnique prorsus suspitione carentem, tenoris subscripti, approbare, innouare, ratificare et confir-

(¹) E libro manu scripto Metrica Regni dicto, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservato, Nro XCIII. p. 423 descriptum.

mare de benignitate solita dignaremur. Cuius quidem literae tenor dignoscitur esse talis:

1369. Nouerint universi praesentium notitiam habituri: Quod nos Przeczlaus Palatinus Calissiensis et Capitaneus Poloniae generalis, cupientes, ut tenemur, bona et seruitia Serenissimi Principis Cazimiri dei gratia Regis Poloniae, augere in quantum possumus, Czessek alias Lassek Sculteto antiquo in villa *Murzynowo*, ad suos duos mansos Scultetiae ibidem, unum mansum liberum illis duobus iungentes, pro decem marcis grossorum, ad utilitatem eiusdem domini nostri Regis vendidimus, et suae posteritati legitimae perpetue possidendum, tenendum et habendum, suoque pro libitu commutandum. Adijcientes eidem Czessek et suis sequacibus tertium denarium de qualibet re judicata seu iudicanda. Tabernam, macellum, sutorem, sarctorem et pistrinum cum horto libere tenere, nec non pratum inter gades haereditatum *Capisicze* et *Drzeberki* cum fabro, agros ubi aptum fuerit eligere habet. Incolae autem ipsius haereditatis, pro censu domini Regis ad festum beati Martini marcam grossorum, quolibet anno de cuiusvis manso, et fertonem plebano ibidem soluere tenebuntur. Ad festum autem Paschae, duo latera carnium, vel duodecim scotos grossorum et per triginta oua quilibet Cmetho soluent (sic) indilatae (sic). Die assumptionis beatae virginis Mariae duos per capones ipsorum quilibet praesentabit. Pro aduentu autem domini Regis quilibet pullos per duos. Judicionalia infra annum tria, quodlibet per fertonem, Cmethones duo, et Scoltetus unum soluere annuatim sunt adstricti. Seruiet itaque Scultetus praetactus et sui sequaces ad quaevis negotia domini Regis vel eius Capitanei, in equo tres marcas valente. In cuius rei testimonium, praesentes scribi iussimus et nostri appensione sigilli roborari. Insuper damus perpetuo eidem Czessek et liberis suis venationem cum niso Squiscularum (2), et iumenta in communitate suorum vicinorum seruare. Datum et actum *Srzode*, Sabbato post octauas Corporis Christi, Anno Natiuitatis eiusdem Millesimo Trecentesimo sexagesimo nono. Praesentibus dominis: Janussio Bochouiensi Castellano, Thoma

(2) Avis quae a Linnaeo *Turdus pilaris*, polonice *Kwiczol*, germanice *Ziemer*, *Krammetsvogel* dicitur. Cf. *Greg. Cnapii* S. J. Thesaurus Polono-Latino-Graecus Cracoviae M. DC. XLIII. s. v. *Kwiczol*, ubi legitur: „*Quiscula Sigismundo Gelenio ignotum e qua lingua*," et *S. B. Linde* Słownik Języka Polskiego s. v. Kwiczoł.

Gneznensis Ecclesiae Canonico et Plebano Srzedensi, Mroczkone de *Jaganczkowo*, Henrico Gayconis, Wlodzymiro de *Borzymowo*, et Mikolacz Oczosna et multis alijs fide dignis.

Nos eiusdem autem Czossek alias Lassek petitionibus fauorabiliter inclinati, supradictam literam, ac omnia et singula contenta in ipsa, in omnibus suis punctis, clausulis et articulis, prout ipsius tenor praesentibus est insertus, approbamus, innouamus, ratificamus et praesentis scripti patrocinio confirmamus, praesentium sub nostrae Majestatis sigillo testimonio literarum. Actum *Posnaniae* proxima secunda feria post octauas Epiphaniae domini (d. 14 Januarij) Anno Natiuitatis eiusdem Millesimo trecentesimo septuagesimo. Praesentibus: Passek Posnaniensi, Przeczlao Calissiensi, Palatinis; Laurentio Posnaniensi, Joanne Calissiensi, Vincentio Gneznensi et Nicolao Naklensi, Castellanis, ac alijs nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus domini Joannis de Czarnkowo Archidiacono Gneznensi (sic) nostri Vicecancellarii. Scriptum vero per Swiętoslaum scribam eiusdem Vicecancellarij.

Nos itaque Sigismundus Augustus Rex praefatus, supramemoratae supplicationi benigne annuentes, literas praedictas in omnibus earum articulis, punctis et conditionibus approbandas, ratificandas et confirmandas esse duximus, prout approbamus, ratificamus et confirmamus per praesentes literas nostras, robur debitae et perpetuae firmitatis eadem obtinere decernentes, perpetuis temporibus et in aeuum. In quantum tamen eorum articulorum aliqui iuri communi non derogent. In cuius rei fidem et testimonium, sigillum nostrum Regium praesentibus est appensum. Datum *Petricouiae* in Conuentu Regni generali, feria quinta post festum S. Luciae (d. 17 Decembris), Anno domini M° D° LXII° Regni vero nostri XXXIII°. Joannes Oczieski R. P. Cancellarius subscripsit. Relatio ejusdem.

CXXXII.

In villa Rogozno, anno 1372 d. 25 m. Julij.

Confirmatio et donatio advocatiae in *Tlukawy* per Nobiles Dobrogostium, Arnoldum, Ulricum et Bartoldum de *Ost* Nicolao et Obeczano fratribus, sub certis conditionibus (¹).

In nomine domini, amen. Ne facta mortalium simul cum mortalibus moriantur, solent memoria literarum eternari. Nouerint igitur uniuersi, presencium noticiam habituri: Quod nos Dobrogostius, Arnoldus, Urlicus (sic), Bartoldus, domini dedzenenses dicti de *Ost,* bona deliberacione, maturoque consilio super eo habito, videntes et exaudientes litteras ac priuilegya Serenissimi ac illustri (sic) Principis domini Kazimiri dei gracia Regis Polonie felicis memorie, super Scolteciam in *Tlukaui,* quam Nadzeij auus Nicolai et Obeczani, quondam Scoltetus, pro viginti marcis grossorum polonici pagamenti emerat, damus et confirmamus eandem scolteciam predictis Nicolao et Obeczano, fratribus germanis, ipsorumque posteris legittime natis ac nascendis, perpetuo possidendam, regendam et ad usus beneplacitos conuertendam, prout ipsis et eorum posteris, melius videbitur expedire. Addicientes eisdem fratribus Nicolao et Obeczano, quatuor mansos liberos, prout antiquitus in priuilegijs eorum habuerunt, thabernam liberam, et duos ortulanos, perpetuis temporibus obtinere. Item damus predictis Nicolao et Obeczano, eorumque successoribus, tercium denarium judicialem cuiusuis pene magne siue parue. Damus eciam prefixis Nicolao et Obeczano eorumque posteris, fericipia seu sepes ferales, id est: *Grodzy* in fluuio, que (sic) in wlgo *Golnicza* vocatur. Insuper damus sepe nominatis Nicolao et Obeczano, et eorum successoribus, in predicta hereditate *Thlukaui,* venacionem leporum et mellificya, ipsis ab antiquo pertinencia perpetuo obtinere. Preterea predicti scolteti Nicolaus et Obeczanus, eorumque

(¹) Ex archetypo membranaceo Nro 1062 Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae. Huic tabulae appensa erant in funiculo serico viridis coloris quatuor sigilla de cera vulgari. Horum primum destructum, alterum habet in scuto insigne persimile insigni Działosza dicto. Ex verbis inscriptis nonnisi voces . . . *rnoldi de e.* . . . legi possunt. Tertium sigillum deletum. In ambitu ejusdem exaratae sunt voces „*S. Ulrici d Ost.*" Quarti sigilli nonnisi literae „*rte*" supersunt.

successores, nobis et nostris legittimis, in equo valente duarum marcarum seruire tenebuntur. Nos vero predicto equo in nostris negocijs pro dampno stamus. Kmethones vero in eadem hereditate *Tlukaui,* nobis et nostris successoribus pro censu, singulis annis in festo sancti Martini confessoris, quatuor mensuras auene, et duas mensuras siliginis, soluere tenebuntur, et pro decima quatuor grossos dare teneantur, in assumpcione beate Marie virginis per duos pullos, in festo pasce per medium capete ouorum soluere tenebuntur. Item de tribus magnis iudicijs, kmethones nobis et nostris legittimis bis in anno, solent (sic) per fertonem, scolteti vero unum fertonem sigulis annis soluere tenebuntur. Item ter in anno, hoc est: ad estiualia, hyemalia, autumpnalia, et cum buri id est *redlem,* kmethones nobis arare tenebuntur. Item kmethones nobis fenum falcare tenebuntur. Ortulani vero, qui se ibidem in *Tlukaui* locauerint, singulis annis, nobis et nostris successoribus in festo sancti Martini confessoris, per quatuor grossos soluere tenebuntur. In cuius rei testimonium, nostra sigilla presentibus sunt appensa. Actum et datum in *Rogoszno,* in festo beati Jacobi apostoli, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo II. Presentibus hijs testibus: domino Johanne Subpincerne (sic) Poznaniensi, domino Vincencio fratre suo, herede de *Czarkowo,* Bernardo Subuenatore Poznaniensi herede de *Slomowo,* Maczkone herede de *Pruscze,* Slupcone Plebano de *Rogoszno,* Wlodzimiro herede de *Studzenecz,* et alijs fide dignis.

CXXXIII.

Jaroslaviae, anno 1373 d. 15 m. Decembris.

Vladislaus Dux Opoliensis cuidam Chodkoni villam *Gozdzecz* in districtu Colomiensi sitam donat, certis conditionibus adjectis (¹).

Actum in Judicijs Ordinariis Generalibus Tribunalis Regni Lublinensis Sabbatho intra Octavas Festi Corporis Christi Domini anno ejusdem millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

(¹) Ex apographo librorum manu scriptorum „Zapisy Trybunału Lubelskiego" vulgo dictorum, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruatorum et quidem e libro XXX. pag. 244—246 depromptum.

Ad postulationem Generosi Valentini Bartkowski coram Judicio praesenti Ordinario Generali Tribunalis Regni Lublinensis personaliter stantis, judicialiter factam, Judicium praesens literas priuilegii infrascriptas pargameneas cum sigillo magno in filo sericeo eisdem literis appenso, ad Acta praesentia Tribunalis Regni Lublinensis per modum oblatae porrectas, suscepit, easdemque Actis praesentibus ingrossari mandavit. Quarum quidem literarum tenor verborum sequitur talis:

In nomine domini, amen. Decet excellentiam principum, suorum subditorum commodis et utilitatibus intendere, ut dum eorum profectibus invigilant, ipsos, in honoris sui promotione et seruitijs sentiant promptiores. Nos igitur Vladislaus dei gratia Dux Oppoliensis, Dominus Vielumensis et Russiae etc. Ad perpetuam rei memoriam volumus deuenire. Quod inspectis dignis et fidelibus obsequijs per Chodkonem Loiowicz fidelem nobis exhibitis, et adhuc futuris temporibus nobis et nostris successoribus eo fidelius exhibendis, maturo nostrorum seniorum praehabito consilio diligenti, de nostrae largitatis munificentia, eidem Chodkoni et suis heredibus, atque legitimis successoribus, villam nostram dictam *Gozdzecz* (2), prope flumen dictum *Czarnawa,* in Districtu nostro Colomiensi, cum omnibus suis pertinentijs, juribus et dominijs, prouentibus, obuentionibus, censibus, redditibus et emolumentis, prout eadem villa in suis metis et granicijs est situata circumferentialiter et distincta, cum agris cultis et incultis et de nouo extirpandis, cum siluis, mericis, nemoribus, rubetis, aucupationibus, venationibus, pratis, pascuis, molendinis, stagnis, piscinis, montibus, collibus, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumve decursibus, caeterisque omnibus adhaerentijs, utilitatibus et usufructibus pronunc in dicta villa existentibus, vel temporibus successiuis ex eadem prouenire valentibus, damus, conferimus, donamus et approbamus, eidem Chodkoni et suis heredibus et legitimis successoribus, haereditarie, Jure Feudali, ea libertate et consuetudine, qua caeteri vasalli nostri possident sua bona, perpetuis temporibus possidendam, tenendam, habendam, vendendam, obligandam, donandam, alienandam, immutandam (sic), et ad usus beneplacitos conuertendam. Hoc tamen excluso, quod singuli cmethones in dicta villa residentes, nobis et nostris successoribus, singulis annis,

(2) Villa *Gwozdziec* sita est in Galicia in Circulo Colomiensi.

ad festum Sancti Martini confessoris, duos grossos latos soluere pro censu nostrae camerae sint astricti; et quod praenominatus Chodko aut sui successores, de praescripta villa, nobis aut nostris haeredibus, quotiescunque ad expeditionem generalem in Terra Russiae vocatus fuerit, cum una hasta et uno sagitario cum armis bene praeparatis, in equis valentibus, tenebitur deseruire. Promittimus insuper praenominato Chodkoni ac suis successoribus, quod si captus vel capti fuerint, sub nostro Balmario (sic) in exercitu nostro, seu aliqua damna in equis interfectis perceperint ab hostibus nostris, ipsum vel ipsos ab hujusmodi captivitate, scitu tamen proborum virorum, damnis singulis restitutis, liberare. In cujus rei testimonium, praesentes scribi fecimus et nostri sigilli majoris munitione roborari. Actum et datum *Jarosław,* feria quinta post diem sanctae Luciae virginis gloriosae, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio. Presentibus his strenuis: Bohyncono Magistro nostrae curiae, Merbathe de *Odiowicze,* Fenkone de *Kunczowicze,* Chodkone de *Riblicz,* Leone de *Dworkowicz,* Sienkone Castellano Lamburgensi et Johanne de *Glogouia* nostro Prothonotario.

CXXXIV.

Leopolii, anno 1375 d. 9 mens. Decembris.

Vladislaus Dux Opoliensis cuidam Waczkoni tres villas in districtibus *Żydaczoviensi* et *Colomiensi* sitas donat, eam donationem Vladislaus Jagellonides Rex confirmat, additis nonnullis villis (¹).

1416. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humanae vitae commoda, nil dignius memoria habeatur, opportunum existit, ut actus harum literarum appicibus (sic), et testium annotatione perhennantur, ne lapsu temporis euanescant. Proinde Nos Vladislaus, Dei gratia Rex Poloniae, nec non Terrarum Cracouiae, Sandomiriae,

(¹) Ex apographo librorum manu scriptorum „Zapisy Trybunału Lubelskiego" vulgo dictorum, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservatorum, et quidem ex apographo libri XXX. p. 243 depromptum.

Siradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Lithuaniae Suppremus princeps, Pomeraniae, Russiaeque Dominus et haeres: Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, tam praesentibus quam futuris: Quod pro parte Waszkonis Thepthucowicz fidelis nostri, nostrae celsitudini oblata petitio continebat, quatenus literas Serenissimi Principis Vladislai, Dei gratia Ducis Opoliensis, Domini Vieluniensis et Russiae, super villas *Strzelicze* in Zudaczoviensi, nec non *Wirzbąsz* et *Mikaitijncze* et *Gwoszdzecz,* nostro Districtu (sic) Colomiensi, de innata nobis benignitate confirmare, ratificare et approbare (sic), nec non praenominatum Waszkonem, cum suis legitimis successoribus, de jure feudali alias *Szlinskiego* (sic) exciperemus et confirmaremus, omni prorsus vitio et suspitione carentes. Quarum literarum sequitur tenor:

1375. In nomine domini, amen. Decet excellentiam principum, suorum subditorum commodis et utilitatibus intendere, ut, dum eorum profectibus inuigilant, ipsos in honoris sui promotione et seruitijs sentiant promptiores. Nos igitur Vladislaus Dei gratia Dux Oppoliensis, Dominus Wyeluniensis et Russiae etc. Ad perpetuam rei memoriam volumus tenore praesentium deuenire: Quod inspectis fidelibus et commendabilibus obsequijs Waszkonis Thepthucowicz, fidelis nostri dilecti, nobis plurimum exhibitis et adhuc, aucto fidelitatis studio, nobis et nostris successoribus, futuris temporibus crebrius exhibendis, maturo nostrorum seniorum praehabito consilio, de nostra largitatis munificentia speciali, eidem Waszkoni et suis haeredibus legitimis et successoribus, villas nostras videlicet: *Strzelicze* in Districtu nostro Zudaczouiensi, *Wirzbąsz* et *Mikaitijncze* (2) in Districtu Colomiensi, cum omnibus et singulis earundem pertinentijs, juribus et dominijs, prouentibus et obuentionibus, censibus, redditibus et emolumentis, prout dictae villae et earum quaelibet, in suis metis et granitijs limitatae sunt circumferentialiter et distincte, cum agris cultis et incultis, et de nouo extirpandis, pratis, pascuis, syluis, rubetis, mericis, nemoribus, venationibus, aucupationibus, montibus, collibus, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumve decursibus, caeterisque omnibus et singulis pertinentijs, utilitatibus et usufructibus, pro nunc in eisdem existentibus, prout nos soli easdem villas tenuimus et usi sumus, nullis

(2) *Mykitynce, Strylce* vel *Strzylce, Wierzbowce,* villae in Indice locorum Regni Galiciae uti nunc in Circulo Colomiensi sitae recensentur.

penitus exclusis, damus, confirmamus et donamus praenominato Waszkoni et suis haeredibus legitimis et successoribus haereditarie, jure feudali, ea libertate et consuetudine, qua caeteri nostri Wasalli bona sua possident, temporibus perpetuis possidendas, tenendas, habendas, vendendas, obligandas, commutandas et in usus suos beneplacitos conuertendas. Hoc tamen excluso, quod singuli Cmethones dictarum villarum nobis et nostris successoribus de qualibet curia possessa, singulis annis in festo sancti Martini, duos grossos bohemicales soluere pro censu camerae nostrae sint astricti. Etiam quod praenominatus Waszko et sui haeredes et successores, de praescriptis villis, nobis et nostris posteris, cum duabus hastis et duobus balistarijs, in equis et armis bene valentibus et praeparatis, quotienscunque in dicta Terra nostra Russiae necessarium fuerit, seruire tenebuntur. Promittimus insuper dicto Waszkoni et suis haeredibus, quod si aliqua damna notabilia, in nostro exercitu sub nostro Balmario in equis interfectis perceperint, vel detenti seu captiuati fuerint, talia omnia damna restituere et ab hujusmodi captiuitate, absque eorum damnis, liberare. Harum, quibus nostrum sigillum presentibus est appensum, testimonio literarum. Actum in *Lamberga* die dominica proxime (sic) post festum Sancti Nicolai confessoris, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto. Presentibus: Boxicone de *Chrapcowicz*, Petro Browy Judice Prouinciali Terrae Russiae, Vittone Capitaneo, Chodkone de *Ryblicz*, Hlebone de *Dworskowicz*, Wisthkone de *Wokowicz* et Johanne de *Głogouia* nostro Cancellario, qui praesentia habuit in commissis.

Nos igitur inspectis fidelibus obsequijs saepe memorati Vaszkonis, et uisa ejusdem justa petitione, ad petita nostrorum Baronum, jam dictas literas ratas atque firmas habentes, confirmamus, approbamus et ratificamus, tenore praesentium mediante, decernentes ipsas in omnibus punctis, articulis et sententijs, robur obtinere perpetuae firmitatis. Excipimus itaque eundem Waszkonem cum suis legitimis successoribus ab omni impetitione feodali, constituentesque ipsum vel ipsos veros et legitimos haeredes et possessores sepe dictarum villarum, secundum ritum et consuetudinem aliorum terrigenarum nostrae Coronae Regni Poloniae. Insuper cupientes eundem Waszkonem specialium gratiarum plenitudine prosequi, et ad nostra seruitia reddere promptiorem, maturo consilio nostrorum Consiliariorum

praehabito, sibi et suis legitimis successoribus, villas, haereditates et loca pro locatione villarum . . . . infrascriptas (sic), quas ipse Waszko ad praesens obtinet, videlicet: *Podborze* circa fluvium *Lubscha,* cum quadam planicie circa *Szwirzsz* fluuium dicta *Suchodoł,* pro locatione villae; item *Waczkowa Dworzyschcza* et *Staroduby* in Zudaczoviensi, *Kaniowcze* et *Damsthykowcze* Haliciensi; item *Piestnia* circa fluuium etiam *Piestnia* nuncupatum, qui fluit de monte *Panthyn,* et cum riuulis ad dictum flumen decurrentibus de eodem monte; item *Utrop* pro locatione villae quandam planiciem; item *Stolpczathe* cum monte *Dubowa,* et cum riwulis de eodem monte in *Luthcza* defluentibus; item villam *Klyczow,* circa fluuium etiam *Kliczow* nuncupatum; item *Miszin* pro locatione villae; item *Ostapkowcze;* item locum pro situatione villae sub gaijo dicto *Sroki,* et cum eodem gaio et *Bohin* tum *Podmerthin;* item *Wirzbowiecz* usque ad *Raloluij;* item *Kamijone* cum C. . . . . . . (sic), *Crasnicza* et *Bilna Chrostno* dictis, in Colomiensi; *Vidinow* circa flumen *Pruth* et circa *Orzelecz* et *Brzezani* villas in *Sniathinensi,* Districtibus, damus, donamus et inscribimus perpetua donatione, cum omnibus utilitatibus, prouentibus, censibus, redditibus et usufructibus pro nunc in eisdem villis et haereditatibus existentibus, et futuris temporibus exinde prouenire valentibus, quibuscunque nominibus nominentur, et cum omni dominio, prout eaedem haereditates et villae, longe et late ac circumferentialiter sunt distinctae ex antiquo et limitatae, tenendas, habendas, possidendas, vendendas, obligandas, commutandas et in usus suos et suorum legitimorum successorum beneplacitos conuertendas, prout ipsis melius videbitur expedire. Illis duntaxat exceptis, quod omnes et singuli cmethones, in eisdem villis existentes, de qualibet curia possessa, singulis annis, ad festum Sancti Martini, duos grossos latos, nostrae Camerae soluere sint astricti. Ratione cujus donationis, idem Waszko et sui legitimi successores, de suo dominio nobis et nostris posteris, cum sex hastis et sex sagittarijs, ad quamlibet expeditionem generalem, in Terra Russiae tenebuntur deseruire. Actum et datum in *Niepolomicze,* feria secunda proxime ante festum Sancti Leonardi, (d. 2 Novembr.) anno domini millesimo quadringentesimo decimo sexto. Praesentibus magnificis, strenuis et nobilibus: Johanne de *Tharnow* Cracouiensi, Nicolao de *Michalow* Sandomiriensi, Mathia de *Labiszyn* Calissiensi, Palatinis; Zbigneo de *Brzezie* Regni Poloniae Marsalkone, Kuropatwa

de *Laczuthow* Zawichostiensi, Domaratho Byecensi, Castellanis; alijsque quam plurimis fide dignis. Datum per manus Venerabilis Domini Decani et Canonici Regni Poloniae Vicecancellarij nobis sincere dilecti. Ad rellationem (sic) ejusdem Venerabilis Domini Vicecancellarij Regni Poloniae, qui praesentia habuit in commissis.

CXXXV.

Rawae, anno 1377 d. 14 m. Aprilis.

Semovitus Junior dux Masoviae, Swateslao dicto Rzeczywa haeredi de *Magnuszewo*, in eadem haereditate fora annalia et septimanalia instituenda permittit, quam concessionem Joannes Senior dux Masoviae anno 1424, Sigismundus vero Rex Poloniae anno 1537, confirmant (1).

1537. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus dei gratia Rex Poloniae etc. Significamus tenore praesencium etc. Quia exhibitae sunt coram nobis nomine Nobilium Stanislai, Martini et Joannis olim Nobilis . . . . . Magnussewskj filiorum, heredum de *Magnussewo* in Ducatu Mazowie et Districtu Czernensi siti, littere infrascripte sub titulo et sigillo olim Illustris Joannis Senioris Ducis Mazowie predecessoris nostri, continentes in se confirmationem priuilegij olim Semouiti Ducis similiter Mazowiae, super fora annalia et septimanalia, eidem opido Magnussewo concessi, supplicatumque est nobis praefatorum heredum nomine, ut eas ipsas literas, de benignitate nostra Regia, ob earum vetustatem, omni tamen prorsus vitio et suspitionis nota carentes, innovare approbare, ratifficare et confirmare dignaremur, quarum tenor in hec verba sequitur et est talis:

1424. In nomine domini, amen. Ad rei memoriam sempiternam: Joannes dei gratia Senior dux Mazouie et Russie Terrarum dominus et heres Czernensis etc. ad notitiam universorum presentium et futurorum deducimus, et deduci volumus presentium per tenorem. Quia nostro se offerens con-

(1) E libro manu scripto Metrica Regni dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato, Nro LIV. fol. 279 descriptum.

spectui, strenuus ac nobilis Milles (sic) Nicolaus cognominatus Powala, heres de *Thaczow,* presentavit nobis quasdam literas siue priuilegia Illustris Principis domini Semouiti eadem gratia ducis Mazowię, germani nostri charissimi, in se continentes et continentia jura et libertates, Nobili Swatoslao dicto Rzeczewa de *Magnussewo* pie recordationis concessas et concessa per predictum fratrem nostrum charissimum et ejus posteritatem; et cum predictus noster fidelis in eadem jura, que statim sequuntur, legittime in eandem hereditatem *Magnussewo* successit, tum nobis humiliter quam fideliter supplicavit, quattinus predicto Nicolao dicto Powala, super ipsum oppidum *Magnussewo* sic, ut premittitur, concessas et concessa innouare, et in personam ipsius et suorum successorum dignaremur (sic) quarum (sic) quidem jurium et libertatum, in privilegio predicti fratris nostri, de verbo ad verbum tenor sequitur et est talis:

1377. In nomine Christi domini nostri, amen. Nos Semouitus dei gratia Dux Junior Mazowie, dominus et heres Czernensis et Rauensis etc. Notum facimus omnibus et singulis, tam presentibus quam etiam futuris, ad quos presens scriptum fuerit deuolutum. Quod propter fidelia seruitia Nobis impensa per dictum (sic) Swatoslaum, dictum Rzeczijwa de *Magnussewo* heredem, et in posterum deo adjuuante nobis et nostris successoribus, impendenda, forum sibi et suis legittimis successoribus, in predicta sua hereditate *Magnussewo,* restituimus, damus, tribuimus et approbamus, secundum consuetudinem omnium ciuitatum, et jus theutonicum in terra nostra, quolibet die dominico per singulos annos, perpetue duraturum. Insuper concedimus predicto domino Swatoslao et sue legittime posteritati, binum annualę forum, quolibet anno scilicet in festo sancti Joannis Babtiste, et in festo sancti Martini Episcopi celebrandum ibidem in *Magnussewo* et habendum, ut quilibet mercator de nostra terra, quam etiam alienis terris, tam de ciuitatibus, quam de villis cujuscumque conditionibus (sic) res et mercimonia licite possit ducere et reducere, emere et vendere, commutare et ad usus suos conuertere, prout sibi melius uidebitur expedire; in predictis duobus terminis perpetuo duraturis. Et ut hec nostra restitutio, donatio et approbatio, ibidem in *Magnussewo,* robur obtineat perpetue firmitatis, presentes literas scribi et appensione nostri sigilli communirj, in testimonium omnium premissorum mandamus. Actum et datum *Rawe,* die Tiburcij et Valeriani

martirum beatorum, anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo septimo. Presentibus his testibus strenuis, nobilibus viris dominis: Palatino Mazowie nomine Cristino, Goworko Vexillifero Rawensi, Pijotrkone Czernensi, Floriano Rawensi Suppincernis. Meczslao Capitaneo Czernensi, Petro dicto Kpiska, Adam Othone heredibus de *Skrzijn,* nostre Curie familiaribus, et alijs quam plurimis fide dignis. Per manus domini Martini, Curie nostre Vicecancellarij, plebani Zbijkoviensis et prebendarij Grodensis.

Nos quidem predictis libertatibus et munimentis, sic ut premittitur, per supradictum fratrem nostrum datis et concessis (sic! sic!), ad predictas petitiones sepius repetiti Nicolai dicti Powala, in personam ipsius nostri fidelis et ipsius successorum legittimorum, exnunc confirmamus, ratificamus, perpetue et in ewm duraturas (sic). In cujus rei testimonium, sigillum nostrum majus presentibus est appensum. Actum et datum in *Czyrsko,* die dominico proximo ante festum sancti Martini confessoris et episcopi venerandi (d. 5 Novembris), sub anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quarto. Presentibus viris nobilibus, dominis: Slawecz Castellano, Vigando Vexillifero, Nicolao alias Gemza Subcamerarijs Czernensibus, Stiborio Succamerario Zacroczimensi, Marsalco curie nostre, Petro de *Sarpsko* herede et alijs quam plurimis fide dignis testibus ad premissa. Scriptum per manus Pauli G. de B., Ploczensis et Varschowiensis Ecclesiarum Canonici, nec non Cancellarij nostri, qui presentia habuit in causis (sic).

Nos itaque Sigismundus Rex prefatus, supplicationibus pro parte memoratorum Stanislai, Martini et Joannis heredum de *Magnussewo,* ad nos porrectis, uti justis et rationi consonis gratiose annuentes, eas ipsas literas superius insertas, in omnibus earum conditionibus, articulis ac sentencijs, de certa sciencia et gratia speciali, nostris regijs confirmandas, approbandas, ratifficandas duximus, confirmamus, approbamus, ratificamus, et innovamus presentibus etc. Harum testimonio etc. Actum et datum *Cracouie,* die dominico ante festum Natiuitatis Christi proximo (d. 23 Decembris), anno ejusdem millesimo quingentesimo trigesimo septimo. Regni vero nostri anno XXXI. Presentibus etc.

CXXXVI.

Plosci, anno 1378 d. 14 mens. Martij.

Ziemovitus Dux Masoviae ecclesiae Plocensi libertates confert, promittens se Episcopum et ditiones ejusdem ecclesiae praecipue tutaturum (¹).

In nomine domini, amen. Nos Semouitus Troijdem, Dei gratia Dux totius Terrae Masouiae, dominusque et heres Plocensis et Czernensis. Cupientes piae matris pio filio Jesu Christo debitae seruitutis obsequia persoluere, et donorum ab ipso non esse immemores acceptorum; promisimus et presentibus Deo et Beatae Mariae Virgini gloriose promittimus, nostrosque successores Duces Mazouiae, ad id obseruandum et faciendum, sub praefatorum bonorum jam nobis ab omnipotenti Deo de sua inefabili benignitate collatorum perditione et finali ammissione, tenere et inuiolabiliter perpetuis temporibus obseruare: omnesque et singulas Ecclesiae Plocensi, Episcopis, Praelatis et Canonicis, totique Clero Diocesis Plocensis pro tempore existentibus, a praedecessoribus nostris, scilicet Conrado, Boleslao et Venceslao, olim Ducibus Mazouiae, largitas, concessas, donatas, et perpetuo datas et inscriptas immunitates et libertates, prout in privilegijs eorum, et signanter foelicis memoriae domini Venceslai olim Ducis Mazouiae, eadem jura et priuilegia tam domini Conradi, quam etiam Boleslai filij sui, quondam Ducum Masouiae, atauorum et auorum nostrorum, continentur descripta et inscripta. Quae omnia et singula, in praefatis eorum priuilegijs contenta et expressa, tanquam idoneus imitator eorum innitendo vestigijs, presenti nostro priuilegio, de certa nostra et nostrorum filiorum, scilicet Joannis et Semouiti, et Henrici scientia et voluntate approbamus et ratificamus, profitemurque, quod ipsa Plocensis Ecclesia, (cujus nos filium et alumnum recognoscimus, et ad tuitionem, ac omnimodam ipsius et personarum suarum, scilicet tam in capite, quam in membris deffensionem perpetuam, tanquam verus patronus eorum, nos et nostros successores heredes et Duces Mazouiae obligamus), omni

(¹) E libro manu scripto vulgo Metrica Regni dicto in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruato, Nro LXXVIII. p. 268 descriptum.

gaudet et gaudere debet perpetuis temporibus Jure nostro Ducali, in omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus hereditarijs, quocunque nomine censeantur. Ita quod nihil aliud in praefata Ecclesia personis, subditis et bonis ipsius pro tempore existentibus, nisi Jus patronatus nobis et nostris successoribus penitus reseruamus, eorumque orationibus nos et nostros successores commendamus. Eosque et eorum bona, in nostram et nostrorum successorum, Ducum Mazouiae dominorum et haeredum nostrorum, protectionem recipimus et assumimus. Nec non eos et eorum subditos, cum eorum bonis, a cujuslibet hominis impetu ac inimicitia, hostilitate, ac bonorum eorum deuastatione et inuasione, siue spoliatione et qualibet turbatione, et inquietatione, siue theloneorum, per aquam et terram, ubicumque cum eorum mercantijs, in Ducatibus nostris et extra dominia nostra, voluerint proficisci, exactione et receptione, spondemus et nos nostrosque successores, aeuiternis temporibus inscribimus, et ad deffendendum a predictis omnibus obligamus, solique propria in persona nostra, neque successores nostri per se, seu aliquas intermedias personas saeculares, ipsi Ecclesiae, personisque et bonis eorum aliquas molestationes, injurias, damna nunquam facere debemus, neque nostri facient parimodo successores. Sed reuerendum patrem dominum Dobeslaum, Episcopum Plocensem patrem nostrum, nec non suos successores Episcopos pro tempore existentes, tanquam patres nostros et amicos sijnceros, suosque Praelatos et Canonicos, ac alios suae Diocesis presbijteros tanquam Capellanos nostros volumus reuereri, honorare et tenere ut decet ad nostram Magnificenciam Ducalem. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum, praesentes scribi literas, et sigillo Majestatis nostrae communiri easdem iussimus. Actum et datum in *Ploczka,* die dominico Reminiscere, anno domini M° CCC° LXXVIII°. Praesentibus hijs testibus: Andrea Plocensi, Niemierza Sochaczouiensi, Castellanis; Gottardo Plocensi, Paulo Wissegradiensi, Judicibus; Stephano Capitaneo nostro et Succamerario Gostinensi, Andrea Marsalco Curiae nostrae et Succamerario Sochaczouiensi, Czamborio Succamerario Plocensi, et aliis quam pluribus fide dignis testibus ad praemissa. Scriptum et datum per manus Martini Vicecancellarij nostri et Plebani Msczonouiensis.

CXXXVII.

In villa Lipte, anno 1381 d. 1 mens. Augusti.

Lodovicus Rex Hungariae et Poloniae, fratribus ordinis Carthusiensis, Monasterii Sancti Antonii in *Lechnicz*, liberam piscationem in fluvio Dunajec, concedit (1).

1494. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Etsi dignitas regia communiter consuevit actus singulos, siue donacionis sive confirmacionis sententiam in se continentes, perpetue mandare memorie, tamen quitque (2) pro comodo et pio (3) usu religiosarum personarum, sub arctiori precepto atque regula, iugique (4) lucubracione deo famulancium (5), specialiter ac studiosius literarum apicibus, sigillisque autenticis, et testibus perhennare merito debeat. Proinde Nos Johannes Albertus etc. Significamus etc. Quod in presenciarum (sic), Religiosus Jeronimus (6), honorabilis et religiosi Stephani Prioris, et tocius conuentus fratrum ordinis Carthusiensis, Monasterij vero Sancti Anthonij in Lechnycz, suoque nominibus, coram exhibitis nobis priuilegiis certis infrascriptis, per diwos Polonie reges, eis, domuique ipsorum concessis, pecijt ea per nos ratificari et confirmari auctoritate regia nostra. Quorum tenores successiue secuntur:

1393. Hedvigis dei gracia Regina Polonie, Lithwanieque Princeps suprema, et heres Russie etc. Significamus quibus expedit universis: Quod oblata peticio religiosi Pauli Prioris Monasterij Sancti Anthonij, prope fluvium *Dunayecz* siti, ordinis Cartusiensis, nostri deuoti dilecti continebat, quatenus literam papiream Serenissimi Principis recolende memorie domini Lodovici (7) olim Hungarie et Polonie Regis, genitoris nostri carissimi, eius vero sigillo appresso munitam, ratificare, innouare, de innata nobis benignitate dignaremur, cuius quidem litere tenor sequitur et est talis:

(1) Ex apographo librorum manu scriptorum vulgo Metricae Regni dictorum in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asseruatorum Nro XVII. p. 84 sqq. et Nro XXXI. p. 111 sqq. ubi continetur confirmatio Regis Sigismundi anni 1518 cujus lectionis varietas in notis affertur. (2) In libro XXXI. *legitur* quicquid. (3) pro. (4) iugi quoque. (5) *add.* decernit, id. (6) Hieronimus. (7) Louici.

1381. Nos Lodovicus dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Vos Illustrem Principem dominum Bolconem, Ducem Opolie, fratrem nostrum carissimum, Castellanum vel Vicecastellanum vestrum de *Czornsteyn*, nec non cunctos (8) officiales famulos, et (9) vices uestras gerentes, has inspecturos presentibus requirimus, vobisque committimus, quatenus religiosum virum, fratrem Johannem, Priorem ordinis Cartusiensis, Monasterij Sancti Anthonij confessoris de iuxta fluvium *Dunayecz* et suum conventum, a piscacione fluvij *Dunaijecz* vocati, etiamsi in porcione et parte nostra regali, quam in dicto fluvio habemus, pro ipsorum duntaxat usu, sed non obagionum (10) eorundem facienda, non inhibeatis, neque interdicatis, sed permittatis piscatores ipsorum Prioris et conventus in dicta aqua, etiam in porcione et parte nostra, pro victu eorum semper pacifice piscari. Quot (11) eis ob remedium anime nostre et salutem, ex quo idem (12) non carnibus, sed solum piscibus pro stricta regula utuntur, dedimus in porcione nostra regia, in prefato fluvio piscandi pro solum usu et victu eorum, liberam facultatem. Aliud igitur pro nostra gracia non facturi. Futuris eciam castellanis, vicecastellanis et officialibus precipimus, illud idem dantes eis similibus sub preceptis. Presentes etiam apud eosdem Priorem et conventum volumus semper remanere. Datum in *Lipte* in festo ad vincula beati Petri, anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo.

Nos itaque peticionibus prefati Pauli Prioris misericorditer inclinati, literam prescriptam ratam et gratam habentes, ipsam in omnibus suis punctis, clausulis, et condicionibus innovamus, ratificamus et approbamus, volentes ipsam robur obtinere perpetue firmitatis. Volumus insuper, et de speciali nostra reginali gracia mandamus, districtius injungentes omnibus Tenutarijs, Burgrabijs et Officialibus dicti nostri castri *Corznstin* (13), qui pro tempore fuerint, quatenus dictum Priorem et suos successores, una cum ipsorum conventu, in molendino, quod habent in predicto fluvio *Dunayecz*, molestare et ab ipsis pretextu obstaculi, a predicto molendino ad rippam istius partis protensi trans fluvium, aliquas exoneraciones seu exactiones ineptas, exigere et postulare non presumant. Si quis autem ex ipsis hanc (14)

(8) ceteros. (9) vel. (10) yobagionum. (11) Quia. (12) ijdem. (13) Czornstin. (14) contra hanc.

nostram graciam et indultum aliquid contrarij temere attentare presumserit, nostram inde gravem indignacionem se noverit incursurum. Harum ([15]), sigillum nostre Majestatis est appensum, testimonio literarum. Datum in *Sandecz,* die sancti Gotardi Martyris, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo tercio.

1425. Wladislaus dei gracia Rex Polonie etc. Fidelibus nostris Castri nostri Czornstin ([16]) Capitaneis, qui pro tempore fuerint, ac presentibus alijs requirendis, graciam regiam et omne bonum. Fideles nostri. Mandamus vobis seriose precipientes, quatenus fratres ordinis Cartusiensis, nostros deuotos, circa literas ipsis per Serenissimam Principem dominam Heduigim, olim Reginam Polonie, nostram consortem carissimam datas, conseruare et tenere debeatis. Ipsosque molendinis, piscinis, lacubus, piscaturis, pratis ([17]) et quadam insula ultra Dunayecz, et alijs vexacionibus impedire minime debeatis, iuxta tenorem literarum earundem, aliud pro gracia nostra facere non ausuri. Datum in Leopoli feria quarta proxima ante Calyxti, anno domini M. CCCC. vicesimo quinto. Dominus Rex per se.

Itaque nos supplici fratrum eorumdem Carthusiensium peticione, ac literarum preinsertarum dignite (sic) confidencia (sic) ([18]), tanto libencius peticioni ipsorum consensimus, quanto fiducialius speramus, nos successoresque nostros, ex eorum oracionibus, sempiterne salutis et felicium successuum augmenta consecuturos; non per errorem, aut improvide, sed de certa sciencia, deliberacioneque nostra, ac de consilio consiliariorum nostrorum, priuilegia seu literas tenoris preinserti, in omnibus ipsorum ipsarumque ([19]) condicionibus, passibus et articulis confirmanda, approbanda, ratificanda et gratificanda duximus; confirmamusque, approbamus, ratificamus et gratificamus decernentes, ea ac easdem in omnibus eorum earumque tenoribus robur obtinere firmitatis perpetue, tenore presencium mediante in ewm. In cujus rei testimonium sigillum nostrum est subappensum presentibus ([20]). Actum in Podolynyecz fferia quinta festi Ascensionis Domini, anno ejusdem 1494. Regni nostri anno secundo. Presentibus ibidem Illustrissimo Principe, Reuerendissimisque in Christo patribus dominis: Ffrederico sacrosancte romane ac uni-

([15]) *add.* quibus. ([16]) Czorsthin, qui pro tempore fuerit, ac alijs presentibus requirendis. ([17]) *pro pratis est* agris. ([18]) dignitate considerata. ([19]) *add.* punctis. ([20]) presentibus subappensum.

uersalis ecclesie, tituli Sancte Lucie in septem solijs presbytero Cardinali, Archiepiscopo Gneznensi et Primate et Episcopo Cracoviensi, germano nostro charissimo, Andrea Roza Archiepiscopo Leopoliensi; ac magnificis et venerabilibus Andrea de Thanczin Castellano Woynyczensi, Creslao Gneznensis et Cracoviensis Decano ecclesiarum, Cancellario, Petro Thezaurario ac Generali Capitaneo Cracoviensi de Curozwanky, Petro de Wyssnyeze (21) Marsalco Regni nostri, Ambrosio Pampowsky Rosperiensi, et (22) Johanne de Podlodow Zarnouiensi (23), Castellanis, ceterisque Prelatis et Baronibus, Consiliarijs et Curiensibus nostris, ad premissa testibus sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus ejusdem Venerabilis Creslai de Curozwanky, Regni nostri Cancellarij, sincere nobis dilecti. Relacio (24) venerabilis Creslaj de Curozwanky R. P. Cancellarij.

(21) et Petro Kmitha de Wisznicze. (22) *deest.* (23) Johanne Podliodowsky de Przithek Szarnowiensi. (24) *add.* prefati.

CXXXVIII.

Leopoli, anno 1386 *d.* 20 *m. Martii.*

Hedvigis Regina Poloniae, omnia privilegia, quibus civitas *Leopoliensis* temporibus Casimiri et Lodowici Regum fruebatur, confirmat (1).

In nomine domini, amen. Decet quorumlibet principum legittimas actiones, presertim perpetuas, scripturarum memorie commendare, ne per oblivionem possint aliqualiter in nichilum redigi et reduci. Igitur Nos Hedvigis Dei gracia Regina Polonie, Lithuanieque princeps suprema et heres Russie. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum volumus deuenire, quod considerata fidelitatis constancia, ac diligencius inspectis fidelibus seruicijs, que circumspecti viri consules, totaque communitas civitatis nostre *Lambergensis*, progenitoribus nostris et nobis exhibuerunt, ac imposterum exhibere, dante domino, sunt paratij; cupientesque de benignitate

(1) E libro Metrica Regni dicto N^ro XX. p. 222.

nostra, ipsos prosequi gracia speciali, omnia et singula ipsorum jura, libertates, priuilegia, que tempore Serenissimorum principum dominorum Cazimiri avi, nec non Lodovicj genitoris Ungarie et Polonie etc. Regum, dilectorum nostrorum, habuerunt, confirmamus, ratificamus et tenore presencium approbamus, in omnibus punctis et articulis perpetuo valitura; adjungentes, quod nulli hominum in civitate, vel ante civitatem *Lambergensem* predictam, ulla omnino violencia, per quempiam quoquomodo debet fieri, uel inferri. Volumus eciam, ut civitas nostra *Lembergensis* predicta, in suis metis et limitibus, prout in literis et privilegijs ipsius plenius conscriptum continetur, inconcusse debeat permanere; et si aliquid predicte civitati aut civibus, violenter abstractum existat, seu ablatum illiciter, restitui volumus, que tamen in nostris manibus retinemus. Preterea volumus, ut omnia et singula thelonea et tributa, post mortem Serenissimi principis domini Kazimiri, pie memorie, olim Regis Polonie, avi nostri carissimi, indebite et minus juste, per quempiam statuta, omnino et totaliter deponantur. Statuimus insuper, quod deposicio salis et omnium mercanciarum in civitate nostra *Lembergensi* prenotata, fore debet et permanere; nec non per omnes et singulos mercatores et homines, ab undecunque venientes, cum eisdem non alibi, nisi in civitate nostra, perpetuis temporibus inviolabiliter teneri et obseruari, veluti fuit temporibus ab antiquis tentum et seruatum; nec eciam aliquis eorundem mercatorum inconsuetas et indirectas vias et transitus, uel audeat pertransire, aut depositum facere eorundem (sic), preterquam in dicte civitatis deposito generali easdem deponat. Promittentes tenore presencium mediante, omnes et singulos Ruthenos, Armenos, Judeos, Saracenos et quemlibet eorum, in suis juribus conseruare. In quorum omnium premissorum euidens testimonium, presentes literas scribi fecimus, nostrique appensione sigilli communiri. Actum *Lemburge* feria proxima tercia post dominicam Reminiscere, anno domini millesimo tricentesimo octogesimo sexto. Datum per manus venerabilis Kyeczonis Prepositi Sancte Marie in civitate Cracoviensi, et Cancellarij aule nostre.

CXXXIX.

Oppoliae, anno 1386 d. 20 mensis Julij.

Vladislaus Dux Opoliensis in oppido *Ostrzeszow* aduocaciam instituit, eidemque certa emolumenta et prouentus confert (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ladislaus dei gracia Dux Opuliensis (sic), Welunensis, Cuyauiensis, Dobrinensis etc. Notum facimus tenore presencium vniuersis, quod cum de commoditatibus et utilitatibus opidi nostri *Ostrzeschow alias Schiltberg*, nec non fidelium nostrorum ciuium, in eodem commorancium ubilibet, et potissime, qualiter ipsius opidi et eius incolarum status pacificus successuris temporibus procuretur, ad quod primum mentem nostram dirigimus, salubriter intendamus, pacem et iusticiam unicuique tam pauperi, quam diviti, in personis et rebus, equa ministracione cupientes firmiter exhiberi; volentes per infrascriptam ordinacionem, dicti opidi nostri condicionem et statum in melius reformare, primum quidem damus et conferimus, eisdem nostris ciuibus presentibus et futuris, advocaciam seu iudicium dicti opidi *Ostrzeschow*, cum omnibus penis paruis et magnis de ipsa aduocacia prouenientibus, capitalibus duntaxat penis exceptis, de quibus eisdem ciuibus tercium denarium damus, duobus autem denarijs pro nobis et nostris posteris reseruatis. Damus eciam eisdem ciuibus, quod nusquam in villis tocius districtus Ostrzeschow, possit aliquis sal vendere; sed quod ipsius opidi consules vendicionem salis in eodem opido habeant ex parte communitatis. Damus insuper eisdem ciuibus omnes census in dicto opido, eciam de macellis carnium prouenientes, similiter et

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 623 depromptum. Sigillum majus in funiculo serico coloris viridis et rubei appensum, repraesentat equitem in equo sinistrorsum conuerso sedentem, dextra manu gladium tenentem. Verba inscripta penitus deleta. Ex altera parte effictum est caput pueruli in ambitu sex arcubus composito. A quatuor ipsius partibus sunt clypei, in quibus efficta insignia. In superno aquila silesiaca; in dextro caput, quo insigni terra Dobrinensis utitur; in laevo dimidia aquila et dimidius leo cujavienses; in inferiori duo cornua venatoria. Inscriptio insignibus interrupta gothico charactere exarata. Nonnisi vox „*ladislai*" legi potest.

census agrorum ville *Bertoldisdorff,* foris ciuitatem seu dictum opidum situate, adicientes eciam, quod ipsi ciues, quelibet eorum debita, que rustici villarum districtus eiusdem, in eodem opido apud ipsos ciues fecerint seu contraxerint, eo jure et modo ab ipsis rusticis exigere et repetere possint, prout aliarum nostrarum ciuitatum ciues, pro similibus eorum debitis facere sunt consweti. Predicti quoque ciues et eorum posteri, pro uniuersis solucionibus et censibus, viginti tres marcas grossorum usualium, singulis annis et perpetuis temporibus, videlicet medietatem in festo sancti Martini, et aliam medietatem in festo sancte Walpurgis, nobis et nostris posteris, soluere tenebuntur; et quod de quolibet manso, unum plaustrum lingnorum (sic) pro nostra curia, dum et quociens ibidem fuerimus constituti, ducere sint asstricti. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum *Opol,* anno domini millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, proxima feria sexta ante festum sancte Marie Magdalene. Presentibus nostris fidelibus dominis: Henczkone Swantopolk de *Landisberg,* Georio (sic) de *Swus* Holsteinensi, Wictore de *Merzicz* Opuliensi, Capitaneis; Bernhardo Werusch Osthreschouiensi, Hankone de *Vschicz* Welunensi, Niczkone Strus Karnouiensi, Burggrauijs; et domino Nicolao Ticzconis Canonico Opuliensi, Cancellario nostro, qui presencia habuit in commissis.

CXL.

Lublini, anno 1388 d. 7 mens. Januarij.

Wladislaus Rex Poloniae civibus *Radomiensibus* dat facultatem balneum extra maenia ejusdem civitatis construendi (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Wladislaus dei gracia Rex Polonie Lithuanieque princeps suppremus, et heres Russie etc. Notificamus quibus expedit universis, presentibus et futuris presencium noticiam habituris: Quod grata consideracione prehabita, ad multiplicia fide-

(¹) E libro Metrica Regni dicto Nro XVII. p. 267.

litatum seruicia, et sincere fidei constanciam, quibus cives et incole civitatis nostre *Radomiensis,* nostri fideles dilecti, Majestatem nostram, operosa solicitudine sunt hactenus venerati, et infuturum, adaucto fidelitatis studio, se nobis ad obsequendum poterint continuo reddere prompciores; quorum intuitu, cupientes ipsos specialium graciarum prosequi favoribus, volentesque, ut iidem cives et incole civitatis nostre *Radomiensis* predicte, sub nostro felici regimine per munificencie nostre larga donaria, in ipsorum proventibus uberius senciant incrementum, eisdem civibus et incolis *Radomiensibus,* damus et conferimus plenam et omnimodam facultatem, balneum extra muros ipsius civitatis nostre *Radomiensis,* in loco congruo et placito, construendi et locandi pro ipsorum et successorum suorum usibus, fructibus et utilitatibus, per ipsos et eosdem tenendum, habendum et possidendum perpetuis temporibus affuturis. Harum, quas appensione sigilli nostri roborari fecimus, testimonio literarum. Datum in *Lublin,* in crastino epiphanie domini anno ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo octavo. Presentibus: Cristino de *Coziegłow* Camerario Sandecensi, Spithkone Subpincerna Sandomiriensi, Nicolao de *Ossow,* Petro de *Kozlow,* Alberto de *Wamberkow* et Martino Ruph de *Tkuchowo,* ac alijs multis nostris fidelibus fide dignis. Per manus venerabilis Zaklicze, Preposito Sandomiriensis, aule nostre Cancellarij fidelis dilecti.

CXLI.

Cracoviae, anno 1389 d. 21 m. Augusti.

[illegible] Rex Poloniae civibus *Casimiriensibus* ad Cracoviam dat facultatem construendi viginti quinque cameras pannorum (¹).

In nomine domini, amen. Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Lythwanie princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres. Ad perpetuam rei memoriam, notum facimus universis quibus expedit, tam presentibus

(¹) E libro Metrica Regni dicto N^ro^ XVII. p. 89.

quam futuris presencium noticiam habituris: Quod mente gratuita perpendentes clare fidei constanciam, ac grata fidelium serviciorum merita civium et incolarum nostre civitatis *Kazimiriensis*, nostrorum fidelium dilectorum, quibus ijdem Maiestatem nostram venerati sunt, neç desinunt continue venerarj, quorum intuitu prefatos cives et incolas *Kazimirienses*, specialis gracie prerogativa letari volentes et perfrui ampliorj; cupientesque civitatis nostre *Kazimiriensis* predicte condicionem ex eo fierj meliorem, ipsis civibus et incolis *Kazimiriensibus*, de nostre Majestatis solita benignitate indulsimus, et tenore presencium indulgemus, ymo damus et conferimus plenam et omnimodam facultatem, cameras pannorum viginti quinque in numero, in dicta civitate nostra *Kazimiriensi*, de nowo locandi, edificandi, construendi et eriendi (sic), in eo iure et consuetudine, quibus camere pannorum civitatis nostre Cracoviensis sunt locate, edificate et erecte; ita, ut exnunc ac perpetuis temporibus, camere pannorum in *Kazimiria*, iuribus et consuetudinibus eisdem fruantur et gaudeant, quibus camere pannorum civitatis nostre Cracoviensis gaudent et fruuntur. Preterea cives et incole dicte civitatis nostre *Kazimiriensis* quinquaginta marcas grossorum pragensium polonicalis numeri, racione annui census de dictis viginti quinque cameris pannorum predictorum, annis singulis perpetuis temporibus, nobis et successoribus nostris, dare et solvere sint astricti. Harum, quibus sigillum nostrum majus appensum est, testimonio literarum. Actum *Cracovie*, Sabato infra octavas Assumpcionis Sancte Marie virginis gloriose, anno domini millesimo trecentesimo octogesimo nono. Presentibus hijs: reuerendo in Christo patre, domino Dobrogostio Episcopo Poznaniensi, Spithkone Cracoviensi Pallatino, Petro Kmythe (sic) Castellano Lublinensi, Cristino de *Ostrow* Magisto Curie nostre, Petro Kozensensi, Dimitrio Vicetezaurario nostro, aliisque multis nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus honorabilis Zaklijcze, Prepositi Sandomiriensis, aule nostre Cancellarii, fidelis dilecti.

CXLII.

Radomiae, anno 1390 d. 11 mensis Octobris.

Wladislaus Rex Civibus *Sandomiriensibus*, salem ex zuppis Vieliciensibus et Bochnensibus, itineribus quibus illis placuerit, vehendum permittit (1).

Władislaus Dei gratia Rex Poloniae, Lithuaniaeque Princeps supremus, et haeres Russiae etc. Significamus quibus expedit uniuersis, praesentibus et futuris. Quomodo in meliorationem nostrae *Sandomiriensis* ciuitatis, depositorium salis et alecum, ipsis per olim foelicis memoriae Illustrissimum Dominum Cazimirum Regem Poloniae, antecessorem nostrum datum et statutum, confirmantes et approbantes praedictae ciuitati nostrae *Sandomiriensi,* hanc damus gratiam et libertatem euiterne tenendam, ut sal de Zuppis nostris Wieliciensibus et Bochnensibus, ipsi et ipsorum quilibet, vijs omnibus directioribus, seu qua voluerint siue per terram, siue per aquam, libere et secure, absque omni quorumcumque impedimento, ad ipsorum depositorium praefatum, ducere, proficisci et meare poterint, quantum voluerint et valebunt. Quocirca vobis Capitaneis, Burgrabijs, Tenutarijs, Procuratoribus et ciuitatum quarumcumque Rectoribus, nec non Theloneatoribus, Officialibus quibuscumque, qui presentibus fuerint requisiti, committimus et mandamus, quatenus ciues et incolas dictae ciuitatis nostrae *Sandomiriensis,* per vias ipsis directiores, cum sale de Zuppis nostris, ad ipsorum depositorium euntes, siue per Nouam Ciuitatem Corczin, siue per Wislam fluctuare volentes, ire libere permittatis totiens, quotiens illis opus fuerit et necesse. Harum, quibus sigillum nostrum minus praesentibus est subappensum. Datum in *Radom,* feria tertia proxima ante festum Sancti Galli abbatis, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo. Praesentibus hijs: Drogomiro Judice Cracouiensi, Prandota Subiudice Sandomiriensi, Stanislao Pincerna Lanciciensi, Dobeslao Subpincerna Syradiensi, Cristino de *Ostrow* Magistri (sic) Curiae Serenissimae Principis Dominae Hedvigis, consortis nostrae charissi-

(1) E libro Metrica Regni dicto Nro XCIII. p. 324.

mae, Withebno [? Witelino] de *Okalina* Generali Procuratore Terrae nostrae Sandomiriensis, et Gniewossio de *Sczmielow* militibus nostris; alijsque multis nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus venerabilis Zaklicze, Cancellarij aulae nostrae, fidelis dilecti etc.

CXLIII.

In oppido Robczyce, anno 1391 d. 14 m. Julii.

Wladislaus Rex Poloniae cuidam *Lyen* Dyak, ejusque fratribus villam *Holyn* in districtu Żydaczoviensi sitam donat (1).

1537. In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Sigismundus dei gratia Rex etc. Significamus tenore etc. Quia constitutus coram nobis personaliter Nobilis Joannes Holinskj, suo et aliorum coheredum suorum in villa *Holin* existentium nominibus, in terris Russie et districtu Zidaczouiensi consistenti, exhibuit priuilegium infrascriptum sub titulo et sigillo appenso olim clarissime memorie diui Vladislai Regis Polonie, predecessoris nostri desideratissimi emanatum, et ex idiomate ruthenico, quo erat descriptum, in latinum versum, supplicando nobis per medium certorum consiliariorum nostrorum humiliter, ut hoc ipsum priuilegium jam nimium vetustum, et a vermibus aliquatenus corrosum innovare, aprobare, confirmare et ratificare, de benignitate nostra regia dignaremur. Cujus quidem priuilegii tenor sequitur et est talis:

1391. In nomine domini Jesu Christi, Spiritus Sancti amen. Nos Wladislaus dei gratia Rex Polonie, Russie, Litvanie Dux, et aliarum multarum terrarum dominus. Significamus tenore presentium universis et singulis presentibus et futuris, harum notitiam habituris vel audituris: Quia nos habita ratione fidelium seruitiorum *Lijen* Dijak et ejus fratrum, que jam pridem nobis fideliter impendebat et impendit, ei igitur et ejus successoribus, ut eo nobis et nostris successoribus obligatior sit, dedimus et concessimus

(1) E libro Metrica Regni dicto Nro LIV. p. 186.

villam alias *Sijelissoze* dictam *Holijn,* in districtu Zidaczouiensi circa fluuium *Czeozwia,* cum omni jure, dominio, proprietate, areis, curijs, contributionibus, penis, nec non siluis, campis, pratis, aquis, paludibus, molendino alias *z mlynijssczem* ac cum *langii* (sic) *Przelaskj Dambrowj,* decimis, venationibus, mellifitijs, prout mellicidarij de *Holijn* ab antiquo usi sunt, et generaliter cum omnibus fructibus, prouentibus, redditibus, prout ipsa villa *Holijn,* in suis metis et granitiebus se extendit, perpetue et in euum, libere vendendam donandam, commutandam, et ad suos usus beneplacitos conuertendam. De ipsa vero villa *Holijn* tenebitur ipse *Lien* cum suis successoribus, nobis et nostris successoribus seruire seruitium cum duobus *Strzelcze,* juxta jus et consuetudinem ceterorum nobilium. In cujus rei firmitudinem, sigillum Regni nostri appendi mandauimus. Actum in oppido nostro *Ropczicze* (²), in presentia: domini Demetrij Thezaurarij, domini Miczkossthan, domini Petrj Pyenijąsko, domini Prandota Sudomirski, domini Thome Pincerne, domini Derslai Conopka. Datum die quarta decima mensis Julij, sub anno Nativitatis Domini millesimo tricentesimo nonagesimo primo.

Nos itaque Sigismundus Rex prefatus, considerantes suprascriptum priuilegium non esse suspectum, suplicationique dicti Joannis Golynskj, suo et prefatorum coheredum nomine ad nos porrecte gratiose annuentes, illud in omnibus ejus sententijs, clausulis et punctis, prout posita sunt, de consilio consiliariorum nostrorum, hic ad presens nobiscum existentium, ac de certa scientia et gratia spetiali nostris regijs, innovandum, approbandum et ratificandum, confirmandumque duximus, innovamusque, aprobamus, ratificamus et confirmamus presentibus; presertim in quorum possessione ad presens existunt, decernentes omnia in eo contenta, robur debite et perpetue firmitatis obtinere, presentium literarum tenore accedente in euum. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum in civitate nostra *Leopoliensi,* sabato post festum Sancti Laurentij proximo (d. 11 Augusti), anno domini millesimo quingentesimo tricesimo septimo, Regni vero nostri anno tricesimo primo. Presentibus etc.

(²) *Robczyce* oppidum, ad Brzeznicam fluvium, in Palatinatu olim Sandomiriensi situm, et ad eundem Capitaneatum pertinens. Vid. Mich. Balińscii et Thim. Lipińscii *„Starożytna Polska"* T. II. p. 473.

CXLIV.

In villa Zukowice, anno 1392 d. 10 mens. Augusti.

Wladislaus Rex Poloniae Petro de *Moschna*, scultetiam in villa *Swidnik duzy* confert, eidemque villae privilegium et immunitates juris teutonici largitur ([1]).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque Princeps supremus et heres Russie etc. Significamus tam presentibus quam futuris, quibus expedit uniuersis presencium tenorem inspecturis. Quomodo intenta mente perpendentes grata obsequia, et sincere fidelitatis constanciam, nostre maiestati per Petrum de *Moschna*, nostrum fidelem exhibita hactenus, et in antea, uti dignum arbitramur, operosius exhibenda, quorum intuitu volentes ipsum, de innata nobis clemencia, speciali prerogatiua letari et perfrui ampliori, sibi, suis heredibus et successoribus legitimis, scolteciam in villa nostra *Maiori Swidnik* sita in terra nostra Lublinensi; et pretextu eiusdem scoltecie duos laneos agrorum, qui . . . . . . dicuntur, liberos cum omnibus pratis ad eosdem laneos ab antiquo pertinentibus, u(nam) tabernam liberam, sextum denarium censuum, tercium denarium judicij et cuiuslibet rei iudicate, iure hereditario damus, conferimus et donamus perpetuis temporibus et irrev(ocabiliter), per ipsum Petrum, suos heredes et successores legittimos tenendi, habendi, ... obligandi, vendendi, comutandi, donandi et pro suis usibus conuertendi no(stro tamen) consensu et voluntate ad id specialiter accedente. Ut autem predicta nostra villa *Swidnik*, (eo melius) valeat collocari et in usus redigi uberiores, villam ipsam *Swidnik*, (ex) jure polonico in jus theutonicum, quod Sredense dicitur, transferimus perpetuo duraturum, remouentes ibidem omnia iura polonicalia, modos et consuetudines u(niuersas), que ipsum jus theutonicum plerumque perturbare consueuerunt. Eximimus insuper, absoluimus et perpetuo liberamus scoltetum, kmethones, tabernatores, molendinatores, ortulanos et quosuis incolas ville predicte, ab omni juridicione et potestate

([1]) **Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 1054. Sigillum deest.**

omnium Regni nostri palatinorum, castellanorum, judicum, subiudicum et ministerialium eorumdem, quod coram ipsis aut aliquo eorum, pro causis tam magnis quam paruis, puta: furti, homicidij, (mutilationis) membrorum, sangwinis et quibusuis alijs citati, minime respondebunt, nec aliquas penas soluere tenebuntur, sed tantum kmetones cum alijs incolis ville predicte, coram dicto Petro et suis legittimis successoribus, Petrus vero memoratus et successores sui legittimi coram nobis, aut nostro iudicio generali, si dictus Petrus aut sui successores in reddenda iusticia negligentes fuerint uel remissi, dum tamen per literam nostram, nostro sigillo sigillatam citati fuerint, tunc non aliter, quam jure suo theutonico cuilibet de se querulanti ad obiecta respondere sint astricti. In causis vero criminalibus et capitalibus superius expressatis, scolteto dicte ville et successoribus suis sentenciandi, corrigendi, puniendi et condempnandi damus et concedimus plenariam et omnimodam facultatem, prout hoc jus theutonicum in omnibus suis punctis clausulis, articulis, sentencijs, condicionibus postulat et requirit, juribus nostris regalibus in omnibus semper saluis. Preterea dictus Petrus et sui successores legittimi, libertate elapsa, cum una balista in equo bene valenti, ad quamlibet expedicionem sit paratus, ac kmethones per unum fertonem, siue duodecim grossos pragenses singulis annis nobis et nostris successoribus soluere sint astricti. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum in *Zucouicze* (2), ipso die beati Laurencij martyris, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo. Presentibus hijs: Drogossio Judice Cracouiensi, Przibislao Subdapifero Kalisiensi, Nicolao Wanzik Magistro coquine nostre, Jaschcone Radlo, Jaschcone Kuropatwa, Hinczka de Przemancovo alijsque multis nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus honorabilis Zaclice Cancellarij aule nostre, fidelis nostri dilecti.

(2) *Żukowice* villa Palatinatus Cracoviensis territorii vero Miechoviensis.

CXLV.

In oppido Inowlodz, anno 1393 d. 9 mens. Januarij.

Wladislaus Rex Poloniae, ob fidelia merita Vincentij Granowski Castellani Naklensis, eidem centum marcas grossorum super villa *Krzywa-góra*, inscribit (¹).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque Princeps supremus, ac heres Russie etc. Significamus quibus expedit uniuersis, presencium noticiam habituris: Quod consideratis multiplicibus fidelitatum studijs, ac indefessis laboribus, quibus nostre Magestati fidelis noster dilectus, strenuus Vincencius Granowskij Castellanus Naklensis actenus complacuit, volentes ipsum ad seruicia ampliora nobis in antea exhibenda reddere promptiorem, de nostre iliberalitatis (sic) benignitate, eidem Vincencio centum marchas grossorum, de et super villa nostra regali dicta *Krzywagora*, in terra nostra Maioris Polonie duximus dandas fore atque donandas, ipsasque damus per presentes. Prefatam igitur villam *Krzywagora*, eidem Vincencio conferimus tenendam, habendam, utifruendam et possidendam, cum omnibus et singulis ipsius ville utilitatibus, prouentibus, fructibus, redditibus, censibus et emolimentis uniuersis tamdiu, quousque eedem centum marche eidem Vincencio, integraliter et complete fuerint persolute. Harum, quibus nostrum sigillum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Inowlodz* (²), feria quinta proxima post octavas Epyphanie, anno domini M° CCC° nonagesimo tercio.

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 349 asservato, eique unum sigillum taeniola pergamena appensum, quale in tabula IV. operis „*Zbiór praw Litewskich Poznań* 1841," ab ima parte dextra conspicitur.

(²) *Inowlodz* oppidum ad Pilciam fluvium in Palatinatu olim Lanciciensi situm.

CXLVI.

In villa Liepnow anno 1394 d. 4 m. Februarij.

Abraham dictus Szocha Palatinus Masoviae, villam suam *Sarzeczewo* Magistro Generali Terrae Prussiae, quadringentis marcis thorunensibus vendit (1).

Universis et singulis tam presentibus quam futuris, quibus expedit tenore presencium publice profitemur. Quod nos Abraham dictus Szocha, nostris legittimis cum heredibus utriusque sexus, Palatinus Mazouiensis ac Tenutor Cruschwicensis, bona voluntate, deliberacioneque prehabita, ac adiuti consilijs nostrorum amicorum, villam nostram *Sarzeczewo* dictam, sitam et locatam in Terra Dobrinensi, cum omnibus juribus, dominijs et pertinencijs vniuersis ad eandem villam, in terra et aqua quomodolibet, ut puta: agris cultis et incultis, pratis, siluis, mericis, rubetis, paludibus, piscinis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, cum Wisla fluuio, et insulis ad predictam villam pertinentibus, censibus, fructibus, utilitatibus, redditibus et obuencionibus, qui sunt et in futurum accrescere possunt, veluti in suis metis certis gadibus et terris ab antiquo circumferencialiter limitata est et distincta, omnibusque cum utilitatibus et prouentibus, quemadmodum nos nostris heredibus cum legittimis usi sumus et longo tempore fruebamur, magnifico principique domino domino Magistro Generali Terre Prusie, totique ordini pro quadringentis marcis thorunensis monete vendidimus, que paratis in pecunijs nobis, nostrisque heredibus legittimis utriusque sexus integraliter sunt persolute. Quam quidem villam dictam *Sarzeczewo*, prenominatus magnificus princepsque dominus dominus Magister Generalis Terre Prusie, totusque ordo perpetuis temporibus possidebunt, tenebunt, habebunt, nec non vendere, donare et commutare possunt et ad usus beneplacitos conuertere, prout sue magnificencie, totique ordini utilius videbitur expedire; nichil in dicta villa *Sarzeczewo* pro nobis ac legittimis heredibus nostris utriusque sexus, juris et dominij reseruando. Insuper promittimus nostris cum heredibus utriusque

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 761 asservato, cui sigillum deest.

sexus, sepefatum magnificum principemque dominum, dominum Magistrum Generalem, totumque ordinem Terre Prusie ab omnibus inpedimentis et arrestacionibus, que infra terminum euenire potuerint, secundum consuetudinem Dobrinensis Prouincie indampnes reseruare, ac omni dolo et fraude retroiecta liberare. Ut autem vendicionis huius protestacio tempore perpetuo permaneat valitura, sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum *Lliepnow* anno domini M° CCC° nonagesimo quarto, feria quarta proxima post festum Purificacionis Marie virginis gloriose. Presentibus nobilibus strenuisque militibus: Andrea Dobrinense, Petro Rippinense, Castellanis; Iwano Marschalko Dobrinense, Jacussio de Mosszene Thezaurario Cuyauiensi, Troiano Judici (sic) Dobrinensi, et alijs quam pluribus fide dignis.

CXLVII.

Uscii, anno 1396 d. 29 mens. Januarij.

Wladislaus Rex Poloniae villas suas *Dzadowicze, Kotwaszice* et *Morza*, Sandivogio Palatino Kalisiensi, in ducentis marcis monetae communis obligat (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Supremus Princeps Lytwanie et heres Russie. Notum facimus quibus expedit uniuersis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris. Quod considerantes multiplicia seruicia, per validum virum Sandziwogium Palatinum Kalisiensem, et Capitaneum Maioris Polonie Generalem, nostrum militem fidelem dilectum, maiestati nostre fideliter impensa; horum intuitu ipsum volentes gracia prosequi speciali, et ad futura nostra seruimina reddere prompciorem, villas et hereditates nostras *Dzadowicze, Kotwaszicze* et *Morza* wlgariter nuncupatas, in Terra nostra Maioris Polonie situatas, memorato Sandziwogio et successoribus suis legittimis, in ducentis marcis monete comuniter in Regno nostro decurrentis, quadraginta octo grossos pro qualibet marca computando, obligauimus et tenore presen-

(1) E tabula authentica membranacea, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 350 asseruata. Sigillum appensum taeniola pergamena tale, quale in opere *„Zbiór Praw Litewskich"* in ima parte Tabulae IVae dextrorsum videre licet.

cium obligamus. Quas quidem ducentas marcas sibi donauimus in subsidium, ciuitatem nostram *Lelouiensem* ad exemendum; conferentes nichilominus prelibato Sandziwogio, quod predictas villas et hereditates nostras, alteri cuicumque fideli nostro, in ducentis marcis predicte pecunie, habebit obligandi plenam ac omnimodam facultatem. Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Vsce*, in die dominico post diem Conuersionis Sancti Pauli apostoli, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto. Dum autem predicte ducente marce eidem Sandziwogio per nos fuerint persolute, extunc prescripte ville, ad nostrum dominium reuenient, et reuenire debebunt viceuersa.

CXLVIII.

Cracoviae, anno 1397 d. 6 mens. Februarii.

Vladislaus Rex Poloniae Clementi de *Jastrzembia* dat facultatem obligandi oppidum *Dombie*, Nicolao de *Jastrzemba* Subdapifero Lanciciensi (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithuanieque Princeps supremus, et heres Russie etc. Significamus quibus expedit uniuersis presencium noticiam habituris: Quod veniens ad nostram, baronumque nostrorum presenciam Clemens de *Jastrzamba*, nobis sincere dilectus, non compulsus, nec coactus, neque per errorem seductus, sed ex certa sua sciencia, animoque bene deliberato, nostro tamen regali consensu et voluntate super hoc specialiter accedente, opidum nostrum *Dambe* situm in Terra nostra Lanciciensi, sibi per nos in ducentis marcis obligatum, cum omnibus et singulis utilitatibus, censibus, fructibus, prouentibus, redditibus, pertinencijs et appendijs uniuersis, ad ipsum opidum *Dambe* quomodolibet spectantibus, quibuscumque vocentur nominibus, eo modo et iure, quibus ipsum a nostra

(1) Ex archetypo membranaceo Nro 341 Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Sigillum appensum taeniola pergamena idem quod in opere „*Zbiór Praw Litewskich*," in ima parte Tabulae IVae dextrorsum effictum est.

celsitudine in obligacione solus tenuit hactenus et possedit, prout in litera nostra prefato Clementi *Slanca* super opido predicto data clarius continetur, in ducentis marcis monete communiter decurrentis, numeri polonicalis consueti, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet videlicet computando, nobili Nicolao *Jastrzambecz*, Subdapifero Lanciciensi, nostro fideli et suis heredibus ac legittimis successoribus obligauit, per ipsum Nicolaum *Jastrzambecz*, suos heredes et successores legittimos tenendum, habendum, utifruendum et possidendum tamdiu videlicet, quousque sibi vel suis successoribus et heredibus, supradicte ducente marce per nos aut successores nostros fuerint solute integraliter et ad plenum. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum *Cracouie*, ipso die sancte Dorothee virginis, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo septimo.

CXLIX.

Cracoviae, anno 1398 d. 14 m. Novembris.

Creslaus haeres de *Coscielec* Palatinus Cuiaviensis, promitit se semper Regi Wladislao fidelem fore, neque eum tam in secundis quam in aduersis deserturum (1).

Uniuersis et singulis quibus expedit presencium noticiam habituris. Ego Creslaus heres de *Cosczol* Palatinus Cuyauiensis cupio fore notum: Quod cum Regum gloriam et Regnorum comoda, non aliud magis edificet et attollat, quam subditorum suorum fidelium fidelitas perseuerans, omnisque pars turpis videatur, que suo non congruat uniuerso, proinde ego Creslaus predictus non compulsus, non coactus, nec aliquo errore seductus, sanus mente et corpore, meorumque ultroneo fretus consilio amicorum, volens prout ceteri fideles nobiles Regni Polonie, corregnicole mei, Serenissimo Principi domino Wladislao Regi Polonie, domino nostro gratioso, fideliter assistere, nec aliquid dubietatis de obseruanda fidelitate, eidem in me

(1) E tabula authentica membranacea in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 265, asservata. Sigilli abrupti nonnisi taeniola pergamena restat.

relinquere, ipsi domino Regi Polonie et Corone sue, exnunc adhereo et assisto fideliter sine dolo et fraude. Promittens tenore presencium eundem dominum Regem et Coronam eius usque ad sue regie et mee vite tempora, non deserere in suis prosperis euentibus et aduersis. Neque aliquem alium dominum in Regem michi queram, viuente domino Wladislao Rege meo predicto. Pro pace, honore, comodis et statu, eiusdem domini Wladislai Regis felicibus, et Corone sue stabilimento, pro toto meo posse operam fidelem adhibebo, consilio, auxilio et fauore. Datum *Cracouie,* feria quinta infra octauas Sancti Martini confessoris. Anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo octauo. Sigillo meo in premissorum testimonium presentibus subappenso.

CL.

Cracoviae, anno 1399 d. 18 mens. Augusti.

Vladislaus Rex Poloniae Civibus *Cracoviensibus* praescribit modos judicandi lites et causas, eisque privilegium confert, quod citati sive evocati ad aliquod judicium extra muros Cracovienses, minime comparere tenebuntur (¹).

Vladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyauie, Lythwanie Princeps supremus, Pomeranie Russieque dominus et heres etc. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus universis tam presentibus quam futuris, quibus expedit, presencium noticiam habituris: Quomodo prudentes et honesti Consules, et Universitas ciuitatis nostre *Cracouiensis*, nostri fideles dilecti, ad nostram venientes presenciam, sua nobis relacione monstrarunt, quod inter nonnullos cives nostros et extraneos, in Judicio ejusdem ciuitatis nostre *Cracouiensis* interdum litigantes, quedam indecora consuetudo, que dicenda est pocius corruptela irrepsit taliter, quod idem litigantes tot et tantis multiloquijs, subterfugijs, dilacionibus superuacuis, ac indebitis appellacionibus consueverunt se tueri, adeoque talia in nostrorum fidelium plurima vergunt incommoda atque damna. Quidam

(¹) E libro Metrica Regni dicto Nro XIX. p. 132.

eciam alij valde importuni, inuidie forsitan moti liuore, Consules, Aduocatum, Scabinos, ac ceteros dicte nostre ciuitatis *Cracouiensis* extra murros (sic) ejusdem ciuitatis, non tantum causa jure experiendi contra ipsos, quantum ut eos vexacionibus atterant, laboribus grauent, et expensis attenuent, plurimum euocare soliti sunt et citare; et cum nos non pretereant nostrorum incommoda subditorum, honorque Regis Judicium diligat, et nos humiles, quos eternus Rex unctione sue misericordie in Regni hujus fastigio temporaliter honoravit, illo vivamus intellectu, ut justiciam, a qua deus non recedit, et e contra super omnia diligamus, equitatem unicuique in statera rectitudinis regulantes, et quia rem, que culpa caret, in dampnum vocari non convenit; ut igitur in eadem ciuitate nostra *Cracouiensi*, et quod ubilibet in singulis Regni nostri terminis optamus fieri tempore felicis nostri regiminis, finis litibus judiciarijs congruus imponatur, et materia litium hujusmodi iudiciariarum supervacua, labores, fatige, expense, vexaciones, euocaciones et citaciones, per quas grauantur innoxij, de Regni nostri fimibus amplius habeantur omnino peregrine; ad instantes supplicaciones memoratorum Consulum et Universitatis ipsius civitatis nostre *Cracoviensis*, et eciam consideracione multiplicium et fidelium seruiciorum, nostre Majestati per ipsos non sine veneracione multimoda hactenus exhibitorum et in antea exhibendorum; dictas consuetudines, ymo verius corruptelas perpetuo abolemus, decernentes per presens nostrum Regium edictum, perpetuis temporibus obseruandum ut, quicunque civis vel extraneus in judicio dicte civitatis *Cracouiensis* pro quacunque causa litigans, per aliquam sentenciam interlocutoriam vel diffinitiuam se grauatum presenserit, licet (sic) eidem grauato, prout antiquitus per eterne recordacionis Kazimirum Regem Polonie, inclitum nostrum predecessorem firmatum extitit, ad Aduocatum et Scabinos Supremi Juris Theutonici Maydburgensis, quod et prouinciale dicitur, castri nostri *Cracouiensis* a predictis Aduocato et Scabinis ipsius ciuitatis *Cracoviensis*, et ab eorum sentencia libere appellare. Quod et si aliqua parcium earundem littigancium, siue sit actor siue reus, ibidem in prefato Judicio Juris Theotonici castri *Cracoviensis*, per ipsius Judicij Advocatum et Scabinos se uiderit aggrauatum, extunc ad nostram Regiam presenciam, velut ad Supremum Judicem, prout Meydburgenses dictant leges, appellandi, prouocandi et ipsam sentenciam redarguendi plenam habeat facultatem. Ad quas quidem

appellacionum sentencias, aut sentenciarum appellaciones Juris Theotonici tramite diffiniendas, sentenciandas, ac in nostre Majestatis nomine fine debito terminandas, Capitaneus noster *Cracouiensis*, pro tempore ex delegacione nostra Regia, prout moris est, sibi ad id specialiter facienda, de quatuor ciuitatibus Terre nostre *Cracouiensis,* videlicet de: *Cracouia, Sandecz, Vijelyczka* et *Bochnija,* tres aut duos Consules vel Scabinos, quos prudenciores et experciores in dicto Jure Theotonico Meydburgensi, fore cognoverit, ipso appellatore procurante, citabit, ut ad castrum nostrum *Cracoviense* predictum, ad certum terminum conveniant. Et ibidem prefatas sentencie vel sentenciarum appellaciones, in quibus ad nostram Majestatem ut premittitur appellatum foret, dicto nostro Capitaneo vel ab eodem substituto loco aduocati presidente, diffiniant, sentencient et Jure Meydburgensi predicto pronunccient finaliter et decidant. A quibus quidem diffinicione, pronuncciacione et finali decisione, nostro nomine ut premittitur, factis, non erit, neque esse debet facultas cuiquam ulterius appellandi. Nolumus eciam, ut predicti Consules vel Scabini taliter de ciuitatibus conuocati, pro hujusmodi pronuncciacione et diffinicione sentencie vel sentenciarum, nostro nomine ut predicitur, factis ad aliqua judicia spiritualia vel secularia per quempiam trahantur, aut aliter pro eo quomodolibet molestentur. Preterea, cum in eorundem Consulum et Universitatis ipsius civitatis nostre *Cracoviensis* commodis et successibus felicibus specialiter prosperemur, unde cupientes ipsos sub alas (sic) benignitatis nostre ab incursibus aduersis et periculis preseruare, addicimus specialiter observandum: quod omnes et singuli ciues et incole ejusdem civitatis nostre *Cracouiensis* non alias, quam ad Advocati, et Scabinorum ipsius ciuitatis, idem vero Aduocatus et Scabini ad suorum Consulum presencias debeant euocarj; Consules autem non alicubi alias, quam ad nostre Majestatis audienciam, dum-tamen *Cracouie* seu in castro *Cracouiensi* constituti fuerimus, aut ad illius cui specialiter committendum duxerimus, ad castrum duntaxat *Cracouiense* predictum, per literam nostram Regiam, saluis ipsorum priuilegijs, euocari poterint (sic) et citari. Quod si quoquomodo ad alios Regni nostri quosuis iudices ad alia loca, a quocunque seu pro quacunque causa, prefati Ciues, Aduocatus, Consules vel Scabini extra murros dicte civitatis *Cracouiensis,* contra presens nostrum indultum quomodolibet euocati siue citati fuerint, comparere minime tenebuntur, nec

aliquas penas solvent. Et nos penas hujusmodi quorumvis Regni nostri Judicum, Subjudicum, Officialium et Ministerialium eorundem, racione hujusmodi non comparicionis contra memoratos Ciues, Aduocatum, Consules et Scabinos seu aliquem ipsorum comuniter vel diuisim, fulminatas cassantes et irritantes, nullius efficacie, roboris esse volumus vel momenti, decernentes omnia et singula premissa obtinere robur perpetue firmitatis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum *Cracouie,* feria secunda infra octauas Assumpcionis Sancte Marie Virginis gloriose, anno domini millesimo tricentesimo nonagesimo nono. Presentibus validis: Johanne de *Thanczyn* Castellano Cracouiensi, Johanne de *Tharnow* Sandomiriensi, Johanne Liganza Lanciciensi Palatino (sic); Gnijewossio de *Dalewycz* Succamerario Cracouiensi, Petro Kmythe Castellano Lublinensi, Petro Schaffranijecz Dapifero Cracouiensi, et alijs generosis quam pluribus nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus Reuerendi in Christo domini Nicolai Episcopi Wladislauiensis et Generosi Zaklijcze aule nostre Cancellarij, nobis sincere dilectorum.

CLI.

Radomiae, anno 1401 d. 11 mens. Martii.

Jura et priuilegia Magni Ducatus Lithuaniae rata firmaque declarantur ab Ordinibus Regni Poloniae (¹).

In nomine domini, amen. Quia tunc multis errorum et dubiorum incomodis prudenter occurimus, dum gesta etatis nostre literarum apicibus et

(¹) E tabula authentica membranacea in tabulario Principum Radziwillorum asseruata. Huic tabulae appensa sunt adhuc viginti tria sigilla mediae magnitudinis exhibentia insignia personarum in exordio hujus tabulae allatarum, nonnulla sigilla desiderantur. Privilegium hoc, quod merito primum documentum Unionis inter Poloniam et Lithuaniam initae haberi potest, nunquam ad hunc diem typis exaratum est. Notum privilegium ejusdem anni, omnibus corporibus jurium et statutorum, videlicet: Voluminibus Legum, Statutis Lascii, Sarnicii, Pryluscii, Herburti, Collectioni Jurium Lithuanicorum (Zbiór praw Litewskich) alijsque insertum, eo differt a nostro nunc primum exarato, quod illud concinnatum est a Praelatis et Baronibus Lithuanis, hoc autem a Praelatis et Baronibus Polonis; illud conscriptum est Vilnae die 18 Januarii, hoc vero duobus

testium annotacione perhennamus: Proinde nos Prelati, Barones, Nobilis et Universitas Terrigenarum Regni Polonie, videlicet: Dobrogostius dei gracia Sancte Gneznensis Ecclesie Archiepiscopus, Petrus Cracoviensis, Nicolaus Wladislaviensis, et Albertus Poznaniensis Episcopi; Johannes de *Thanczin* Castellanus Cracoviensis, Zaklica Cancellarius, Clemens Wicecancellarius Aule Regalis; Nicolaus Woyniciensis, Cristinus Sandecensis, Castellani; Michael Judex, et Gnewossius Subcamerarius, Cracovienses; Johannes de *Tharnow* Palatinus, Cristinus de *Ostrow* Castellanus, Sandomirienses; Petrus Rpischta (sic) Wisliciensis, Petrus Kmithe (sic) Lubliuensis, Clemens Radomiensis, Imramus Zawichostensis, Castellani; Albertus Judex, et Spythco Subcamerarius, Sandomirienses; Sandziwogius Swidwa Palatinus, Mosczyc Castellanus, Poznanienses; Johannes Srzemensis, Woythco Camenensis, Castellani; Sandziwogius Palatinus, Swenthoslaus Castellanus, Mathias Judex, Kalisienses; Johannes Gneznensis, Wincencius de *Granow* Naklensis, Castellani; Jacobus Conieczpolsky Syradiensis Palatinus; Martinus Castellanus, Wenceslaus Judex, et Przeczslaus Subcamerarius, Syradienses; Thomco Subpincerna, Maioris Polonie Capitaneus, Petrus Schafranyecz Subdapifer Cracoviensis, et Sbigneus Marschalcus Curie Regalis, Kreslaus Brestensis, et Mathias Wladislaviensis, Palatini; Woythco Brestensis, Johannes Kruschviciensis, et Martinus Wladislaviensis, Castellani; Martinus Brestensis, et Jaroslaus Wladislaviensis, Judices; Johannes Palatinus, Johannes Castellanus, Stanislaus Pincerna, Mstischco Venator, Nicolaus Jastrabecz Subdapifer, et Petrus Judex, Lancicienses; Mathias dictus Maczuda Wladislaviensis Palatinus, Bernhardus Judex Welunensis cum Benassio fratre suo germano Benco Capitaneo Halicensi, Johannes Mazovita (?), ceterique Terrigene Terrarum Russie: Significamus tenore presencium quibus expedit universis: Quomodo eo tempore, quo Serenissimum Principem Dominum Wladislaum Regem Polonie, Supremum Principem Lithuanie et heredem Russie etc., dominum nostrum graciosissimum, de gentilitatis tenebris educentes, in

fere mensibus post, die enim 11 Martii Radomiae. Hoc itaque diploma explet illud prius, simulque probat jam ineunte saeculo XV^{to}, utriusque gentis Unionem, quae jam parabatur, consensu utriusque populi accedente, initium cepisse, peculiarique privilegio ab utroque populo conscripto firmatam fuisse. Licebit nobis idem animadvertere anno 1413, qui celeberrimus factus est Unione in oppido Horodło inita.

Regem Polonie et dominum nostrum assumpsimus; Principesque, Barones, Nobiles et quosvis Incolas Terrarum ipsius Lithuanie, per assumpcionem sacre fidei ortodoxe nobis adunavimus, cum quibus per fidem facti unanimes, ipsis firma fide et inviolabili sponsione promisimus et tenore presencium promittimus toto posse et viribus, contra insultus quorumlibet hominum assistere, et eos in eorum necessitatibus sine dolo et fraudo (sic) adiuvare: eorumque profectus, commoda, utilitates et bonum commune velud proprium salubri et fideli disposicione ordinare; quod et ipsi nobis pari modo tenebuntur facere vice versa. Demum, quia predietus Dominus Wladislaus Rex Polonie et dominus noster graciosissimus, ex speciali confidencia magnifico et preclaro Principi domino Allexandro alias Wythowd Duci Lithuanie etc. Supremum Principatum Terrarum earundem Lithuanie et ceterorum dominiorum suorum Ducatus dedit et contulit, et eum loco sui in eisdem statuit ad vite ipsius terminum ultimum et extremum; eundem dominum Allexandrum alias Wythowd constanciori fiducia prosequi volentes, et prout ipsum iustum est reddere cerciorem, firma sponsione et inviolabili promisso, sibi tenore presencium promittimus, quod eum dominus noster Rex predictus circa Principatum Supremum Terrarum Lithuanie, et ceterorum dominiorum suorum Ducatus, ad vite ipsius Ducis Wythowd tempora conservabit, iuxta tenorem literarum per Dominum Regem ipsi Duci Wythowdo concessarum. Ita tamen, quod post decessum eiusdem Ducis Wythowdi, Supremus Principatus Terrarum Lithuanie et ceterorum dominiorum suorum Ducatus, una cum bonis et Terris eiusdem Ducis Wythowdi personalibus, iuxta tenorem literarum per predictum dominum Wythowdum ipsi domino Regi collatarum, ad ipsum dominum Regem et ad eius successores, ac Coronam Regni Polonie debent reverti, devolvi et reddire (sic). Illo eciam non obmisso, quod si dominus noster Wladislaus Rex predictus, quod Deus avertat, sine prole decesserit, extunc sine scitu et consilio ipsius Ducis Wythowdi et Baronum, Nobiliumque et Terrigenarum Terrarum Lithuanie predictarum, Regem et dominum nobis eligere non debemus aut vocare. Cum quibus firmam et constantem tenentes fiduciam, in dulcedine fidei et visceribus Jesu Christi perpetuam et irrevocabilem cum ipsis servabimus unionem. Harum, quibus sigilla nostra sunt appensa, testimonio literarum. Actum et datum in *Radomy,* in vigilia sancti

Gregorii, anno domini millesimo quadringentesimo primo. Hec autem tenere et servare promittimus, juribus libertatibus et privilegiis nostris in omnibus semper salvis.

CLII.

Sochaczoviae, anno 1402 d. 13 mens. Maii.

Nicolaus Judex Sochaczoviensis dirimit litem inter heredes de *Szczytno* et heredes de *Orly* ortam (1).

Nos Nicolaus Judex Sochaczoviensis heresque de *Swaroczino,* una cum Mroczkone Subiudice ibidem, tenore presencium notificamus tam presentibus quam futuris, quibus expedit uniuersis: Quod quemadmodum res querimonij acta fuisset et extitisset inter nobiles viros heredes de *Sczithno* videlicet: Nicolaum, Boguslaum, Reciborium, Phalislaum et Lossonem, nec non singulorumque (sic) fratrum ipsorum parte ab una; et inter validos viros: Stanislaum, Mroczkonem, Petrum, Meczslaum, Paulum, Laurencium et filios Jaroslai pye recordacionis, heredumque de *Orly* parte ab altera, pro granicijs factis et constructis per premissos heredes de *Sczithno* ultra paludem Jumenti; et pro hereditate wlgariter *Ruda,* sita in districtu Sochaczoviensi; eandem relacionem ceperunt ab utrisque partibus ad circumspectum virum Jacobum preconem Sochaczoviensem. Qui quidem cognouit, quod premissam hereditatem emerunt apud fratres regulares de *Czirwensko* sanctique Augustini ordinis pro quadam certa summa pecuniarum cum consensu Serenissimi Principis Antiqui Semouithi Ducis Mazovie. Adjutique nobilium virorum consilio nobiscum pro tribunali residencium, premissam hereditatem *Ruda* premissis validis viris heredibus de *Orly* et eorum legitimis adjudicauimus, et presentibus adiudicamus perpetuis temporum successibus, cum omnibus et singulis utilitatibus, que ibidem sunt, uel haberi possint in futurum. Premissisque nobilibus viris heredibus de *Sczithno* et eorum legitimis, et

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 1066 asservato. Sigillum deest.

qui ad premissa spectare videbuntur, perpetuum silencium inponentes. In cuius rei testimonium, sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum et actum *Sochaczovie*, feria sexta ante festum Penthecosten (sic). Presentibus hijs nobilibus viris: Sassino Castellano, Woynone Vexilifero, Pyrzchala Thezaurario, Sochaczoviensibus; Przibislao Capitaneo Rawensi, Andrea Notario Sochaczoviensi, et alijs quam plurimis fide dignis. Anno domini M° quadringentesimo secundo.

CLIII.

Cracoviae, anno 1403 d. 11 m. Maii.

Nobilis Nicolaus heres de *Czarnocin* medietatem villae suae *Mikluszowice* Nobili Jascheoni de *Wierzbno* centum et octoginta marcis grossorum pragensium vendit (¹).

Nos Michael Judex et Dobeslaus Subiudex Terre Cracouiensis Generales. Notum facimus quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quod cum pro tribunali in Colloquio generali sedebamus, tunc accedens ad nostram nostrorumque assessorum presenciam nobilis vir Nicolaus heres de *Czarnocyn*, sanus mente pariter et corpore existens, non compulsus, nec coactus, sed de bona voluntate sua jugiter prehabita, totam medietatem suam ville *Miclussouice* dicte ipsum quomodolibet concernentem, cum ipsius medietatis ville toto jure patronatus ecclesie ibidem, et omnibus juribus, dominio, utilitatibus, fructibus, redditibus, prouentibus, incolis, censsibus (sic), areis, edificijs, domibus, tabernis, molendinis, ortis, agris, campis, pratis, pascuis, piscinis, lacubus, aquis, fluuijs, siluis, borris, mellificijs, nemoribus, gagijs, rubetis, quercetis, mericis, ac uniuersis pertinencijs, nichil pro se et successoribus suis ibidem juris, dominij uel utilitatis reseruando, nobili viro Jascheoni heredj de *Wirzbno*, et ipsius posteris legittimis, pro centum et octuaginta marcis grossorum pragensium, numeri polonicalis consueti in totum vendidit et imperpetuum coram nobis

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 1498 asseruato, cui duo sigilla taeniolis pergamenis appensa erant, quae nunc desiderantur.

judicialiter resignauit (promittens ipsum Jaschconem occasione premissorum, ab omni impedimento atque dampno, juxta jus terrestre infra tres annos et tres mensses (sic) proximos ubilibet releuare) per eundem Jaschconem premissa omnia jure hereditario et perpetualiter tenenda, habenda, utifruenda, possidenda et in usus ipsius beneplacitos libere conuertenda. In cuius rei testimonium, sigilla presentibus nostra sunt appenssa (sic). Actum et datum *Cracouie* in Colloquio generali, feria sexta proxima post festum sancti Stanislai tempore mensis Maij, anno domini millesimo CCCC° tercio. Presentibus strenuis dominis: Johanne de *Thanczyn* Cracouiensi, Cristino Sandecensi, Imramo Zauichostiensi, Cristino Sandomiriensi, Clemente Radomiensi, et Clemente Czechouiensi Castellanis, pluribusque alijs testibus fide dignis.

CLIV.

Korczyni, anno 1404 d. 29 mens. Augusti.

Vladislaus Rex Poloniae Consulibus civitatis *Radziejoviensis* salem minutum vendendum concedit ea tamen conditione, ut lucro inde percepto oppidum in melius mutetur (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythuanieque Princeps suppremus et heres Russie etc. Significamus harum serie, quibus expedit uniuersis. Quomodo cupientes ciuitatis nostre *Radzeijouiensis* condicionem meliorem facere, et usus ac utilitates ipsius adaugere, Consulibus eius, et nulli alteri, de innata celsitudini nostre clemencia, hanc facultatem concessimus et concedimus tenore presencium, quod in ciuitate nostra *Radzeyouiensi,* sal minutum ad nostre voluntatis beneplacitum vendere possunt, quantitatem in exquirendo lucro de sale huiusmodi nullomodo excedentes. Quod quidem lucrum vendicionis salis minuti huiusmodi, ipsi Consules *Radzeijouienses,* qui pro tempore fuerint, pro melioracione ciuitatis *Radzeijouiensis,* dare et imponere tenebuntur. Quocirca vobis Capitaneis Cuyauiensibus, ac Burgrabijs

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 628 asseruato. Sigillum deest. Tabula haec praecisa.

et Tenutarijs Radzeijouiensibus, qui pro tempore fueritis, damus nostris strictis regalibus in commissis omnino habere volentes, quatenus prenotatos Consules Radzeijouienses, qui pro tempore, ut premittitur, fuerint, in vendicione minuti salis prescripti impetere nullatenus debeatis, ad voluntatis nostre beneplacitum ut preffertur. Aliud pro nostra gracia facere non ausuri. Datum in *Nouaciuitate* alias *Korczin,* ipso die Decollacionis beati Johannis, anno domini millesimo quadringentesimo quarto, nostro sigillo presentibus subappenso.

CLV.

Lendae, anno 1405 d. 24 m. Junii.

Wladislaus Rex Poloniae viginti marcas monetae in et super villa sua *Morza* Nicolao haeredi de *Lubomirz* assignat (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque princeps suppremus et heres Russie etc. Significamus quibus expedit uniuersis. Quomodo attente mentis intuitu perpendentes et in animo reuoluentes grata et multum accepta seruicia, que celsitudini nostre Nicolaus dictus Slanka heres de *Lubomirz* exhibuit, et in futurum, aucto fidelitatis studio, prestancius poterit exhibere; quorum intuitu cupientes ipsum specialium graciarum prosequi fauoribus, et ad obsequia nostra reddere prompciorem, sibi in et super villa nostra *Morza,* in districtu Kalisiensi sita, viginti marcas monete numeri et ponderis polonicalium assignauimus et dedimus, damusque et assignamus, quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando. Quam quidem villam *Morza* idem Nicolaus Slanka cum omnibus censibus, redditibus, agris, pratis, campis, siluis, nemoribus, pertinencijs et appendijs uniuersis tenebit, habebit et pacifice possidebit tamdiu, quousque sibi dicte viginti marce monete eiusdem per nos uel successores nostros fuerint integraliter persolute. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio litterarum.

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 399 asservato, cui sigillum deest.

Datum in monasterio nostro *Landa*, quarta feria ipso die beati Johannis Baptiste, anno domini millesimo quadringentesimo quinto. Ad relacionem domini Manziconis Pincerne domini Regis ([2]).

([2]) De hac relacione vide quae T. Czacki in opere suo „*O Lit. i Polsk. Praw.*" ed. Wars. T. I. p. 259 p. 1145 attulit.

CLVI.

Cracoviae, anno 1406 d. 11 mensis Martii.

Decretum, quo oppidum *Szrem* Wladislao Regi Poloniae adjudicatur ([1]).

Nos Johannes Judex et Dobeslaus Subiudex Terre Cracouiensis generales. Significamus quibus expedit uniuersis tam presentibus, quam futuris presencium noticiam habituris. Quod cum strennuus miles dominus Wincencius de *Granow* Castellanus Naclensis materiam questionis pro et super opido dicto *Srzem* cum ipsius pertinencijs, contra et aduersus Serenissimum Principem dominum et dominum Wladislaum dej gracia Regem Polonie etc. dominum nostrum graciosum mouisset et questionaliter proposuisset, dicens: quomodo se sibi (sic) idem dominus Rex, sua potencia de (sic) dicto opido contra litteras pie recordacionis Serenissime Principis domine et domine Hedwigis dej gracia olim Regine Polonie etc., et eius munimenta intromisisset: in quibus continebatur munimentis, qualiter sibi predicta domina Regina de dicto opido et eius pertinencijs ad tempora vite sue prouidisset et ipsum graciosius redonasset. Tandem prenominatus dominus Rex volens veritati et iusticie obuiare, ipsamque nulli poscenti denegare, dominos Prelatos et Barones Regni sui Consiliarios ad discernendum premissa deputauit, et ipsos de sua speciali gracia collocauit. Qui domini prenarrati materia questionis inter partes mota, sufficienterque auscultata et masticata, ipsorum suffultus (sic) consilio, iuxta tenorem et contenta priuilegij terre

([1]) E tabula authentica pergamena in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae N[ro] 305 asseruata. Tabulae appensa sunt taeniolis pergamenis duo sigilla, quorum imagines deletae.

suam per magnificenciam donati graciosius, prefatum opidum cum eius pertinencijs sepefato domino Regi adiudicauimus, et presentibus imperpetuum adiudicamus, memorato vero Wincencio Naclensi, ut prefertur Castellano, abiudicauimus, perpetuum sibi silencium imponentes. Harum, quibus sigilla nostra appensa sunt, testimonio litterarum. Actum et datum *Cracouie*, feria quarta ante dominicam Oculi sub anno incarnacionis domini millesimo quadringentesimo sexto. Presentibus hijs wenerabilibus et magnificis: Nicolao Archiepiscopo Gnezenensi (sic), Petro Cracouiensi, Alberto Pozaniensi (sic) Episcopis; Johanne Cracouiensi Castellano, Petro Kmithe Cracouiensi, Cristino Sandomiriensi, Johanne Liganza Lanciciensi, Pallatinis; Gnewossio Sandomiriensi, Michaele Lublinensi, Cristino Sandeczensi, Johanne Lanciciensi, Nicolao Woyniciensi, Castellanis; ceterisque quam pluribus fide dignis.

CLVII.

Lanciciae, anno 1408 d. 29 mens. Junii.

Sententia lata in causa judiciali inter Wladislaum Regem Poloniae ab una et Ziemowitum Ducem Masoviae parte ab altera acta, qua villa *Doninow* Regi et Regno Poloniae adjudicatur (1).

Nos Johannes de *Oleschnicza* Judex Cracouiensis Generalis et Judex Comissarius per Serenissimos Principes et dominos dominos Wladislaum dei gracia Regem Polonie etc. ab una, et Semouithum eadem gracia Ducem Mazouie parte ab altera in causa infrascripta specialiter deputatus. Ad perpetuam rei memoriam. Significamus quibus expedit uniuersis presentibus et futuris presencium noticiam habituris. Quod cum materia questionis inter predictos Principes, dominum Regem Polonie etc. ab una, et dominum Semouithum Ducem Mazouie etc., ut premittitur parte ab altera, pro et super villa *Doninow* dicta, sita inter limites Terre Cuyauie, judicialiter coram nobis *Lancicie* fuisset mota; quam causam, ut eo plenius inter partes justicie

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 47 asservato. Sigillum desideratur. Restat solum taeniola pergamena, qua appensum erat.

plenitudinem valuissemus experiri, in crastino Assumpcionis beate Marie virginis in Nouaciuitate alias *Korczin*, deinde ad Colloquium generale post festum Sancti Michaelis Archangeli immediate sequens *Cracouie* celebratum duximus deuoluendam, terminos ipsis juridicos utrisque partibus ibidem prefigentes; ac demum ne parti aduerse, videlicet duci Semouitho antedicto, propter loci distanciam, preiudicium a nobis fieri visum fuisset, eciamque consonum et condignum nostre apparuit racioni, ut, ubi causa inchoata fuit, ibidem debuit (sic) et finiri, terminum eis sepefatis utrisque partibus peremptorium et ultimum assignauimus, quarta die domini Regis *Llancicie* felicem post ingressum. Termino vero huiusmodi antedictis utrisque partibus per nos prefixo ibidem *Llancicie* ut prefertur veniente, ubi multitudo dominorum Prelatorum, Baronum et Dignitariorum tam Regni Polonie, quam eciam Ducatus Mazouiensis nobiscum judicio presidebat, intelleximus, quod materia questionis in facto ville predicte ad limitacionem granicierum omnino se extendit; sepefatis partibus utrisque inter Regnum Polonie et Ducatum Mazouiensem predicta, granicierum limitacionem cum probacionibus consuetis dare decreuimus, consilio dominorum Jurisperitorum, Prelatorum et Baronum pretactorum mediante. Ipse enim dominus Dux Semouithus pro rato et grato huiusmodi nostrum decretum habere nolens, jurique obedire renuens, de judicio contumacialiter recessit ab eodem. Nos vero ultra consuetudinem terre et judicum jura, ultra quam oportet, prima, secunda, tercia et quarta, ex superhabundanti vice clamantes: si quis contra ferendam nostram sentenciam dicere wlt vel ipsam arguere: arguat, aut dicat; quia huiusmodi sentenciam ferre volumus, eamque judicialiter declarare. Nemine tunc contradicente, predictam villam *Doninow* cum omnibus et singulis ipsius pertinencijs et obuencionibus uniuersis, pleno jure et dominio, ob ipsius domini Ducis Semouithi predicti contumaciam, jurisque ac judicij inobedienciam, Serenissimo Principi et domino domino Wladislao dei gracia Regi Polonie etc., ut premittitur predicto, de consilio dominorum Prelatorum et Baronum predictorum, temporibus perpetuis adiudicauimus et presentibus adjudicamus; Ducique Semouitho predicto super huiusmodi villa *Doninow* perpetuum silencium inposuimus, nostra diffinitiva sentencia mediante. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio litterarum. Actum et datum *Llancicie*, feria quarta proxima infra octauas sancti Johannis Baptiste,

sub anno domini millesimo quadringentesimo septimo. Presentibus hijs dominis: reuerendo in Christo patre et domino domino Nicolao dei gracia Archiepiscopo Gneznensi, Petro Cracouiense (sic), Sandiwogio Poznaniensi, Jacobo Siradiensi, Pallatinis; Cristino Sandeczensi, Clemente Visliciensi, Janussio Kalisiense (sic), Johanne Krusuiciense, Castellanis; Jacobo Kalisiense, Nicolao Poznaniense, Petro Siradiense, et Petro Lanciciense Judicibus Generalibus et alijs pluribus fide dignis.

CLVIII.

Gneznae, anno 1408 d. 12 mens. Junii.

Judicium Dobrinense dirimit litem inter Vladislaum Regem Poloniae et Iwonem dictum Marsalek ortam, idque super decem millibus florenorum (¹).

Nos Andreas de *Virzbiczsko* Judex et Nicolaus de *Slotopole* Subiudex Dobrinenses, omnibus et singulis presentibus et futuris, et ad quos presentes deuenerint, publice profitemur et ad noticiam deducere volumus. Quomodo Serenissimus Princeps et dominus noster dominus Wladislaus dei gracia Rex Polonie et Dobrinie etc. de anno domini M° CCCC septimo *Gnezne* circa adventum suum, coram strenuijs ac nobilibus viris dominis: Sandiuogio Poznaniensi, Mathia Kalisiensi, Creczslao Brestensi, Jacobo Syradiensi, Palatinis; Thomislao Sandomiriensi, Clemente Visliciensi, Johanne Srzemensi, Janussio Medzirzecensi, Georgio Byechouiensi, Martino Syradiensi, Alberto Caminensi, Castellanis; Paskone Poznaniensi, Alberto de Trlang Kalisiensi, Miklone Dobrinensi, Subcamerarijs; Nicolao Poznaniensi, Jacussio Jaca Kalisiensi, Martino de *Baruchowo* Brestensi, Judicibus; Jaroslao Poznaniensi, Nicolao Lanciciensi, Vexiliferis; Bodzantha Subiudice, Sandiuogio Subpincerna, Kalisiensibus; ceterisque dominis Judicio Regali tunc ibidem presidentibus;

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae N^ro^ 1073 asseruato. Sigilla duo in cera viridi expressa, inclusa tegumento e cera vulgari facto. Primum eorum habet insigne Dołęga dictum et inscribitur: „*S. Andree iudicis dobrin*" alterum insigne Leszczyc dictum, inscribitur: „*S. Nicolai de Sloto...... subiu.*" Utrumque appensum est taeniolis pergamenis.

proposuit judicialiter contra Iwonem dictum Marsalek de *Radomino* heredem, terrigenam dobrinensem, inculpando ipsum in decem millibus florenorum. Ex aduerso Iwo Marsalcus heres de *Radomino* respondit dicens: se non teneri, nec esse culpabilem predicto domino Wladislao Regi Polonie in dictis decem millibus florenorum. Tandem domini superius desscripti (sic), auditis proposicionibus et responsionibus parcium predictarum, senteneiauerunt testes producere dicto Iwoni ad expurgandam innocenciam suam erga predictum dominum Regem pro dictis decem millibus florenorum, terminum eidem in terra dobrinensi super produccione testium assignantes et prefigentes. Quo quidem termino adveniente, in quo testes producere debuit, eosdem testes producere non potuit. Extunc senciens: se causam suam amississe (sic), et perdidisse et fore condempnatum: tunc veniens de anno domini M° CCCC octauo, sabbato proximo post festum Ascensionis domini in *Dobrin,* ad Dominos Dobrinenses et ad ceteros, qui Judicio Regali protunc presidebant, pecijt: se per ipsos *Gneznam* ad ferendam sentenciam finalem remitti, ubi plures Domini ad Judicium Regale locarentur et presiderent eidem. Cuius peticionibus anuentes Domini Judicio Regali tunc in Dobrin presidentes, cumque iusta petentibus non est denegandus assensus, ipsum iuxta petita sua *Gneznam* ad videndum et audiendum sentenciam ferrij in causa et facto predicto remiserunt. Tandem veniente eodem termino sibi *Gneznam,* ut prefertur, per Dominos tunc Judicio in *Dobrin* presidentes assignato et prefixo: cum Domini superius descripti, *Gnezne* de anno ut supra feria tercia proxima ante festum Corporis Christi circa aduentum domini nostri domini Wladislay Regis predicti, pro tribunali sederent ac ad Judicium Regale locarentur: audita ergo recognicione et relacione Dominorum Dobrinensium, quod testes ergo dominum nostrum dominum Wladislaum Regem Polonie non produxit; ac meritis cause huiusmodi intelectis et cognitis, solum deum pre oculis habentes, ex consensu unanimi, et matura deliberacione prehabita sufficienti, adiudicauerunt quinque millia florenorum predicto domino Wladislao Regi Polonie etc., in dicto Iwone de *Radomino* herede, et alia quinque millia florenorum nominatus dominus Wladislaus Rex Polonie etc., ad peticiones incliti Principis domini domini Vitholdi Ducis Lithuanie ac magnificy (sic) domini... (sic), Magistri Generalis Cruciferorum, dicto Iwoni Marsalco heredi in *Radomino* libere dimisit et indulsit. In quibus quidem

quinque millibus florenorum, nominato domino Wladislao Regi Polonie etc. per Dominos adiudicatorum in dicto Iwone, Domini superius descripti sententenciauerunt demandantes intromittere et inpossessionare predictum dominum Wladislaum Regem Polonie etc. ad bona hereditaria dicti Iwonis. Que bona predictus dominus Wladislaus Rex Polonie tenebit et possidebit in eisdem quinque millibus florenorum tamdiu, quousque sibi dicta quinque millia florenorum per predictum Iwonem fuerint integraliter persoluta. Super quibus prefatus dominus Wladislaus Rex Polonie etc., racione memorie soluit iudicatum; ac ad maiorem evidenciam super omnia premissa, et sentenciam contra predictum Iwonem de *Radomino* heredem, sic ut prefertur de jure latam, de Judicio postulauit literam habere judicialem: Nos vero de mandato suprascriptorum Dominorum et unanimy (sic) consensu ipsorum, presentem literam prenominato domino Wladislao dei gracia Regi Polonie dedimus nostrorum sigillorum sub appensione, iuxta decreta Dominorum prescriptorum. In huius rey (sic) testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Data et lata est sentencia presens *Gnezne* feria tercia proxima ante festum Corporis Christi, presentibus omnibus strenujs ac nobilibus Dominis superius descriptis, sub anno domini M° CCCC octauo, ut supra.

CLIX.

Cracoviae, anno 1409 d. 21 mens. Novembris.

Wladislaus Rex Poloniae villam *Wroblow* certa pecuniae summa Nobili Thomconi de *Komorniki* obligat (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Litwanieque Princeps Supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis. Quomodo Thomconi de *Comorniky* nostro fideli dilecto, villam nostram

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 326 asseruato. Sigillum appensum taeniola pergamena, diuisum in quatuor campos, quorum primus summus ad dextram partem sigilli, et quartus imus ad sinistram partem exhibent aquilam polonicam, duo vero reliqui repraesentant equitem armatum lithuanicum. Inscribitur: „*S. Wladislai* etc." Diploma hoc pluribus locis praecisum.

Wroblow in Terra et districtu Welunensi sitam, in centum marcis grossorum pragensium, in quibus ipsam dudum tenuit a nobis obligatam et quadraginta monete communiter decurrentis, quas ab ipso effectualiter accepimus, obligauimus et tenore presencium obligamus cum omnibus et singulis ipsius utilitatibus, censibus, fructibus, molendinis, prouentibus et alijs pertinencijs ad ipsam spectantibus per ipsum habendam, tenendam quiete et pacifice possidendam tamdiu, quousque sibi predicte centum marce grossorum pragensium et quadraginta monete decurrentis, per nos uel nostros successores ex integro fuerint persolute. Quibus solutis, villa predicta ad nos et nostros successores reddire (sic) debebit pleno iure. Sic eciam, quod eandem villam nonnisi proprijs pecunijs tantummodo pro nostra necessitate redimere debebimus. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Cracouia* feria quinta proxima post festum beate Helizabeth, anno domini millesimo quadringentesimo nono etc. Relacio domini Nicolai Vicecancellarii.

CLX.

In oppido Gliniany, anno 1410 d. 19 m. Maji.

Wladislaus Rex Poloniae, ducentas marcas Joanni de *Calinowa*, in villa sua *Maczow* in districtu Calissiensi inscribit (¹).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque Princeps Supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis presencium noticiam habituris. Quomodo attendentes fidey constanciam, constantisque fidelitatis merita, quibus Nobilis Johannes de *Kalynowa* fidelis noster dilectus nobis complacuit, et aucto fidelitatis studio in posterum prestancius poterit complacere; horum intuitu meritorum ipsum volentes nostrarum graciarum speciali prerogatiua prevenire, et ad nostra seruicia continuo reddere prompciorem, in et super villa nostra *Maczow* et allodio dicte ville in districtu Kalisiensi sitis, sibi ducentas marcas numeri et ponde-

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 407 asservato. Sigillum deest. Tabula praecisa fortasse eam ob causam, quod debita pecunia soluta fuerat.

ris polonicalium, scilicet XL[ta] octo grossos in quamlibet marcam computando. Centum videlicet et quinquaginta marcas, quibus de nostra voluntate et consensu predictam villam et eius allodium redemit, et quinquaginta marcas racione ipsius fidelium obsequiorum denuo assignauimus graciose, et tenore presencium mediante, in villa et allodio supradictis donamus, damus, conferimus et ascribimus. Quam quidem villam *Maczow* cum suo allodio, Johannes predictus cum omni jure et dominio, agris, pratis, campis, borris, siluis, gaijs, mericis, nemoribus, aucupacionibus, venacionibus, mellificis (sic), piscinis, piscaturis, lacubus, paludibus, aquis, molendinis et emolimentis, censibus, fructibus, prouentibus, redditibus, pertinencijs, appendijs ac coherencijs uniuersis, prout predicta villa et ipsius allodium in suis limitibus et granicijs, ab alijs circumferencialiter est diuisa et distincta, tenebit, habebit, utifruetur et quiete possidebit tam diu, quousque predictas ducentas marcas sibi uel suis legittimis successoribus, per nos aut nostros successores integraliter fuerint persolute. Quibus ducentis marcis predictis solutis, dicta villa cum allodio ad nos, uel ad successores nostros pleno iure diuolui (sic) et redire debebit. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum in *Glynani* (sic) (²), feria secunda in crastino Sancte Trinitatis, anno domini millesimo quadringentesimo decimo.

Relacio venerabilis domini Johannis Decani et Canonici Cracouiensis, Regni Polonie Vicecancellarii.

(²) *Gliniany* oppidum in antiquo Palatinatu Russiae Terra vero Leopoliensi situm.

CLXI.

Sandomiriae, anno 1411 d. 2 mens. Martii.

Wladislaus Rex Poloniae villam suam *Boguszyce* Nobili Stanislao de *Szczkow* 150 marcis obligat (¹).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque Princeps supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis.

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae N[ro] 397 asservato, cui sigillum deest.

Quomodo volentes Stanislaum de *Sczkowo*, de centum quinquaginta marcis, in quibus sibi racione seruiciorum nobis per ipsum in expedicionibus prestituorum (sic) et dampnorum, que incurrit in eisdem, obligamur, reddere cerciorem, sibi villam nostram *Bogussicze* in districtu Cuyawiensi sitam, in eisdem duximus obligandam et tenore presencium obligamus, per ipsum uel eius successores cum omnibus et singulis ipsius utilitatibus, fructibus, censibus, redditibus et prouentibus, nec non attinencijs pertinencijs, et appendijs uniuersis ad ipsam quomodolibet spectantibus ab antiquo, prout in suis metis et granicijs longe, late et circumferencialiter est distincta, habendum, tenendum, utifruendum et pacifice possidendum tamdiu, quousque sibi, uel eius successoribus centum quinquaginta marce predicte fuerint persolute integraliter et ex toto. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est appensum, testimonio literarum. Datum in *Sandomiria* feria secunda proxima post dominicam Jnuocauit anno domini millesimo quadringentesimo undecimo. — Relacio Sbignei Marsalci etc.

CLXII.

Horodli, anno 1413 d. 2 mens. Octobris.

Prelati Barones Nobiles et Proceres Regni Poloniae insignia sua cum Nobilibus, Boiarisque Terrarum Lithuaniae communicant, promittuntque illis mutuum auxilium et defensionem, seque omnia jura et immunitates eorum seruaturos esse (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam.. Quia constat nullum salutis recipere conpendia, nisi misterio (siç) fulciatur caritatis, que

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario Principum Radziwillorum asservato. Huic tabulae appensa sunt quadraginta sex sigilla mediae magnitudinis in funiculis sericis. Exhibent illa insignia, de quibus hic res agitur cum inscriptionibus in ambitu. Priuilegium hoc maximi momenti inter omnes actus concernentes Unionem inter Regnum Poloniae et M. Ducatum Lithuaniae in oppido Horodło initam, nusquam adhuc est typis exaratum. Notum privilegium anni 1413 in oppido Horodło eadem die conscriptum, insertum est, sicuti nobis quidem constat, decem operibus praestantioribus, videlicet: Statutis Sarniccii (polonice conscriptis) fol. 986. Statuto Lascii fol. 125. Statuto Herburti fol. 656. Operi J. Prilusii „Leges seu Statuta ac Priv. Reg. Pol. fol. 686. Operi ejusdem, quod inscribitur de Provinciis Polonicis (in collectione Pistorii

non agit perperam, sed fulgens propria bonitate, discordes conciliat, unit rixantes, mutat odia, rancores amputat et cunctis pacis prestat alimentum, dispersa colligit, collisa errigit, in plana aspera dirrigit, et prava in directa convertit, et virtutes (sic) omnibus succurrit nullum ledit, diligit universa, et si quis sub eius confugierit brachia, securitatem inveniet, nec insultus cuiuspiam formidabit. Per hanc leges conduntur, regna reguntur, urbes ordinantur, et status reipublice optimo fine perficitur: in cunctis virtutibus prestancior commendatur: quam si quis contempserit, omnis boni expers erit. Proinde nos Prelati, Barones, Nobiles et Proceres Regni Polonie universaliter universi, et singulariter singuli, significamus quibus expedit universis, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris. Quomodo, ut sub umbra alarum caritatis quiescamus, et ubi manet, devotis desideriis aspiremus; domos, genelogias, stirpes nostras, armaque et clenodia nostra cum Nobilibus, Boyaris Terrarum Lithuanie, quibus suffragijs nostris libertatum, immunitatum, privilegiorum, exempcionum et graciarum benificia a Serenissimo Principe Domino Wladislao Dei gracia Rege Polonie etc., et Illustri Principe Domino Allexandro alias Wytowdo Magno Duce Lithwanie sunt concessa, et robore literarum efficaci roborata et confirmata, coniunximus, univimus, et tenore presencium coniungimus, conponimus, coadunamus et conformamus: ut exnunc et perpetuis temporibus duraturis, armis et cleno-

fol. 171. Operi Paproccii inscripto: „Herby Rycer. Pol. fol. 655. Historiae polonicae Dlugosii ed. Lips. T. I. fol. 337. Operi Du Montii inscripto: „Corps univ. dipl. T. II. fol. 361. Operi „Zbiór praw Litew." fol. 7, denique Voluminibus Legum T. I. fol. 66.—Est adhuc alterum privilegium eadem die et anno, itidem in oppido Horodło confectum, typis exaratum in Statuto Lascii fol. 130, in opere „Zbiór praw Lit." fol. 20, et in Vol. Leg. T. I. fol. 282, attamen discrepat a privilegio hic a nobis allato. Secuti Volumina legum, praestantissimam plenissimamque legum nostrarum antiquarum, statutorumque collectionem, facile dabimus legitimum huic nostro privilegio locum. Privilegium in Vol. Leg. T. I. fol. 282, typis exaratum est actus procerum lithuanicorum ad Unionem accedentium: in illo itaque sermo est de insignibus cum ipsis a proceribus polonicis communicatis; privilegium autem typis exaratum in Vol. Leg. T. I. fol. 66, exhibet confirmationem ejusdem Unionis a rege Vladislao Jagellone et Witoldo M. D. Lithuaniae factam, (cujus confirmationis archetypon invenitur in eodem tabulario P. P. Radzivillorum). Desiderabatur semper hucusque tertium privilegium ferme maximi momenti, scilicet diploma, quo proceres Poloniae communicaverunt insignia sua cum iis Lithuanis, qui iis adhuc carebant, quique in actu Unionis ineundae sustinebant priores partes. Itaque afferentes hoc privilegium, exhibemus id, quod adhuc desiderabatur, etenim privilegium nunc allatum, est illud diploma a proceribus Poloniae confectum et sic complet documenta historiam polonam hujus periodi illustrantia.

dijs ac proclamacionibus nostris, que a parentibus et predecessoribus nostris contraximus, in vim vere caritatis et fraterne unionis, valeant utifrui, gaudere, et potiri: ac si ipsa a suis progenitoribus ordine geniture suscepissent. Uniat eos nobis caritas, pares efficiat, quos religionis cultus, iurium et graciarum ydemptitas sociavit. Promittentes bona fide, verbo nostro constanti et fideli, sub honore et onere iuramenti prestiti, nunquam ipsos, in omnibus adversitatibus et necessitatibus eorum, deserere; sed semper contra omnium inimicorum ipsorum insidias, ipsis nostra prebere consilia, auxilia et favores, et apud predictos Dominos nostros graciosos, Wladislaum Regem Polonie et Allexandrum Ducem Magnum Lithwanie, et eorum successores, omni posse et fideli diligencia permovere, ut munificenciarum suarum dexteram in eos extendant, et profectus ipsorum non desistant procurare, ac pijs eos favoribus graciarum confovere. Quod et que, ipsi prefati Nobiles et Proceres Terrarum Lithuanie, pari vicissitudine sub fide, honore, in verbo fideli et onere prestiti iuramenti, facere nobis teneantur. Hoc non obmisso, quod Prelati, Barones et Nobiles Terrarum Lithvanie, nullas gverras alicui, absque requisicione et consilio nostris et nostrorum successorum, movebunt. Nosque Prelati, Barones et Nobiles Regni Polonie, absque requisicione et consilio, similes gwerras nulli movebimus, Baronum et Nobilium Terrarum Lithwanie predictorum. Et insuper, iam dicti Barones et Nobiles Terrarum Lithvanie predictarum cum eorum heredibus et successoribus legitimis, prenominatos Serenissimos Principes, et dominos nostros graciosos Wladislaum Regem Polonie et Allexandrum Magnum Ducem Lithwanie, et eorum successores legitimos Reges Polonie et Duces Lithwanie Magnos, quoad vixerint nunquam imperpetuum debent deserere quoque modo, sed pocius ipsis sub fide et honore, ac prestiti iuramenti onere, fideliter adherebunt favoribus, obediencia, auxilijs et consilijs quibuscunque. Ut autem unusquisque sue domui mancipetur, et domorum discrecio et armorum distinccio clarius in singulis cognoscatur, ne successu temporis huius nostre ordinacionis series confundatur oblivione aliquali: Primo domus, arma, stirps, clenodium, genelogia et proclamacio Nobilium *Lelywa* cum domo et stirpe Nobilis Monywid Palatini Wilnensis. Item arma *Zadora* cum stirpe et genelogia Jawni Palatini Trocensis. Item arma *Rawa* cum genelogia Minigail Castellani Wilnensis. Item *Lyssowe (Lis)* cum

genelogia Sunygal Castellani Trocensis. Item *Jastrzambczy* seu *Lazanky* alias *Bolesty, Nagorø* vocati cum Nemyr Capitaneo Polocensi. Item *Tramby* cum Hostykone. *Thopori* cum Butrymo. Item *Labancz* alias *Skrzynsczy* cum Golgunt. *Porayë* cum Nicolao Bylymyn. Item *Dambno* cum Albracht Korewa de *Sowgodsko*. *Odrowansz* cum Wyssegierd. Item *Wadwycz* cum Petro Mondigerd. *Drya* cum Nicolao Tawtigerd. *Hawdanecz* cum Johanne Gastoldi. *Polukosza* cum Wolczkone Culwa. *Griffones* cum Butowdo. *Srzenyawa* cum Jadath. Item *Pobodze* cum Kalone. Item *Grzymala* cum Johanne Rymowydowicz. Item *Zaramba* cum Gyneth Konczewicz. Item *Pirzchala* cum Dawkstha. Item *Nowyna* cum Nicolao Boynar. Item *Dzaloscha* cum Wolczkone Rukuthowicz. Item *Kopacz* cum Gethowoth. Item *Rola* cum Dangel. Item *Srokomla* cum Jacobo Mynigel. Item *Cattus marinus* (²) cum Woysnar Wylkolewicz. Item *Powala* cum Georgio Sangabo. Item *Pomyan* cum Saka. Item *Dolywa* cum Naczkone. Item *Szarza* cum Twerbud. Item *Dolanga* cum Monstiwyld. Item *Bogurya* cum Stanislao Wyssygyn. Item *Janyna* cum Woysym Daneykowicz. Item *Bychawa* cum Monstold. Item *Swynky* cum Andrea Dowknothowicz. Item *Kolda* (sic) cum Mynimund Sossnykowicz. Item *Sulyma* cum Rodywil. Item *Nalancz* cum Koczan. Item *Lodza* cum Myczusch. Item *Belythowie* cum Gerdud. Item *Korczakowie* cum Czupam. Item *Byala* cum Woydylone Bussulowicz. Item *Wanszik* cum Koczano Succowicz. Item *Czolek* cum Johanne Ewild. Item *Godzamba* cum Stanislao Buthowthowicz. Item *Osmorog* alias *Geralth* cum Surguthe de *Reskum*, perpetuis temporibus, fraterno federe, sunt coniuncti, confederati, adunati, complicati, mancipati et connexi. Quibus quidem armis, clenodijs et proclamacionibus ipsis, simul cum omnibus, qui ex eorum generibus legitime descenderunt, Katholici tantum, ubilibet gaudere, utifrui liceat, et potiri, ac si ipsa a suis progenitoribus legitimis suscepissent. Ut autem corroboracionis cautele uberioris omnia premissa accipiant firmitatem, presentes fecimus sigillorum nostrorum, ex certa nostra sciencia, munimine roborari. Actum et datum in Hrodlo opido in Parlamento seu convencione generali, die secunda mensis Octobris, anno domini millesimo quadringentesimo tercio decimo.

(²) **Insigne hoc polonice vocatur *Kot morski*. Vide sis Casp. Niesiecii „*Korona Polska*" ed. pr. T. II. p. 672, 673, ubi est mentio de eodem Woysnaro.**

CLXIII.

In oppido Oborniki, anno 1414 d. 5 mensis Junii.

Wladislaus Rex Poloniae Nobili Martino de *Slawsko*, viginti marcas in villa sua *Cekowo* inscribit (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythvanieque Princeps supremus et heres Russie etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis. Quomodo attendentes pure fidelitatis constanciam, et constantis fidei merita, quibus strennuus Martinus de *Slawsko* Subdapifer Poznaniensis, miles noster fidelis, nobis complacuit et in futurum aucto fidelitatis studio poterit complacere: horum intuitu volentes ipsum graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad nostra obsequia reddere promciorem, sibi in et super villa nostra *Cekovo*, in Terra Maioris Polonie et Districtu Calisiensi sita, viginti marcas numeri et ponderis polonicalium, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando, cum omnibus et singulis ipsius ville utilitatibus, fructibus, censibus, redditibus et prouentibus uniuersis, ad ipsam spectantibus quomodolibet ab antiquo, damus, donamus et ascribimus presencium per tenorem, per ipsum habendam, tenendam, utifruendam et pacifice posidendam (sic) tamdiu, quousque sibi uel successoribus suis, per nos uel successores nostros viginti marce predicte fuerint persolute. Quibus solutis, predicte ville posessio (sic), ad nos et ad nostros successores redire debebit pleno jure. In cuius Regi (sic) testimonium sigillum nostrum presentibus est apensum. Daciones vero et contribuciones stacionum solitas et consuetas pro nobis reseruamus. Datum in *Obornikij* feria tercia proxima ante festum Corporis Christi, anno domini millesimo quadringentesimo quarto decimo.

Relacio domini Donyn Regni Polonie Vicecancellarij.

(1) E tabula authentica membranacea in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 344 asservata. Sigillum deest superest tantum taeniola pergamena. Tabula praecisa.

CLXIV.

Cracoviae, anno 1415 d. 24 mensis Julii.

Nicolaus Szaksh Dux partis exercitus profitetur sibi et commilitonibus a Rege Wladislao stipendia persoluta esse (¹).

Ego Nicolaus Szaksh Rothe magister cum consensu sociorum meorum, recognosco tenore presencium a Serenissimo domino Rege Polonie, pro omnibus et singulis dampnis, dum de anno domini M° CCCC^mo XIIII^to Cruciferis de Prussia gwerras mouebat, iuxta racionem strenui Petri Schaffranecz Subcamerarii Cracouiensis et Petri Medellan (sic) mecum factam, pro finali et ultimata expedicione, sexaginta marcas mediorum grossorum, me recepisse cum effectu. De quibus quidem LX. marcis prefatis dominum Regem quitto et absoluo per presentes ipsius Serenitatem, promittens eciam pro eisdem dampnis nec verbotenus, nec per aliquas literas, nullomodo peramplius ammonere. Literam tamen ipsius domini Regis obligatoriam in seruicijs tamdiu apud me retinebo, quousque pro seruicijs meis ipse dominus Rex me, sicut et ceteros constipendarios reddet contentum. In quorum clariorem euidenciam, sigillum meum presentibus est subappensum. Datum *Cracouie* feria quarta in vigilia sancti Jacobi Apostoli gloriosi, anno domini M° CCCC° decimo quinto. — Fuit in racione et est posita.

(¹) E tabula authentica membranacea in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro. 1220 asseruata. Sigillum desideratur.

CLXV.

Lomzae, anno 1416 d. 26 mensis Martii.

Joannes Senior Dux Masoviae cuidam Johanni a Prasnysz decem mansos terrae ad fluuium *Skroda* sitos donat, eisdemque sicuti et aliis quinque mansis eidem antea a Nobilibus de *Piczilas* donatis jus theutonicum largitur (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Johannes dei gracia Senior dux Mazouie et Russie terrarum, dominus et heres Czirnensis. Ad noticiam omnium tam presencium, quam futurorum deducimus et deduci volumus omnibus palam et expresse profitentes. Quomodo consideratis et inspectis pronis ac fidelibus seruicijs, nobis per Johannem minerum (sic) a *Przasnissh* exhibitis fideliter et inpensis, et in posterum Christo duce una cum suis liberis eo celerius inpendendis, sibi, premissorum meritorum ob respectum, et ipsius pueris decim mansos mensure chulmensis super fluuio *Skroda Piczistok* prope a Nouigrod iacentes, nostri ueri ducatus et dominij, in longum et latum, veluti predicti decem mansi circumferencialiter sunt distincti et limitati dedimus, damus, donamus, ascribimus et appropriamus perpetue et inewm, cum omnibus utilitatibus, fructibus, prouentibus, redditibus, censibus, usibus, emolimentis et obuencionibus generaliter uniuersis, quibuscumque vocabulis vocitentur, modo in dictis decem mansis existentibus, et in posterum per humanam discrecionem quomodolibet accrescendis, mellificijs siue apisterijs dumptaxat exceptis, que pro nobis et nostris successoribus reseruamus. Quare sit licitum Johanni predicto, et ipsius legittimis successoribus decem mansos predictos tenere, habere, regere, gubernare, ac pacifice et quiete temporibus perpetuis possidere, nec non vendere, comutare, donare, alienare, obligare, et ad usus suos beneplacitos et suorum successorum conuertere, prout sibi et ipsius pueris melius et utilius videbitur expedire, sed nostra nostrorumque successorum voluntas, more solito, requiri

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 608 asseruato. Sigillum majus, quo duces Masoviae vulgo utebantur, funiculo serico rubri coloris appensum.

debet in premissis. Preterea Johannes predictus in recompensam huius donacionis de predictis decem mansis, ad quamlibet expedicionem in equo valoris quatuor sexagenarum, in pancerio cum balista, et sub caleptra *clobuczek* wlgariter dicta, equitare et cetera omnia communia seruicia inpendere, prout alij terrigene in similibus bonis locati, facere et inpendere consueuerunt, sit astrictus tociens, quociens fuerit oportunum. Et quia die date presencium coram nobis personaliter constituti Wenceslaus, Petrus et Nicolaus heredes de *Piczilas,* ipsorum meris et spontaneis voluntatibus, quinque mansos mensure chulmensis, circa decem mansos predictos iacentes, cum omni jure suo, Johanni iam dicto, pro quinque sexagenis grossorum communis monete vendiderunt perpetue et inewm: unde volentes, quod predicti quindecem mansi eo cicius collocari valeant, et in uberriores (sic) conuerti fructus, ipsos de jure polonico in jus theutunicum, quod Chulmense dicitur, transferimus et transmuttamus cum omnibus disposicionibus, punctis, articulis et clausulis uniuersis. Verum quia pro huiusmodi juris gracie (sic) et donacione, omnes et singuli incole mansorum predictorum, singulis annis, perpetuisque temporibus, de quolibet manso culto et possesso, ad quodlibet festum beati Martini confessoris et episcopi wenerandi, per octo grossos pragenses nobis et nostris successoribus dare et soluere teneantur: in cuius reconpensam volumus, quod omnes et singuli incole mansorum predictorum, ab omnibus nostris solucionibus, exaccionibus, contribucionibus, laboribus, et specialiter ab hijs: *sep, obrzas, narzs* (sic), porco, vacca, ariete, *pozewne, nestane, pobor, psarske, sokolne, bobrowe, przewod, stroza,* et a ceteris collectis, grauaminibus ipsius juris polonicalis, angarijs et preangarijs generaliter uniuersis sint soluti, liberi penitus et exempti; castrorum nostrorum quorumlibet laboribus dumptaxat exceptis, ad quos incole predicti, una cum alijs incolis, in simili jure locatis, transire tenebuntur tociens, quociens fuerit oportunum. Eo eciam presertim excepto, quod cum nupcias nostras, aut puerorum nostrorum sexus utriusque, nos diuina disposicione celebrare, aut terram nostram redimere, an (sic) aliam emere, vel, quod absit, nos aut quempiam ex filijs nostris captiuitatem incurrere contingerit (sic), tunc volumus, quod incole mansorum predictorum, tantam et talem nobis et nostris successoribus persoluant exaccionem, quantam et qualem super alias villas, in equali jure locatas, generaliter duxerimus inponendam. Preterea absoluimus incolas

predictos ab omnibus judicijs nostris omnium judicum et subiudicum nostrorum, palatinorum, castellanorum, officialium et ministerialium quorumcumque sic, quod de cetero per eosdem non iudicentur, nec citentur; et citati non compareant, pena eosdem nulla sequente, nisi coram nominato Johanne nostro fideli et ipsius pueris, aut eorumdem sculteto, jure proprio Theutonico Chulmensi, unicuique de ipsis querulantibus ad obiecta respondebunt. Item damus Johanni predicto, nostro fideli et ipsius pueris, quod, quocienscumque et quando incole mansorum predictorum mutuo se occiderint, tociens integram penam huiusmodi capitis pro se tollent, recipient et leuabunt; cum vero proprius extraneum, aut extraneus ipsorum proprium incolam interimerit (sic), tunc medietatem huiuscemodi pene capitalis pro se leuabunt. Inter cetera damus Johanni predicto, et ipsius pueris omnes causas tam magnas quam paruas, criminales et ciuiles iudicare infra granicies mansorum predictorum, carceres et patibula erigere, omnes excessus et delicta punire, equalitatem pene pro equalitate criminis inponendo, licet vindicta sangwinis mutilacionem membri, aut ultimum supplicium exigat uel deposcat. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum maius presentibus est appensum. Actum et datum in *Lomza* feria quarta post dominicam Oculi mei etc. Sub anno domini millesimo quadringentesimo decimo sexto. Presentibus ibidem strenuis, nobilibusque viris dominis: Nadborio de *Opinagora* Vexillifero Czechonouiensi, Stiborio de *Sanchoczino* Marsalco curie nostre, Jacussio de ***Balalanka,*** Johanne de ***Zaborowo,*** Janussio de ***Misszewo,*** Petro de ***Sarpsko*** heredibus nostris fidelibus, testibus circa premissa. Scriptum per manus Pauli G. de ***Borzewo*** Canonici Plocensis et Warschouiensis ecclesiarum, nec non Cancellarii curie nostre, qui presencia habuit in comissis.

CLXVI.

Jedlnae, anno 1418 d. 9 mensis Februarii.

Wladislaus Rex Poloniae Nobili Cristino Magero de *Boguschkow*, ducentas marcas in villa sua *Moykow* inscribit (¹).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lythwanieque Princeps supremus et heres Russye etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis. Quomodo habito diligenti respectu ad constantis fidelitatis studiosa obsequia et pure fidei merita, quibus Nobilis Cristinus Magero de *Boguschkow*, familiaris noster, fidelis dilectus, in conspectu nostro plurimum complacuit, et in futurum, aucto fidelitatis studio, poterit prestancius complacere: horum intuitu volentes ipsum, specialium graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad nostra obsequia reddere continuo prompciorem, sibi in et super villa nostra *Moykow*, in Terra Syradiensi et Districtu Pyotrcouiensi sita, ducentas marcas numeri, monete et ponderis polonicalium, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando, damus, donamus, inscribimus, conferimus et tenore presencium assignamus ad vite ipsius terminum ultimum et extremum. Quam quidem villam *Moykow*, idem Cristinus Magero cum omnibus et singulis ipsius utilitatibus, fructibus, censibus, redditibus, prouentibus, nec non agris, pratis, campis, pascuis, siluis, borris, mericis, nemoribus, gaijs, virgultis, rubetis, quercetis, mellificijs, sareptis, stangnis (sic), lacubus, paludibus, piscinis, piscaturis, aquis, aquarumque decursibus, fluuijs, rywis, torrentibus, molendinis, emolimentis eorumdem, attinencijs, pertinencijs, appendijs et obuencionibus uniuersis ad ipsam villam *Moykow* spectantibus ab antiquo, tenebit, habebit, utifruetur, et pacifice ad vite sue terminum, ut prefertur, possidebit. Ipso autem ab hac luce decedente, exsolutis suis proximioribus uel successoribus legittimis, dictis ducentis marcis, numeri ponderis et monete predictorum: predicte ville *Moykow* possessio ad nos et successores nostros reuertetur et reddibit (sic) pleno iure; omnibus attamen

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 406 asservato. Sigillum deest. Tabula praecisa.

stacionum nostrarum solucionibus, in dicta villa *Moykow* nobis dari solitis et consuetis, pro nobis reseruatis et exclusis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Jedlna* feria quarta Cinerum, anno domini millesimo quadringentesimo decimo octauo.

Ad relacionem venerabilis domini Donijn, Sedis Apostolice Prothonotarij Decani Cracouiensis Regni Polonie Vicecancellarij.

CLXVII.

Sine loco, anno 1419 d. 16 mensis Junii.

Nobilis Nicolaus Oporowski Nobili Alberto de *Glynnik*, partem advocatiae suae in villa *Szczawino* octodecem marcis communis monetae obligat (¹).

Nicolaus Oporowsky Subcamerarius et Capitaneus Terre Lanciciensis. Notum facimus presentibus et futuris uniuersis. Quomodo Nobilis Nicolaus, aduocatus in *Sczawino*, nostram personaliter accedens presenciam, non compulsus, nec coactus, sed animi sui bona cum deliberacione, et consilio amicorum suorum, nec non sua ingenti necessitate prehabita, partem aduocacie sue in ibidem, *Cocziyrzch* dictam, iacentem circa metas heredum in *Glynnyk*, recognouit obligacionem (sic), in decim et octo marcis, monete Regni Polonie communis, videlicet mediorum grossorum cum quartensibus denarijs parwis demptis, Nobili Alberto de *Glynnyk*, aut eius sequacibus legittimis, ad tenendum, habendum, possidendum, commutandum et temporibus oportunis obligandum, cum omnibus ad dictam partem aduocacie pertinencijs, agris, pratis, siluis, borris, aquis et earum decursibus, nichil pro se uel suis legittimis in eadem reseruando, a festo Natiuitatis Christi ad aliud festum eiusdem, talibus condicionibus interclusis: Quod si tempus obtulerit, et dictus Nicolaus dictam partem redimere voluerit, datis prefatis decim et octo marcis dicto Alberto, aut eius legittimis, eandem tenebit et possidebit, uti prius restitutam. Et si dictum Albertum quispiam pro seruicio impedierit, prefatus

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 1079 asseruato. Sigillum, quod taeniola pergamena appensum erat, desideratur. Tabula praecisa.

Nicolaus ipsum ab omnibus seruicijs evincere tenebitur et debebit, solus eadem iure suo demerendo. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus iussimus subappendi. Actum et datum feria sexta in crastino Corporis Christi, sub anno Natiuitatis eiusdem millesimo CCCC° decimo nono. Presentibus strenuis et nobilibus: Johanne de *Lancoschino* Castellano, Nicolao de *Grabowo* Thezaurario, Lanciciensibus; Stephano dicto Puczek de *Ostrow*, Petro de *Wroczini* et Johanne de *Byrzwenna* heredibus testibus circa premissa etc.

CLXVIII.

Czerscii, anno 1421 d. 7 mensis Julii.

Casimirus advocatus de *Bantkowo* advocatiam suam ibidem sitam Nobili Petro de *Modzele* centum sexagenis grossorum vendit; quam quidem venditionem Johannes Senior Dux Masoviae ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Johannes dei gracia Senior Dux Mazouie et Russye Terrarum dominus et heres Czirnensis. Ad noticiam vniuersorum tam presencium quam futurorum deducimus et deduci volumus per presentes: Quomodo coram nobis personaliter constitutus Kazimir aduocatus de *Banthcowo*, sanus utroque spiritu existens, non compulsus, non coactus, neque aliquo dolo uel fraude seductus, sed ipsius mera et spontanea voluntate, suorumque amicorum salubri consilio prehabito, aduocaciam suam ibidem in *Banthcowo* villa nostra ducali, cum omnibus juribus suis in alijs nostris literis plenius descriptis et notatis, nichil pro se et suis posteris ibidem reseruans, Petro alias *Pijwo* heredi de *Modzele*, pro centum sexagenis grossorum monete comunis, in terra nostra comuniter decurrentis vendidit perpetue et inewm, cum omnibus utilitatibus, fructibus, prouentibus, redditibus, censibus, usibus, et obuencionibus generaliter uniuersis ad presens in dicta aduocacia existentibus, et in posterum Christo

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 617 asservato. Sigillum majus Ducis Masoviae Johannis Senioris funiculo serico e filis coloris rubri et viridis contexto appensum.

duce, per humanam discrecionem quomodolibet accrescendis. Quare sit licitum Petro predicto et ipsius posteris, aduocaciam predictam tenere, habere, regere, gubernare, ac pacifice et quiete temporibus perpetuis possidere, nec non vendere, comuttare, donare, alienare, obligare, et ad usus suos beneplacitos et suorum successorum conuertere, prout sibi et ipsius posteris, melius et utilius videbitur expedire. Sed nostra et nostrorum successorum voluntas, more solito requiri debet in premissis. Et quia consideratis et inspectis pronis ac fidelibus seruicijs, nobis per predictum Petrum exhibitis fideliter et inpensis, et inposterum, Christo duce, per ipsum et ipsius pueros eo celerius inpendendis, sibi, premissorum meritorum ob respectum, et ipsius posteris piscinulam alias *ribnik* ante aream seu domum aduocacie predicte sitam, dedimus, damus, donamus, ascribimus, appropriamus et presentibus graciose conferimus perpetuo et inewm. Harum, quibus nostrum maius sigillum, de certa nostra sciencia, presentibus est appensum, testimonio literarum. Sub anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo primo. Presentibus ibidem strennuis nobilibusque viris, dominis: Petro Piliconis Palatino, Slawecz Castellano, Mathia Judice, Vigando Vexillifero et Stephano Subiudice Czirnensibus, nostris fidelibus testibus circa premissa. Scriptum per manus Pauli Plocensis et Warschouiensis ecclesiarum Canonici, nec non Cancellarij curie nostre, qui presencia habuit in comissis. Actum et datum in *Czirsko* feria secunda infra octauas Visitacionis beatissime Marie virginis gloriose, anno quo supra.

CLXIX.

In loco stationis exercituum circa lacum Mielna, anno 1422 d. 2 mensis Septembris.

Vladislaus Rex Poloniae Johanni de Lasko oppidi *Lasko* jure theutonico erigendi confert facultatem (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurrimus incomodis, dum gesta

(1) Ex archetypo membranaceo a doctiss. Stronczyńscio permisso, cui appensum est sigillum funiculo serico coloris rubri jam deletum.

etatis nostre, litterarum apicibus et testium annotacione perhennamus. Proinde nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracouie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyauie, Lithwanieque Princeps supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis presentibus et futuris, presencium noticiam habituris. Quomodo peticionibus Nobilis Johannis de *Laszko* fidelis nostri, quem nobis et zelus fidelitatis, et prestitorum obsequiorum merita recommendant, benigniter acclinati, sibi de villa *Lasko* in Terra et Districtu Syradiensi sita, opidum facere et locare indulsimus, et tenore presencium indulgemus, eodem nomine *Lasko* uel alio appellandum; dantes et concedentes prefati opidi incolis ipsum inhabitantibus, uel inhabitare uolentibus, omnibus juribus, et priuilegijs ac munimentis, quibus alie ciuitates Regni nostri pociuntur, uti, frui et gaudere. Remouentes ibidem omnia jura polonicalia, modos et consuetudines uniuersas, que ipsum jus theutunicum Sredense dictum, plerumque solita sunt perturbare. Eximimus insuper, absoluimus (ac perpetuo) libertamus opidanos et quosvis dicti opidi incolas, ab omni jurisdicione et potestate omnium Regni nostri palatinorum, castellanorum, capitaneorum, judicum, subiudicum, ceterorumque officialium et ministerialium eorundem, ut coram ipsis vel ipsorum aliquo, pro causis tam magnis quam paruis, puta: furti, incendij, sanguinis, homicidij, membrorum mutilacionis et quibusvis alijs causis, et enormibus excessibus citati, minime respondebunt, nec aliquas penas soluere tenebuntur. Sed tantum predicti opidi incole coram scolteto suo, qui pro tempore fuerit; scoltetus vero coram prenominato Johanne aut ipsius successoribus legittimis, aut coram nobis vel nostro iudicio generali, dum tamen per nostram literam nostro sigillo sigillatam, euocatus fuerit et citatus: et hoc si in reddenda iusticia negligens fuerit et remissus: tunc non aliter quam suo iure theutunico Sredensi predicto, de se querulantibus respondere sit astrictus. In causis autem criminalibus et capitalibus superius expressatis, in metis et graniciebus predicti opidi iudicandi, sentenciandi, corrigendi, puniendi, plectendi et condempnandi, sculteto predicti opidi, qui pro tempore fuerit, plenam damus et tenore presencium concedimus facultatem, prout hoc ipsum jus theutunicum predictum in omnibus suis punctis, articulis, sentencijs, condicionibus et clausulis, postulat et requirit, iuribus tamen nostris regalibus in omnibus semper saluis. Ut autem prefatum

opidum eo celerius condicionem recipere valeat meliorem, in ipso forum septimale (sic) singulis ferijs secundis, forum vero annuale semel in anno, videlicet ipso die sancti ffrancisci perpetuo statuimus exercendum ab omnibus cuiuscumque status, sexus, gradus uel condicionis hominibus, in omnibus rebus, cuiuscunque generis fuerint: decernentes et hoc edicto nostro regio statuentes, ut quicunque homines, prescriptum opidum, vendendi vel emendi gracia, cum rebus suis accesserint, nostra securitate in accedendo et recedendo pociantur; nisi tales sint, quos iura non tuentur, uel quibus merito fide dignorum consorcia denegantur. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Actum in Terra Prussie in flumine Ossa, (circa) lacum Myelna, loco stacionis exercituum nostrorum, sabbato proximo (ante) sancti Michaelis, anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo secundo. Presentibus magnificis ac strenuis: Johanne de *Tarnow* ...., Sandivogio de *Ostrorog* Poznaniensi, Nicolao de *Michalow* Sandomiriensi, Nicolao de *Opporowo* Lanciciensi, Johanne de *Cosczelecz* Juniwladislauiensi, Palatinis; Sbigneo de *Brzesye* Regni Polonie Marsalco, (et) alijs quam pluribus fide dignis. Datum per manus reuerendi in Christo patris, domini Alberti Episcopi Cracoviensis, Regni Polonie Cancellarij, et wenerabilis Johannis Decani Cracouiensis, eiusdem Regni nostri Vicecancellarij sincere nobis dilectorum.

CLXX.

Colomiae, anno 1424 d. 20 mensis Augusti.

Decretum quo causa siluarum inter incolas oppidi *Kolomya* et Nobilem Procopium Theptucowicz agitata componitur (1).

In nomine domini, amen. Nos Boleslaus alias *Swydrigayło* Dei gratia Dux Lithuaniae et Russiae etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis tam praesentibus quam futuris, praesentium notitiam habi-

(1) Ex apographo libris manuscriptis „*Zapisy Trybunału Lubelskiego*" dictis, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae asservatis contento, et quidem e libro XXX. fol. 242 descriptum.

turis. Quomodo de speciali mandato et commissione Serenissimi Principis et Domini Domini Vladislai Dei gratia Regis Poloniae etc. fratris nostri senioris charissimi, circumspectis et prouidis civibus de *Colomija* cum Nobili Procopio Theptucowycz, terminum judicij specialem et diem certum et peremptorium dedimus et assignauimus. Ubi accedentes ad nostri praesentiam ciues de *Colomija* conquesti sunt contra Nobilem Procopium, quod ipse prohibet syluas prope *Colomijam* adjacentes: et asserentes, quod habent literas et priuilegia seu munimenta Regum super easdem syluas sufficientia. Ubi per nos et judicium nostrum est decretum, ut ipsi ciues una cum Procopio praefato reponerent literas, quas dicebant habere super syluas praefatas, in termino ipsis per nos dato et assignato. Adueniente vero die terminoque ipsis dato per nos et assignato, ambae partes constitutae literas coram nobis et judicio reposuerunt. Conspectis vero literis ambarum partium, in literis ciuitatis *Colomijensis* ullas (sic) syluas, neque mericas descriptas inuenimus; sed in literis Procopij praefatas syluas et mericas perpetualitatis (sic) et haereditatis (sic) inscriptas, et asscriptas reperimus. Tunc nos una cum terrigenis et assessoribus nostris, protunc judicio nostro praesidentibus, decreuimus dicto Procopio (sic) obtinere robur perpetuae firmitatis, in praetactis syluis et mericis, juxta suorum priuilegiorum descriptionem; ciuibus vero de *Colomija* vllam (sic) libertatem intrandi dictas syluas, nec equitandi minime potuisse (sic), nisi cum consensu praefati Procopij et licentia speciali. Super quibus praemissis, sigillum nostrum duximus appendendum in testimonium praemissorum. Praesentibus ibidem strenuis et nobilibus dominis: Vladislao de Cropyecz, Gunthero Borsnycz, Sigismundo Kerdeij, Niemirka Kaszanowicz, Michaele Schczuczicz, Stanislao Lupkowski et alijs fide dignis protunc praesentibus. Actum et datum in *Colomija* (2), die dominico proximo post festum Assumptionis Mariae Virginis, anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quarto.

(2) *Kolomya* (Colomia) oppidum ad fluvium *Prut* in antiqua terra Haliciensi situm.

CLXXI.

Conini, anno 1425 d. 1 mensis Aprilis.

Wladislaus Rex Poloniae Nobili Swanthoslao de *Siemianczyno* 117 marcas monetae et numeri Polonicalium, in villa sua *Russowo* inscribit (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque Princeps suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis: Quomodo attendentes grate fidelitatis studiosa obsequia, et constantis fideij merita, quibus strenuus Swathoslaus heres de *Szyemijanczino*, Miles noster fidelis nobis complacuit, et in futurum, aucto fidelitatis studio, prestancius poterit complacere: horum intuitu, volentes ipsum graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad obsequia nostra continuo reddere prompciorem; sibi in et super villa nostra dicta wlgariter *Rusowo*, in Terra Maioris Polonie, in Districtu Kalisiensi sita pariter et locata, centum septemdecim marcas monete et numeri polonicalium, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando, damus, donamus, addimus, inscribimus pariter et largimur tenore presencium mediante. Quam quidem villam *Ruszowo* idem Swantoslaus tenebit, habebit, utifruetur et pacifice possidebit, cum omnibus ipsius ville utilitatibus, fructibus, censibus, prouentibus, attinencijs, emolimentis, agris, pratis, borris, gagijs, mellificijs, piscinis, lacubus, riwis et aquarum decursibus; ac pertinencijs vniuersis tamdiu, donec predicte centum et septemdecim marce, supradicto Swanthoslao aut suis successoribus legittimis, per nos aut nostros successores fuerint exsolute integraliter et ex toto. Quibus quidem centum et septemdecim marcis exsolutis, predicta villa *Ruszowo* ad nos et ad nostros successores reddire (sic) debebit pleno jure. Contribucionibus autem, exaccionibus et stacionibus nostris regalibus in omnibus semper saluis, quas pro nobis et nostris successoribus penitus reseruamus.

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 331 asseruato. Sigillum minoris formae appensum taeniola pergamena ei haud absimile, quale in opere „*Zbiór Praw Litewskich*" in Tabula IV. ab ima parte sinistra ejusdem tabulae effictum conspicitur. Tabula praecisa.

Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum in *Conijn*, die dominico Quasimodo geniti, anno dominj millesimo quadringentesimo vicesimo quinto.

Ad relacionem venerabilis Stanislai Custodis Gneznensis et Cantoris Cracouiensis R. P. Vicecancellarij.

CLXXII.

Lanciciae, anno 1426 d. 23 mensis Maji.

Wladislaus Rex Poloniae Nobili Petro Cordebog de *Trzebawie* centum quadraginta marcas, in castro et oppido *Babimost* inscribit (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque Princeps supremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quomodo habito diligenti respectu ad constantis fidelitatis studiosa obsequia, et pure fidei merita, quibus strennuus Petrus Cordebog de *Trzebawie* Subcamerarius Poznaniensis, Miles noster fidelis dilectus nobis placuit, et adhuc complacere poterit, aucto fidelitatis studio, prestancius in futurum: horum intuitu, volentes ipsum specialium graciarum prosequi fauoribus, et ad obsequia nostra continuo reddere prompciorem; prefatum Petrum in quadringentis marcis latorum grossorum pragensium et centum marcis monete in Regno currentis, numeri polonicalis, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando: in quibus castrum, opidum et tenutam *Babimost* a strennuo Mroczkone de *Lopuchow* liberauit et exemit: reddere cerciorem, sibi easdem quadringentas marcas grossorum latorum et centum marcas monete in Regno currentis, in et super castro, opido *Babimost,* ac villis, predijs et molendinis, exnunc ad ea pertinentibus, damus, donamus, inscribimus et largimur: per ipsum cum omnibus et singulis ipsius castri opidi *Babimost,* villarum, prediorum et molendinorum fructibus, censibus, redditibus, prouentibus, attinencijs,

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 366 asseruato. Sigillum mediae formae appensum taeniola pergamena tale, quali Rex Wladislaus vulgo utebatur. Tabula praecisa.

pertinencijs, obuencionibus et appendijs vniuersis ad ipsa spectantibus ab antiquo, habendum, tenendum, utifruendum et pacifice possidendum tam diu, quousque predicte quadringente marce latorum grossorum pragensium et centum marce monete, ut prefertur in Regno decurrentis, sibi aut suis heredibus et successoribus legitimis, per nos aut successores nostros integraliter persoluentur. Quibus solutis, castrum, opidum, ville, predia et molendina predicta, ad nos et nostros successores reuertentur pleno jure. Stacionibus nostris exclusis et exceptis, quas nobis et nostris successoribus, donacione predicta non obstante, reseruamus et volumus reseruari. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Datum in *Lancicia* feria quinta proxima post festum Penthecostes, anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo sexto.

Ad relacionem venerabilis domini Johannis Decani Cracouiensis, Regni Polonie Cancellarij.

CLXXIII.

Posnaniae, anno 1429 d. 29 mensis Junii.

Wladislaus Rex Poloniae Nobili Petro Bniński Castellano Gnesnensi villas *Crosno* et *Zabno* ad tempora vitae ejusdem possidendas confert (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque Princeps suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quomodo attendentes grate fidelitatis studiosa obsequia magnifici Petri Bynskj Castellani Gneznensis nobis sincere dilecti, que nobis exhibuit, et imposterum, adaucto fidelitatis studio, prestancius poterit exhibere. Volentes igitur ipsum, horum intuitu, graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad nostra obsequia de prompto reddere prompciorem, sibi villas nostras *Crosno* et *Sabno*, in Terra Maioris Polonie et Districtu Poznaniensi sitas, quas a Nobili Przethpelko (sic) herede de *Stanschow*, filio olim magnifici Mosticzij de eadem *Stanschow*,

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 393 asseruato. Sigillum mediae formae taeniola pergamena appensum tale, quali Rex Wladislaus vulgo utebatur. Tabula praecisa.

Castellani Poznaniensis in quingentis minus decem marcis, monete et numeri polonicalium, quadraginta octo grossos in marcam computando, nostro consensu et voluntate liberauit et exemit: dedimus, donauimus, tenoreque presencium damus, donamus; et in dictis quingentis minus decem marcis, numeri et monete predictorum, ad tempora vite sue ultima et extrema inscribimus et largimur, cum omnibus et singulis utilitatibus, fructibus, redditibus, censibus, agris, pratis, campis, borris, siluis, nemoribus, aquis, lacubus, piscinis, piscaturis, molendinis et ipsorum emolimentis, paludibus, mellificijs et generaliter cum omni jure et dominio tenendas, habendas, utifruendas et ad tempora vite sue ultima, ut prefertur, possidendas. Post mortem vero ipsius et obitum, successores Petri predicti Castellani Gneznensis, dictas villas *Crosno* et *Zabno* tenebunt pacifice et possidebunt tamdiu, quousque ipsis per nos vel successores nostros, dicte quingente minus decem marcis (sic), numeri et monete predictorum, plenarie et ex toto fuerint persolute. Quibus exsolutis, dictarum villarum posessio (sic) ad nos et successores nostros reddibit (sic), et reuertetur pleno jure. Stacionibus nostris solitis in omnibus semper saluis. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus appensum est, testimonio literarum. Data *Poznanie* feria quarta, ipso die sancti Petri Appostolli (sic), anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo nono.

Ad relacionem venerabilis Wladislaj de Opporow, Decretorum Doctoris, Prepositi, R. P. Vicecancellarij.

CLXXIV.

Gnesnae, anno 1430 d. 28 mensis Junii.

Wladislaus Rex Poloniae dat facultatem Andreae de *Domaborz* Palatino Calisiensi redimendi villam *Podstolice* a Petro et Paulo Szaffroth (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque Princeps Suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis, presentibus

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 329 asservato. Sigillum desideratur. Tabula praecisa.

et futuris: Quomodo consideratis et inspectis fidelibus et constantibus obsequijs magnifici Andree de *Domaborz* Pallatini Calisiensis (sic) sincere dilecti, quibus nobis propter suarum virtutum merita complacuit, et in futurum prestancius poterit complacere: horum intuitu, volentes ipsum specialium graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad obsequia nostra reddere prompciorem, sibi villam nostram *Pothstolicze* in Terra Maiorispolonie et Districtu Kczinensi sitam, de manibus et tenuta Nobilium Petri et Pauli Schaffroth de *Szobiszowicze,* in ducentis quadraginta marcis monete et numeri polonicalium, quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando, liberandi et redimendi plenam concessimus facultatem, quam iam de facto liberauit et exemit. Volentes igitur dictum Andream Pallatinum, de dictis ducentis quadraginta marcis assecurare et reddere cerciorem, sibi ipsasmet super villa predicta *Podstolicze* (sic) damus, donamus, inscribimus et largimur. Quam quidem villam *Pothstolicze,* idem Andreas et sui successores, cum omnibus et singulis ipsius utilitatibus, fructibus, redditibus, coherencijs, attinencijs et pertinencijs vniuersis, censibusque, allodijs, agris, pratis, campis, siluis, borris, gaijs, rubetis, nemoribus, mericis, piscinis, molendinis, lacubus tenebit, habebit, utifruetur quiete et pacifice possidebit, quousque sibi aut successoribus suis legittimis, dicte ducente cum quadraginta marcis, per nos vel successores nostros plene et ex toto fuerint persolute. Quibus exsolutis, dicte ville *Pothstolicze* posessio (sic), ad nos et successores nostros reddibit (sic) pleno jure. Nostris tamen juribus regalibus, in omnibus semper saluis. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum *Gnezne* feria quarta in vigilia Petri et Paulj Appostolorum (sic), anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo.

Relacio venerabilis Wladislaj de Opporow, R. P. Vicecancellarij.

CLXXV.

Cracoviae, anno 1433 d. 3 mensis Januarij.

Confoederatio Regis Poloniae Wladislai Jagellonis cum Sigismundo Magno Duce Lithuaniae facta (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurrimus incomodis, dum nostre etatis gesta, litterarum apicibus, et testium annotacione perhennamus. Proinde nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Littuanieque Princeps Suppremus Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, per hec scripta deducimus. Quomodo eo tempore, quo Principes, Prelati, Nobiles, ac Regnicole Regni Polonie, nos ad Regnum Polonie invitantes, in Regem Polonie assumpserunt, et nutu divino, et almi spiritus inspiracione, de gentilitatis tenebris educentes, ad gremium fidei katholice, per regeneracionem baptismatis, attulerunt: Magnificus et Preclarus Princeps dominus Sigismundus Magnus Dux Litthvanie, Russie etc. frater noster carissimus, nobis Coroneque et Regno ac Regnicolis ipsius Regni Polonie, pura mente et irrevocabili animo, firmaque et inviolabili sponsione, ex certa ipsius sciencia et matura deliberacione, voluntateque ultronea, non compulsus, non coactus, seu aliquo errore seductus, promisit et literis suis firmavit: nos, Regnum et Coronam, ac Regnicolas Regni nostri Polonie deserere non debere; sed nobis toto posse et viribus asistere constanter, et nos, contra insultus quorumlibet hominum vivencium, cuiuscunque status, condicionis, gradus vel eminencie fuerint, adiuvare, nos cupientes prefatum fratrem nostrum, Ducem Magnum Sigismundum, reciproca

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario PP. Radziwillorum asservato. Huic tabulae appensa sunt funiculis sericis triginta duo parva sigilla exhibentia insignia, et unum sigillum majus, quod majestaticum dicitur, repraesentans Regem Wladislaum solio insidentem. Est et aliud exemplar ejusdem diplomatis in tabulario Nieboroviensi asseruatum. Contextus verborum idem verbotenus, in fine tantum paulum discrepat. Vide sis infra diploma anni 1434 Nro CLXXVI. Huic alteri exemplari unum tantum sigillum minus a Wladislao Rege vulgo usitatum est appensum.

et fraterna vicissitudine, de pari asistencia (sic) reddere cerciorem: pura mente et irrevocabili animo, firmaque et inviolabili sponsione, ex certa nostra sciencia, et matura deliberacione, voluntateque ultronea, non compulsi, non coacti, seu aliquo errore seducti, promittimus et litteris presentibus firmamus: quod ipsum Dominum Sigismundum, Magnum Ducem, ac Magniducatus incolas et subditos, deserere non debemus; sed eis toto posse et viribus, constanter asistere, et eos contra insultus quorumlibet hominum vivencium, cuiuscumque status, condicionis, gradus, vel eminencie fuerint, adiuvare. Nosque et successores nostri, non debemus prefatum Dominum Sigismundum, Ducem Magnum, et suos successores, racione huiusmodi subsidij, pro quibuscumque dampnis amovere, exceptis victualibus et pabulis equorum necessarijs et opportunis. Et insuper, volentes prefatum fratrem nostrum Ducem Magnum Sigismundum, speciali gracia et caritate fraterna amplecti et consolari: quodque erga nos fervenciori exardescat fide atque bonitate: ipsum in partem sollicitudinis nostre assumentes, Magnum Ducatum Terrarum nostrarum Litthwanie et Russie, ceterorumque dominiorum Ducatus predicti et nostra bona paterna videlicet: *Wylnam,* et alia bona ad nostrum patrimonium spectancia: de matura nostra deliberacione, circa ipsius elleccionem Principum, Prelatorum, Baronum et Nobilium utrorumque dominiorum, videlicet Regni Polonie et Ducatus Magni Lithvanie, habita iuxta continenciam literarum, super elleccione huiusmodi fienda, alias confectarum: damus et conferimus ad tempora sue vite: titulo Suppremi Principatus Litthvanie, quo uti consuevimus, pro nobis et nostris successoribus reservato: cum omnibus terris, castris, districtibus, curijs, willis, et omnibus utilitatibus ad ea spectantibus, firmiter et irrevocabiliter, et sub eisdem limittibus et gradibus (sic) sicut eundem pije memorie dominus Alexander alias Wytawdus Magnus Dux tenebat. Et, si inter subditos super huiusmodi granicijs, vel alijs causis Regni Polonie aut Magni Ducatus Lithvanie, aliqua dubietas seu questio oriretur: quemadmodum in vita prefati Ducis fuerant exorte: ad litteras et documenta legittima, ex utraque parte producenda, recurratur; et secundum illarum determinacionem, finis predictis questionibus et dubijs imponatur. Ipse quoque frater noster, nos tenere et honorare debet et tenetur in Terris Magni Ducatus, sicut dominum et fratrem suum seniorem. Insuper, predictum fratrem nostrum, constanciori fiducia prosequi cupientes et, prout

iustum est, reddere cerciorem: promittimus eidem, pollicemur et spondemus sub fide et honore, absque dolo et fraude, ac sub onere prestiti iuramenti, stabilem assistenciam, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc, tenere firma fide ita, quod post decessum prefati fratris nostri Sigismundi Ducis Magni, Ducatus Magnus Lithwanie cum terris et dominijs omnibus, eciam Russie, quibuscumque nunc subiectis, et virtute sua subiciendis, ad nos et inclitos natos nostros, scilicet Wladislaum et Kazimirum, ac nostros successores, et ad Coronam ac Regnum Polonie, debent vera et hereditaria successione devolvi: quemadmodum patentibus prioribus litteris, desuper confectis, est firmatum, quarum tenorem hic habere volumus pro insertis (sic). Exceptis prefati fratris nostri, Ducis Magni Sigismundi bonis paternis, videlicet: *Troky*, nec non civitatibus, castris, districtibus, opidis, villis, curijs et alijs bonis, plene et exintegro, in omnibus suis limitibus ad predictum suum patrimonium spectantibus; que post suum decessum ad filium suum Illustrem Ducem Michaelem, seu ad alios filios legittimos et futuros devolventur. De quibus nichilominus prefatus Dux Michael, et alij filij futuri, nobis, filijs nostris, successoribus, ac Corone et Regno Polonie, cum suis succedaneis, temporibus perpetuis, prout ceteri Principes Lithvanie et Russie: seu Duci Magno, per utramque partem pro tempore eligendo obsequi, obedire, tenebuntur et servire. Quos si, non habita prole, de hac luce decedere contigerit, extunc predicta bona ipsorum paterna, ad nos, natos et successores nostros, et ad Coronam Regni Polonie devolventur. Preterea Terra Podolie cum omnibus civitatibus, castris, opidis, villis, districtibus, plene et exintegro, in omnibus suis limitibus, sicut ab antiquo spectat et pertinet, spectabat et pertinebat, spectare debet et pertinere ad nos et Regnum Polonie perpetuo et in ewum; neque deinceps per prefatum fratrem nostrum, Ducem Magnum, successores suos, per Ducatus Magni incolas: nos, successores nostri, Regnum et Corona pro eadem terra impetemur quibuscumque modis aut coloribus exquisitis. Item, quia stantibus inter nos tractatibus huiusmodi, castrum *Olessko*, de quo dampna plurima nobis, Regno et subditis nostris hostiliter inferebantur, per gentes nostras est vallatum; in casu, quo ad manus nostras regias per deviccionem, aut alijs quibuscumque modis devolveretur; ipsum castrum cum bonis ad ipsum spectantibus, nos et Corona tenebimus, et possidebimus pacifice et quiete: nisi illud dare eidem fratri nostro Magno Duci, vel pro

nobis et Corona retinere vellemus; quod stabit in nostra libera voluntate. Alia vero sicut *Luczska, Wladimiria* et alia castra, civitates et districtus, opida, ville, curie, in suis limitibus omnibus, plene et exintegro ad ipsa spectancia, que frater noster, bone memorie dominus Allexander alias Witawdus, olim Magnus Dux Lithvanie possidebat, preter castra ad Terram *Podolie* spectancia: eciam si medio tempore ad possessionem nostram aut Corone et Regni nostri devenirent: prefato fratri nostro Duci Magno, ad tempora vite sue tenenda et possidenda dabimus, darique faciemus et assignari. Que quidem castra prefatus frater noster, Dux Magnus dominus Sigismundus, nulli debet dare ad tenendum, nisi prius in manibus suis corporale prestet juramentum, et suis literis patentibus se inscribat, quod pro ipso fratre nostro, illud seu illa fideliter tenebit, et post decessum suum, nulli alteri ea, nisi nobis, filijs nostris, aut Corone Regni Polonie resignabit. Item *Rathno, Wethle* et *Lopaczin,* cum bonis omnibus ad predictos districtus spectantibus, nos et Corona perpetuo possidebimus et in ewum. Preterea sub fide et honore, absque dolo et fraude, et onere prestiti iuramenti, omnes ligas, inscripciones et uniones: si quas unquam in dampnum, periculum, aut contemptum eiusdem fratris nostri, Ducis Magni Sigismundi, et quorumvis dominiorum suorum, cum cuiuscumque status aut condicionis hominibus fecissemus: abolentes et in nichilum redigentes, promittimus et spondemus, quod nullum hominum, cum quibus federati sumus et uniti, favoribus, subsidijs et quibuscumque prerogativis, prefato fratri nostro Duci Magno Sigismundo preferre volumus, nec umquam contra ipsum esse. Quinijmo ipsum supra et ultra, ac contra omnes, et specialiter contra fratrem nostrum Ducem Switrigal, nostris consilijs, auxilijs et favoribus, et quibusvis subsidijs, vita (sic) et rebus eciam quocienscumque, et contra quoscumque inimicos opportunum fuerit, cum nostra potencia et viribus, perpetue cumque subditis nostris adiuvare; et ad hec firmiter obligamur. Nec umquam ipsum, aliquibus exquisitis coloribus, volumus deserere et alijs adherere; sed secum stare in prosperis et adversis, et eum ab omnibus adversitatibus et periculis, pure et constanter ac fideliter premunire. Item prefatus frater noster et sui successores, prefatum Ducatum Magnum sic tenens de manu nostra, ut prefertur, non debet aspirare, ad cuiuscumque suggestionem seu induccionem, ad recipiendum regale fastigium, videlicet coronam, contra

nostram, successorum nostrorum et Corone Polonie scienciam, voluntatem et consensum. Et ut hec premissa et singula, superius contenta, maioris roboris obtineant firmitatem, nostrum, et infrascriptorum Prelatorum, Baronum, Militum et Procerum Regni nostri Polonie, videlicet: Reverendissimi in Cristo Patris, Domini Alberti, Dei gracia Sancte Gneznensis Ecclesie Archiepiscopi et Primatis, nec non Reverendorum in Christo Patrum, dominorum: Sbignei Cracoviensis, Johannis Wladislaviensis, Johannis Chelmensis, Episcoporum; Magnificorumque: Nicolai de *Michalow* Castellani et Capitanei Cracoviensis, Petri Schaffranecz Saudomiriensis, Martini de *Calinowa* Siradiensis, Johannis de *Lichin* Brestensis, Jarandi de *Grabye* Wladislaviensis, Palatinorum; Petri de *Bnyno* Gneznensis, Laurencij Zaramba Siradiensis, Alberti Malskij Lanciciensis, Dobeslai de *Oleschnicza* Woijnicensis, Cristini de *Cozeglowy* Sandecensis, Cristini Brestensis Domarati de *Cobilani* Byecensis, Johannis de *Crethcow* Dobrinensis, Warsij de *Samborzecz* Zawichostensis, Pauli Zlodzeij Malogostiensis, Stanislai Gamrath Polanecensis, Passkonis de *Goslawicze* Conariensis, Stanislai de *Goszdna* Brezensis, Castellanorum; Johannis de *Oleschnicza* Regni nostri Polonie Marschalci, Petri de *Pyeszkowa scala* Cracoviensis, Petri Cordebogk Poznaniensis, Stanislai Byelawsky Lanciciensis, Stanislai Sczkowsky Wladislaviensis, Andree de *Lubyn* Regni nostri Polonie Thezaurarij, Subcamerariorum; Pauli de *Bogumilowicze* Cracoviensis, Johannis de *Sprowa* Sandomiriensis, Abrahami de *Dzbanschin* Poznaniensis, Petri de *Widawa* Siradiensis, Nicolai Slup Dobrinensis, Judicum; Stanislai de *Charbinowicze* Sandomiriensis, Zegotij de *Moykowicze* Siradiensis, Alexij Dobrinensis, Nicolai de *Cosczelecz* Bidgostiensis, Vexilliferorum; Petri Strikowsky Pincerne Lanciciensis, Sigismundi Bobowsky Cracoviensis, et Zawissij de *Oleschnicza* Sandomiriensis Subiudicibus (sic), sigilla sunt appensa; sub rathihabicione, voluntate et consensu omnium aliorum absencium Prelatorum nostrorum et Barronum (sic). Actum Cracovie, Sabbatho proximo ante festum Epijphanie domini, anno eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo tercio. Datum per manus predicti reverendi patris, domini Johannis Episcopi Wladislaviensis, Regni Polonie Cancellarij, et venerabilis Wladislai de *Opporow*, Decretorum Doctoris, Decani Cracoviensis, Sedis Apostolice Prothonotarij, eiusdem Regni Vicecancellarij.

CLXXVI.

Korczini, anno 1434 d. 27 mensis Februarii.

Wladislaus Rex Poloniae et frater ejus Sigismundus Dux Lithwaniae de concordia inter utramque terram seruanda paciscuntur (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurimus incomodis, dum gesta etatis nostre literarum apicibus, et testium annotacione perhennamus: Proinde nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuiavie, Littwanie Princeps Suppremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, per hec scripta deducimus. Quomodo eo tempore, quo Principes, Prelati, Nobiles, ac Regnicole Regni Polonie nos ad Regnum Polonie invitantes, in Regem Polonie assumpserunt, et nutu divino et almi spiritus inspiracione, de gentilitatis tenebris educentes, ad gremium fidei katholice, per regeneracionem attulerunt; Magnificus et Preclarus Princeps, dominus Sigismundus Magnus Dux Litthvanie, Russie etc. frater noster carissimus, nobis Coroneque et Regno, ac Regnicolis ipsius Regni Polonie, pura mente, et irrevocabili animo, firmaque et inviolabili sponsione, non coactus, seu aliquo errore seductus, promisit et literis suis firmavit: nos, Regnum et Coronam, ac Regnicolas Regni nostri Polonie, deserere non debere; sed nobis toto posse et viribus assistere constanter, et nos contra insultus quorumlibet hominum vivencium, cuiuscumque gradus, status, condicionis vel eminencie exstiterint, firmiter adiuvare. Nos cupien-

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario Principum Radziwillorum asservato. Huic tabulae appensa sunt funiculis sericis 34 sigilla mediae formae, nonnulla desiderantur, ut ex foraminibus, quae in hac tabula inveniuntur, apparet. Sigilla exhibent insignia cum inscriptionibus personarum, quae iis utebantur. Inscriptiones vix legi possunt. Praeterea appensum est sigillum, quod vulgo majestaticum dicitur, videlicet maximae formae, repraesentans Regem Wladislaum solio insidentem. Tabula haec argumento prorsus accedit ad tabulam inferius Nro CLXXX. allatam: nonnisi loco, die et testibus subscriptis differt. Contextus hujus tabulae in fine idem, qui in secundo exemplari tabulae 1433, quam Nro CLXXV. praemisimus.

tes prefatum fratrem nostrum Ducem Magnum Sigismundum, reciproca et fraterna vicissitudine, de pari assistencia reddere cerciorem; pura mente, et irrevocabili firmaque et inviolabili sponsione, ex certa nostra sciencia et matura deliberacione, voluntateque ultronea, non compulsi, non coacti, seu aliquo errore seducti, nos, Regnum et Corona Regni nostri Polonie, promittimus pro nobis, natis, successoribus et Corona nostris, et literis presentibus firmamus: Quod ipsum dominum Sigismundum Magnum Ducem, ac Magniducatus incolas et subditos, deserere non debemus, sed eis, toto posse et viribus, constanter assistere, et eos contra insultus quorumlibet hominum vivencium, cuiuscumque gradus, status, condicionis, vel eminencie fuerint, adiuvare. Nosque et successores nostri, non debemus prefatum dominum Sigismundum Ducem Magnum, et suos successores, racione huiusmodi subsidij, pro quibuscumque dampnis ammonere: exceptis victualibus et pabulis equorum opportunis et necessarijs. Et insuper volentes prefatum fratrem nostrum, Ducem Magnum Sigismundum, speciali gracia et caritate fraterna amplecti et consolari: quodque erga nos fervenciori exardescat fide, atque bonitate; ipsum in partem sollicitudinis asumentes (sic), Magnum Ducatum Terrarum nostrarum Litthvanie et Russie, ceterorumque dominiorum Ducatus predicti, et nostra bona paterna, videlicet: *Wilnam,* et alia bona ad nostrum patrimonium spectancia: de matura nostra deliberacione, circa ipsius eleccionem Principum, Prelatorum, Baronum et aliorum Nobilium utrorumque dominiorum, videlicet: Regni Polonie et Ducatus Magni Littwanie, habita iuxta continenciam literarum, super eleccione huiusmodi fienda, alias confectarum: damus et conferimus sibi ad tempora vite sue: titulo Suppremi Principatus Littwanie, quo uti consuevimus, pro nobis et nostris successoribus reservato: cum omnibus terris, castris, civitatibus, opidis, districtibus, curijs, villis, et omnibus utilitatibus ad ea spectantibus, et sub eisdem limitibus et gradibus, sicud (sic) eadem pije memorie dominus Allexander alias Witowdus olim Magnus Dux tenebat. Et, si inter subditos super huiusmodi granicijs, vel alijs causis Regni Polonie et Magni Ducatus Littwanie, aliqua questio seu dubietas oriretur: quemadmodum in vita prefati Ducis fuerant exorte: ad literas et legittima documenta, ex utraque parte producenda, recurratur; et secundum illarum determinacionem, finis predictis questionibus et dubijs imponatur. Ipse quoque frater noster, nos tenere et

honorare debet et tenetur in Terris Magni Ducatus Litthvanie, sicut dominum et fratrem suum seniorem. Insuper predictum fratrem nostrum, constanciori fiducia prosequi volentes, et, prout iustum est, reddere cerciorem: promittimus eidem, pollicemur et spondemus sub fide et honore, absque dolo et fraude, ac sub onere prestiti iuramenti, stabilem assistenciam, exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc, tenere firma fide ita, quod post decessum prefati Sigismundi Ducis Magni, Ducatus Magnus Littwanie cum terris et dominijs omnibus, eciam Russie, quibuscumque nunc subiectis, et virtute sua subiciendis, ad nos et inclitos natos nostros, scilicet Wladislaum et Kazimirum, ac nostros successores, et ad Corona (sic) et Regnum Polonie, debent vera et hereditaria successione devolvi: quemadmodum patentibus prioribus literis, desuper confectis, est distinctum, quarum tenorem hic volumus habere pro insertis (sic). Exceptis prefati fratris nostri, Ducis Magni Sigismundi bonis paternis, videlicet: *Trockii,* cum omnibus et singulis civitatibus, castris, districtibus, opidis, villis, curijs, et alijs bonis, plene et exintegro, in omnibus suis limitibus ad predictum suum patrimonium spectantibus; que post suum decessum, ad filium suum Illustrem Ducem Michaelem, seu ad alios filios legittimos et futuros devolventur. De quibus nichilominus prefatus Dux Michael, et alij filij futuri, nobis, filijs, nostris successoribus, ac Corone et Regno Polonie, cum suis succedaneis, temporibus perpetuis, prout ceteri Principes Littwanie et Russie: seu Duci Magno, per utramque partem pro tempore eligendo obsequi, obedire, tenebuntur et servire. Quos si, non habita prole, de hac luce decedere contigerit, extunc predicta bona ipsorum paterna, ad nos, natos, et successores nostros, et ad Coronam Regni Polonie devolventur. Preterea Terra *Podolie,* cum omnibus civitatibus, castris, opidis, districtibus, plene et exintegro, in omnibus suis limitibus, sicut ab antiquo spectat et pertinet, spectabat et pertinebat, spectare debet et pertinere ad nos et Regnum Polonie perpetuo et in ewum; neque deinceps per prefatum nostrum fratrem, Ducem Magnum, successores suos, et per Ducatus Magni incolas: nos, successores nostri, Regnum et Corona, pro eadem terra impetemur quibuscumque modis aut coloribus exquisitis. Item, quia stantibus inter nos tractatibus huiusmodi, castrum *Olesckско,* de quo dampna plurima nobis, Regno et subditis nostris hostiliter inferebant, per gentes nostras foret vallatum; in casu, quo ad manus nostras per devicczionem,

aut alijs quibuscumque modis devolveretur; ipsum castrum cum bonis ad ipsum spectantibus, nos et Corona tenebimus, et possidebimus pacifice et quiete: nisi illud dare eidem fratri nostro Magno Duci, vel pro nobis et Corona vellemus retinere; quod stabit in nostra libera voluntate. Alia vero, sicut *Luczsko, Wladimiria* et alia castra, civitates et districtus, opida, ville, curie, in suis limitibus omnibus, plene et integre ad ipsa spectancia, que frater noster, bone memorie dominus Allexander olim Magnus Dux Littwanie prenominatus possidebat, preter castra ad Terram *Podolie* spectancia: eciam si medio tempore quocumque modo ad possessionem nostram, aut Corone et Regni nostri devenirent: prefato fratri nostro Duci Magno, ad tempora sue vite tenenda et possidenda dabimus, darique faciemus et assignari. Que quidem castra prefatus frater noster, Magnus Dux dominus Sigismundus, nulli debet dare ad tenendum, nisi prius in manibus suis corporale prestet juramentum, et suis literis patentibus se inscribat, quod pro ipso fratre nostro, illud seu illa fideliter tenebit, et post decessum suum, nulli altero (sic) nisi nobis, filijs nostris, aut Corone Regni Polonie resignabit. Item *Rathno, Wyethle* et *Lopaczin,* cum bonis omnibus ad predictos districtus spectantibus, nos et Corona perpetuo possidebimus et in ewum. Preterea, sub fide et honore, absque dolo et fraude, ac onere prestiti iuramenti, omnes ligas, inscripciones et uniones: si quas umquam in dampnum, periculum, aut contemptum eiusdem fratris nostri, Ducis Magni Sigismundi, et quorumvis dominiorum suorum, cum cuiuscumque status aut condicionis hominibus fecissemus: abolentes et in nichilum redigentes, promittimus et spondemus, quod nullium (sic) hominum, cum quibus federati sumus et uniti, favoribus, subsidijs et quibuscumque prerogativis, prefato fratri nostro Duci Magno Sigismundo preferre volumus, nec unquam contra ipsum esse; quinhimo ipsum supra et ultra, et contra omnes, et specialiter contra fratrem nostrum Ducem Switrigall, nostris consilijs, auxilijs et favoribus, et quibusvis subsidijs, vita, et rebus eciam quocienscumque, et contra quoscumque inimicos opportunum fuerit, cum nostra potencia viribusque, et subditis nostris, perpetue adiuvare; et ad hec firmiter obligamur. Nec unquam ipsum, aliquibus exquisitis coloribus, volumus deserere et alijs adherere; sed secum stare in prosperis et adversis, et eum ab omnibus adversitatibus et periculis, pure et constanter ac fideliter permunire. Item, prefatus frater noster et sui successores,

prefatum Ducatum Magnum sic tenens de manu nostra, ut prefertur, non debet aspirare, ad cuiuscumque suggestionem seu monicionem, ad suscipiendum regale fastigium, videlicet coronam, contra nostrum, successorum nostrorum et Corone Polonie consensum et voluntatem. Et ut hec premissa omnia et singula, superius contenta, maioris roboris obtineant firmitatem, nos Albertus dei gracia Archiepiscopus et Primas Sancte Ecclesie Gneznensis, Sbigneus Cracoviensis, Stanislaus Poznaniensis, Johannes Chelmensis, Episcopi; Wladislaus Electus Ecclesie Wladislaviensis, Jacobus (²) de *Michalow* Castellanus et Capitaneus (sic), Petrus Schaffranecz de *Pyeschcowascala* Cracoviensis, Sandzivogius de *Ostrorog* Poznaniensis, et Maioris Polonie Capitaneus, Spitko de *Tarnow* Sandomiriensis, Andreas de *Domaborzs* Calisiensis, Martinus de *Calinowa* Siradiensis, Stiborius de *Borzislawicze* Lanciciensis, Johannes de *Lichin* Brestensis, Jarandus de *Grabie* Juniwladislaviensis, Johannes de *Dambrowa* alias Manzik Leopoliensis, Palatini; Martinus de *Slawsko* Poznaniensis, Johannes de *Czisow* Sandomiriensis, Petrus de *Bnyn* Gneznensis, Dobeslaus de *Oleschnicza* Lublinensis, Laurencius Zaramba Siradiensis, Petrus de *Zirniki* Calisiensis, Albertus Malski Lanciciensis, Cristinus de *Cozieglewi* (sic) Sandeczensis, Cristinus de *Smolsko* Brestensis, Johannes de *Oleschnicza* Regni Polonie Marsalcus, Florianus de *Corithnicza* Wisliciensis, Domarath de *Cobilani* Woynicensis, Wincencius de *Schamotuli* Myedzirecensis, Stanislaus de *Bielawi* Brezinensis, Nicolaus Slup Dobrinensis, Johannes de *Tanczin* Bieczensis, Warsius de *Samborzecz* Zawichwostensis (sic), Paulus Zlodziey Malogostensis, Stanislaus Gamrath Polanecensis, Paschko de *Goslawicze* Conariensis, Stanislaus de *Goszdna* Brzezensis (sic), Jacussius de *Serzigy* (³) Ryppinensis, Hriczko Kerdeyowicz Leopoliensis, Nicolaus de *Wisnicze* Premisliensis, Michael de *Buczacz* Halicensis et Capitaneus, Petrus Smoliczski Sanocensis, Przedpelkus Copidkowski (⁴) Landensis, Castellani; Petrus iunior Schaffranecz de *Pieschcovascala* Cracoviensis, Petrus Cordebog Poznaniensis, Andreas Czolek Sandomiriensis, Dobrogostius de *Schamotuli* Calisiensis, Thomas Scheliga Siradiensis, Stanislaus de *Dobrzelino* Lanciciensis, Andreas Donyn

(²) Aliud hujus documenti exemplar quod inferius Nro CLXXX. ad annum 1440 expressum est, habet *Nicolaus*. (³) In alio exemplari legitur: *Strzigij*. (⁴) In alio exemplari est: de *Copidlow*.

de *Graijow* Brestensis, Stanislaus Sczkowsky Wladislaviensis, Andreas de *Lubino* Dobrinensis et Regni nostri Thezaurarius, Subcamerarij; Martinus de *Wroczimowicze* Cracoviensis, Theodricus Poznaniensis, Stanislaus de *Charbinowicze* Sandomiriensis, Nicolaus de *Pleschow* Calisiensis, Zegota de *Moykowicze* Siradiensis, Petrus de *Opporow* Lanciciensis, Nicolaus de *Cosczelecz* Brestensis, Vexiliferi; Paulus de *Bogumilowicze* Cracoviensis, Abraham de *Dzbaschin* Poznaniensis, Johannes de *Sprowa* Sandomiriensis, Troianus de *Lekna* Calisiensis, Petrus de *Widawa* Siradiensis, Adam de *Thur* Lanciciensis, Andreas de *Ludbrancz* Brestensis, Mathias Wladislaviensis, Judices; Petrus Strikowski Pincerna Lanciciensis, Sigismundus Bobowski Cracoviensis, Andreas de *Wroblow* Lanciciensis, Subiudices; Andreas Galka Cracoviensis, Johannes de *Conyn* Sandomiriensis, Dadzibogius de *Pijaszek* Lanciciensis, et Petrus de *Podgrodze* Lublinensis, Tribuni; Nicolaus de *Chranstowo* Gladifer Cracoviensis, et Capitaneus Sanoczensis: Barones, Milites Regni Polonie, de certa sciencia, voluntate, mandato et consensu aliorum omnium fratrum, amicorum et consanguineorum nostrorum, Prelatorum, Baronum et Nobilium; totumque Regnum, ac Corona Regni Polonie promittimus, pura fide, absque dolo et fraude, ac sub onere corporaliter super ligno Crucis vivifice prestiti juramenti: Quod prefatus dominus Wladislaus Rex Polonie, dominus noster graciosissimus, eiusque nati et successores, tenebit, attendet et servabit; tenebunt, attendent et servabunt; Nosque cum ipso et ipsis, tenebimus et servabimus inviolabiliter. Ipsumque, natos, et successores suos, dominos nostros Reges Polonie futuros, inducemus ad tenendum et servandum fideliter et constanter suprascripta. Harum, quibus sigilla nostrorum Prelatorum, Baronum, Militum, Procerum et Nobilium suprascriptorum sunt appensa, testimonio literarum. Actum in *Nowa Civitate Corczin,* Sabbatho ante Dominicam Oculi, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo quarto. Datum per manus Magnifici Johannis de *Coneczpole* Cancellarij et Reverendi Patris, domini Wladislai electi Ecclesie Wladislaviensis Episcopi, Vicecancellarij Regni Polonie, sincere nobis dilectorum.

CLXXVII.

Grodnae, anno 1437 d. 6 mensis Decembris.

Legati Conventionis Siradiensis ad M. D. L. Sigismundum missi promittunt nomine Regis Wladislai III. incolas Regni Poloniae Duci Swidrigelloni Luceoriensi nulla servitia praestituros (¹).

Vincencius dei gracia Sancte Ecclesie Gneznensis Archiepiscopus et Primas, Sbigneus eadem gracia Episcopus Cracoviensis, Johannes de *Thanczin* Sandomiriensis, et Martinus de *Slawsko* Calisiensis Palatini, tenore presencium recongnoscimus (sic), quibus expedit universis: Quomodo de generali convencione, in festo beate Hedwigis proxime transacto, *Siradie* celebrata, ad preclarum Principem Dominum Sigismundum dei gracia Magnum Ducem Lythwanie, Russie etc. cum plena informacione missi, cupientes literas inscripcionum inter serenissimum Principem Dominum Wladislaum Regem Polonie, dive memorie dominum nostrum graciosissimum, Coronam et Regnum ipsius ex una, et preclarum Principem Dominum Sigismundum Magnum Ducem Lythwanie, Russie etc. partibus ab altera, confectas, sanas, salvas et integras, conservare; pro serenissimo Principe domino Wladislao dei gracia Rege Polonie moderno, Lythwanieque Principe Supremo, et herede Russie etc. domino nostro gracioso, Preclaro Principi domino Sigismundo prefato Magno Duci Lythwanie, Russie etc. et Ducatui suo Magno promisimus, spopondimus et fideiussimus, tenoreque presencium promittimus, spondemus et fideiubemus: quod ad Regnum Polonie redeuntes Barones, Milites, aliosque clientes, cuiuscumque status, condicionis existant, Regni nostri Polonie incolas, seu gentes, in castro *Luczsko* et alibi ubicumque in servicijs Ducis Swidrigal .... serenissimus dominus noster Rex modernus, Regnum et Corona ipsius revocabit et educet, atque revocari et educi faciet, infra hinc et festum conversionis sancti Pauli proxime

(¹) E tabula authentica membranacea in tabulario Ill. Principum Radziwillorum asservata. Huic tabulae appensa sunt taeniolis pergamenis tria sigilla mediae magnitudinis, exhibentia insignia vocibus inscripta, jam deleta. Quartum sigillum, cujus taeniola superest, desideratur.

affuturum, realiter et cum effectu, nec de cetero eosdem Barones, Nobiles, Clientes, seu alias quascunque Regni sui gentes, Indigenas, Subditos, et ipsi domino Regi nostro, Regno et Corone ipsius adherentes, ad ipsum Ducem Swidrigal redire et transire: seu eciam alias quascunque ceteras gentes, per ipsum Regnum et terras suas non [? ire] volentes, aliquo (sic) permittat; sed omnino ipsum Swidrigal ipse dominus Rex modernus, cum omnibus sibi, Regno et Corone suis subditis et adherentibus: eciam quacunque prefulgeant dignitate, et signanter Ducibus Mazovie, cum ipsorum subditis, et presertim Duce Kazimiro: viribus, consilijs et favoribus quibuscunque deseret et obmittet. Quinimo, ipsum Swidrigal toto posse infestabit et persequetur; arma, victualia, mercaturas, ceterasque res, quocunque vocabulo censeantur, in subsidium de Regno suo, seu per Regnum in *Luczskam* vel alibi, eidem Duci Swidrigal ministrari et duci prohibebit. Contrarium autem facientes, seu quovismodo attemptare presumentes, corrigere et punire dominus Rex debebit cum effectu: premissa omnia et singula, sub fide et honore, ac onere corporalis prestiti iuramenti, quovis colore exquisito procul moto, facientes. In casu autem, quo Barones, Nobiles, Clientes, seu alie quecunque gentes et subditi Regni Polonie, de eodem castro *Luczsko*, infra terminum eundem nec recesserint, nec revocati fuerint; et predicta nostra promissa, sponsiones et fideiussiones, suum debitum non possent sortiri, nec sortirentur effectum; extunc literas, quas in hac convencione seu dieta, a prefato domino Sigismundo Magno Duce Lythwanie recepimus confectas, super fidelitate prestanda, per Capitaneos in castris et dominijs Magniducatus Lythwanie et Russie, per ipsum dominum Sigismundum, Magnum Ducem Lythwanie instituendos, sanas et integras, eidem domino Sigismundo Magnoduci Lythwanie restituere tenebimur cum effectu. Et nichilominus circa priores literas, juramenta et inscripciones, cum eodem domino Sigismundo Magnoduce Lythwanie alias in Grodno factas, prestitas et conclusas, remanere volumus et debemus. Promittimus eciam, spondemus et fideiubemus: quod dominus Rex noster, dum ad debitam suorum annorum pervenerit etatem, se cum suis prelatis et baronibus, eidem domino Sigismundo Magno Duci Lythwanie, iuxta tenorem presencium inscribet, huiusmodique suam inscripcionis literam, sigillo sue maiestatis, prelatorumque ac dignitariorum suorum, sigillis sancire .... Harum, quibus sigilla nostra presentibus

sunt appensa, testimonio literarum. Datum et actum in *Grodno,* feria sexta, in die Sancti Nicolai Pontificis et Confessoris gloriosi, anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo septimo.

CLXXVIII.

Cracoviae, anno 1438 d. 8 mensis Augusti.

Wladislaus III. Rex Poloniae, villae *Przygodzice* Nobilis Raphaeli de *Goluchow* propriae, privilegium Juris Teutonici Magdeburgensis largitur (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humana comoda, nichil dignius memoria habeatur, oportunum existit, ut actus hominum, literarum apicibus et testium annotacione perhennentur, ne lapsu temporis evanescant: Proinde Nos Wladislaus dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie, Lithwanie Princeps Supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Significamus tenore (sic) quibus expedit universis, tam presentibus quam futuris noticiam presencium habituris: Quomodo attentis plurimis fidelium serviciorum comoditatibus, quibus nobis Magnificus Raphael de *Goluchow,* Subcamerarius Calisiensis et Capitaneus Maioris Polonie Generalis, nobis sincere dilectus, gratum se iugiter reddidit et acceptum: horum gracia, ac ad humilem precum suarum instanciam, sibi de consilio consiliariorum nostrorum, civitatem seu opidum in bonis suis *Przigodzicze,* et in desertis *Rczijelini,* in terra Maioris Polonie et districtu Calisiensi sitis, de benignitate nostra speciali, de nowa radice erigere atque locare indulsimus et indulgemus, tenore presencium mediante, jure tamen Theutunico Maidburgensi. Quod quidem opidum sive civitatem, taliter de nowo locandam, *Szwijathlowo* hoc nomine decernimus et volumus appellari. Dantes ipsi Raphaeli plenam et totalem potestatem, homines cuiuscumque lingwaij (sic) de partibus extraneis Regno nostro contiguis, ad dictam civitatem sive opidum convocandi, et eam frequencia

(1) Descriptum ex archetypo membranaceo, in tabulario Ill. Principum Radziwillorum Nieboroviae asservato. Sigillum deest.

hominum collocandi, sine tamen preiudicio nostrarum regalium civitatum. Et ut ipsa civitas sive opidum, tanto celerius condicionem possit recipere meliorem, ac hominum pluralitate collocari, in ea forum annuale sive nundinas, in festo Assumpcionis beatissime virginis Marie, annis singulis, forum vero septimanale, ferijs quintis in qualibet septimana anni cuiuslibet, statuimus et ponimus, temporibus perpetuis celebrandum: dantes et concedentes plenam libertatem, omnibus et singulis mercatoribus, et quibusvis hominibus sexus utriusque, ad predictam civitatem sive opidum, et ad dicta fora annualia et septimanalia, cum ipsorum rebus et mercancijs universis, cuiuscumque generis, ponderis vel speciei fuerint, veniendi, emendi, comutandi, ac secundum beneplacitum ipsorum disponendi, ac ad propria, dispositis vel non dispositis, redeundi. Decernentes: ipsos in accedendo et recedendo nostra potiri securitate, nisi tales sint, quos jura non permittunt, et quibus merito fide dignorum consorcia denegantur. Mandamus ea propter omnibus et singulis Capitaneis, Castellanis, Burgrabijs, Procuratoribus et alijs Officialibus Regni nostri quibuscumque, et presertim Maioris Polonie: quatenus ipsos mercatores, et homines sexus utriusque, ad pretactam civitatem sive opidum *Szwijathlowo,* ac ad predicta fora annualia et septimanalia, cum eorum bonis, mercancijs et rebus, libere et sine quovis impedimento ire, venire et redire, stare ac morarij, prout ipsis eorum necessitas persuaserit, permittatis, et faciatis permitti, gracie nostre sub obtentu. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum *Cracovie,* feria sexta proxima ante festum Sancti Laurencij Martiris. Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo octavo. Presentibus ibidem Magnificis, Nobilibus et Strennuis: Johanne de *Czyszow* Cracoviensi, et Johanne de *Lichin* Brestensi, Palatinis; Paulo de *Byscupicze* Malogostiensi, et Dobrogostio de *Colno* Camenensi, Castellanis; Abraham de *Dzbanschyn* Poznaniensi, et Johanne Rey Cracoviensi, Judicibus: ac alijs pluribus fide dignis. Datum per manus Magnifici ac Generosi virorum (sic) Johannis de *Coneczpole* Cancellarij, et Petri Wode de *Schczekoczyni* Vicecancellarij Regni Polonie, nobis sincere dilectorum.

Ad relacionem Magnifici Johannis de *Coneczpole,* Regni Polonie Cancellarij predicti.

CLXXIX.

Korczini, anno 1439 d. 17 mensis Septembris.

Wladislaus III. Rex Poloniae Nobili Petro de *Bnin*, centum marcas in oppido *Mossina* villisque adjacentibus inscribit (1).

Wladislaus dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque Princeps Suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quomodo attendentes grate fidelitatis studiosa obsequia, quibus Magnificus Petrus de *Bnin*, Castellanus Gneznensis magestati nostre complacuit, et in futurum, aucto fidelitatis studio, prestancius poterit complacere, horum intuitu cupientes ipsum graciarum nostrarum prosequi fauoribus, et ad obsequia nostra continuo reddere promciorem: sibi in et super opido *Mossina*, villisque *Pozegowo*, *Schovinyecz*, *Crosno*, *Zabno*que, in districtibus Poznaniensi et Costensi sitis, centum marcas monethe et numeri polonicalium, quadraginta octo grossos marcam in quamlibet computando, dedimus, donauimus et tenore presencium damus et donamus, inscribimus et largimur, per ipsum Petrum et ipsius legittimos successores tenendas, habendas, utifruendas, et pacifice ac quiete, in predictis centum marcis, possidendas. Cum omnibus et singulis fructibus, censibus, redditibus, prouentibus et utilitatibus, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, borris, nemoribus, gaijs, mericis, rubis, rubetis, fluuijs, riuis, lacubus, piscinis, aquis, molendinis, emolimentis, appendijs, ac obuencionibus uniuerssis (sic) tamdiu, quousque sibi aut successoribus suis legittimis, per nos aut successores nostros, predicte centum marce fuerint persolute integraliter et ex toto. Quibus exolutis (sic), possesio (sic) opidi et villarum predictarum, ad nos et ad successores nostros, reddibit (sic) et diwoluetur (sic). Stacionibus tamen et juribus nostris regalibus, in omnibus semper saluis. Harum testimonio literarum, quibus sigillum

(1) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 390 asseruato. Sigillum minoris formae, taeniola pergamena appensum idem, quo Wladislaus Jagellonides utebatur. Tabula praecisa.

nostrum presentibus est appensum. Datum in Nouaciuitate alias *Corczin* feria quinta, in die sancti Lamperti, anno domini millesimo CCCC° tricesimo nono.

Ad relacionem Magnifici Petri de *Sczekoczin*, Regni Polonie Vicecancellarij.

CLXXX.

Cracoviae, anno 1440 d. 13 mensis Januarji.

Privilegium Wladislai III. Regis Poloniae, quo confirmantur priora pacta et foedera inter Jagellonem Patrem ejus et Sigismundum M. D. Lithuaniae patruum inita (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Wladislaus tercius dei gracia Rex Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie, Syradie, Lancicie, Cuyavie, Lithwanie Princeps Supremus, Pomeranie, Russieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis presentibus et futuris, horum noticiam habituris: Quomodo preclarus et inclitus Princeps dominus Sigismundus, Magnus Dux Lithwanie, Russie etc. patruus noster carissimus, reducens ad memoriam nostram federa inscripcionum, contractuumque super nonnullis disposicionibus, per dive memorie Serenissimum Principem dominum Wladislaum Polonie Regem etc. progenitorem et predecessorem nostrum carissimum, et Coronam Regni nostri Polonie, cum eodem domino Duce Magno, Ducatuque Lithwanie, et terris sibi subiectis, habita atque facta, precipue ut iugis eviterne caritas inter nos utrimque permaneat, omnisque suspicionis ambiguitas e cordibus evallatur (sic): optavit concupivitque hec ipsa inscripcionum contractuumque federa, per maiestatem nostram, sue caritati Ducatuique Lithwanie et Terris ipsi suppositis confirmari, ratificari, innovari et approbari. Quorum quidem federum, contractuum et inscripcionum tenor sequitur de verbo ad verbum et est talis:

(1) Descriptum ex archetypo membranaceo, in tabulario Ill. Principum Radzivillorum Nieborovize asservato, cui appensum est funiculo serico sigillum vulgo majestaticum dictum, penitus deletum.

„In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum et dubiorum prudenter occurrimus incomodis, dum gesta etatis nostre litterarum apicibus, et testium annotacione perhennamus: Proinde nos Wladislaus" etc. (*Vid. privilegium Wladislai Regis anno* 1434, *Korczini datum N^ro^ CLXXVI. p.* 312).

Nos itaque Wladislaus tercius Rex prefatus revolventes in animo, quanta puritatis affeccione, prefatus patruus noster carissimus, dominus Sigismundus Dux Magnus Litwanie, suppositique Terrarum eiusdem, personam nostram dilexerunt veneratique sunt: attendentes suprascripta federa, inscripciones et contractus, per omnia iusta esse et racionabilia, ipsa rata atque grata per omnia habentes, de certa sciencia nostra, Principum, Prelatorum et Baronum nostrorum accedentes (sic) consilio, in omnibus suis punctis, posicionibus, condicionibus, articulis et clausulis ratificamus, gratificamus, innovamus et approbamus, tenore presencium mediante, decernentes ea robur optinere perpetue firmitatis. Harum testimonio literarum, quibus sigillum maiestatis est appensum. Actum *Cracovie,* feria quinta infra octavas Epifanie. Anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo. Datum per manus Magnificorum: Johannis de *Coneczpole* Cancellarij et Petri Voda de *Sczekoczini* Vicecancellarij, sincere nobis dilectorum.

CLXXXI.

Budae, anno 1441 d. 30 mensis Augusti.

Wladislaus III. Rex Hungariae et Poloniae 600 marcas in castro et oppido *Costen* atque villis pertinentibus, Nobili Lucae de *Gorka* inscribit egregia in se merita ejus sic remuneraturus (¹).

Wladislaus dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Lithwanieque Princeps Suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quod nos recensentes multiplicia merita, et fidei

(¹) Ex archetypo membranaceo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae N^ro^ 389 asservato. Sigillum quod desideratur appensum erat taeniola pergamena. Tabula praecisa.

integre prestanciam Magnifici et Generosi Luce de *Gorca,* Capitanei Costensis fidelis nostri sincere dilecti, que Maiestati nostre a diu retroactis temporibus, et potissime ab inicio prosecucionis negociorum nostrorum huius nostri Hungarie Regni, cum familijs et impensis, atque armorum decenti apparatu, usque in presens constantissime peregit, et rebellibus nostris, facta nostra in ipso Regno impedire temptantibus, pectore armato resistere non expauit: ut itaque, huius rei gracia, fauoribus nostris digne recreatus ad horum maiora obsequia conualescat, atque ingenciori opera amplius prestanda inardescat, sibi in et super castro et ciuitate nostris *Costensibus,* in terris Maiorispolonie sitis, et villis omnibus ad illa pertinentibus, sexingentas marcas monete et numeri polonicalium comunium, XLVIII. grossos in quamlibet marcam computando, dedimus, donauimus, damusque, donamus et inscribimus presencium per tenorem, per ipsum et suos huiusmodi posteros, cum omnibus et singulis eorumdem castri, ciuitatis et villarum ad ipsa pertinencium utilitatibus, fructibus, censibus, redditibus, prouentibus, predijs, curijs, agris, pratis, campis, siluis, mericis, borris, gaijs, rubetis, nemoribus, fluminibus, lacubus, piscinis, piscaturis, aquis, molendinis, emolimentis, venacionibus, aucupacionibus, mellificijs et pertinencijs vniuersis, quomodolibet ad ea spectantibus habendum, tenendum, utifruendum et pacifice possidendum tamdiu, quousque sibi, uel suis legittimis successoribus, per nos uel successores nostros, prefate sexingente marce, cum alijs pecunijs per alias litteras inscriptis, ex integro persoluantur. Quibus exsolutis dictorum castri, ciuitatis et villarum possessio, ad nos et succedaneos nostros deuoluetur pleno jure. Stacionibus tamen nostris, et juribus regalibus solitis et consuetis, per omnia semper saluis. Datum *Bude,* feria quarta infra octauas festi sancti Bartolomei beati Apostoli, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo.

Ad relacionem Magnifici Johannis de *Conyeczpole,* R. P. Cancellarij.

CLXXXII.

Budae, anno 1442 d. 1 mensis Octobris.

Wladislaus III. Rex Hungariae et Poloniae, Nobili Michaeli Lasocki 200 marcas in oppido suo *Srzem* inscribit (1).

Wladislaus dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Lithwanieque Princeps Suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quomodo nos pensatis fidelibus seruicijs, et pure fidei meritis Generosi ac Nobilis Michaelis de Lassothkj, familiaris nostri grate nobis dilecti, quibus Maiestati nostre circa prosecucionem negociorum nostrorum huius incliti Regni nostri Hungarie complacuit, et precipue nostris hostibus, facta nostra in Regno nostro Hungarie predicto, impedire conantibus virili manu resistendo, et eciam volentes ipsum facere indempnem pro ipsius dampnis, que suscepit circa ciuitatem *Agriensem* (2), dum nostri felicem cum hostibus nostris habuerunt conflictum, dono dei prospere obtentum, in rebus suis ibidem existentibus: horum intuitu, cupientes ipsum consolari, et ad huiusmodi seruicia nostra decetero reddero prompciorem, sibi in et super opido nostro *Srzem* wlgariter nuccupato, cum villis omnibus ad ipsum adiacentibus, in Terra Maiorispolonie et Districtu Poznaniensi iacentibus, ducentas marcas monete et numeri polonicalium comunium, quadraginta octo grossos in marcam quamlibet computando, dedimus, damusque, inscribimus et largimur graciose per presentes, per ipsum et suos liberos, cum omnibus et singulis prefati opidi et villarum utilitatibus, fructibus, censibus, redditibus, prouentibus, allodijs, curijs, agris, pratis, campis, siluis, mericis, borris, gaijs, pascuis, sereptis (sic), rubetis, nemoribus, fluminibus, lacubus, piscinis, piscaturis, stangnis (sic), paludibus, riwulis, torrentibus, aquis et earum decursibus, molendinis, emolimentis, venacionibus, aucupa-

(1) Ex archetypo in charta membranacea scripto, in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro 371 asservato. Sigillum deest. Documentum praecisum.

(2) Agria, Abieta, germanice Eger urbs munita in Ungaria superiori. Vid. Siarczyńscii: *Dykcyon. geograficzny.*

cionibus, mellificijs et alijs obvencionibus generaliter vniuersis, ad prefatum opidum atque villas pertinentibus, habendum, tenendum, regendum, utifruendum, et pacifice possidendum ita diu, quousque per nos uel successores nostros legittimos, sibi uel suis successoribus legittimis, prefate ducente marce ex integro persoluantur. Quibus persolutis, extunc predicti opidi, villarum et suarum pertinenciarum possessio, ad nos et succedaneos nostros legittimos deuoluetur pleno jure. Stacionibus tamen nostris et juribus regalibus solitis in omnibus semper saluis. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum *Bude*, feria secunda proxima post festum sancti Michaelis Archangeli gloriosi, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo.

Relacio Generosi Grotek de *Jankouicze*, Regie Majestatis familiaris etc.

CLXXXIII.

Waradini, anno 1443 d. 14 mensis Maji.

Wladislaus III. Rex Hungariae et Poloniae Nobili Michaeli de *Buczacz*, centum marcas in villa sua *Zloczow* inscribit (1).

Wladislaus dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Lythwanieque Princeps Suppremus etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quomodo pensantes multiplicia fideliaque merita Generosi Michaelis de *Buczacz* familiaris nostri sincere dilecti, quibus Magestati nostre complacuit, et aucta fide complacebit prestancius in futurum: horum intuitu, volentes ipsum consolare, et ad obsequia nostra de cetero reddere prompciorem, sibi in et super villa nostra *Zloczow*, in Districtu Leopoliensi et Terra Russie sita, centum marcas monete et numeri polonicalium consuetorum, marcam in quamlibet quadraginta octo grossos computando, dedimus, inscribimus, damusque et demonstramus tenore presencium mediante, per ipsum Michaelem de *Buczacz*, et suos posteros legittimos, cum

(1) Ex exemplari ad similitudinem tabulae authenticae effícto.

omnibus et singulis predicte ville *Zloczow* utilitatibus, censibus, reditibus, prouentibus, agris, campis, pratis, pascuis, siluis, borris, gaijs, nemoribus, virgultis, rubetis, fluuijs, fluminibus, piscinis, piscaturis, paludibus, stagnis, lacubus, aquis et earum decursibus, molendinis, emolimentis, venacionibus, aucupacionibus, et generaliter vniuersis obvencionibus, quibuscumque nominibus vocitentur, in prefata villa nostra *Zloczow* tenendum, habendum regendum, utifruendum et pacifice possidendum tamdiu, quousque sibi uel suis successoribus legittimis, per nos aut successores nostros legittimos, prefate centum marce integraliter fuerint persolute. Quibus exsolutis, possessio antedicte ville nostre *Zloczow*, ad nos et successores nostros legittimos reuertetur pleno jure. Stacionibus tamen et juribus regalibus nostris solitis, in omnibus semper saluis. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est appensum, testimonio literarum. Hoc eciam specialiter addito, ut ibi personalem faciat residenciam. Datum *Waradino,* feria tercia proxima ante festum sancte Zophie, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tercio.

Ad relacionem magnifici Petri de *Sczekoczyn,* Regni P. Vicecancellarij.

In parte aversa annotatum: Lectum per Albertum de *Zichlin,* R. P. Vicecancellarium.

CLXXXIV.

Posnaniae, anno 1446 d. 17 mensis Julji.

Albertus de *Male* Capitaneus Generalis Majoris Poloniae, venditionem trium mansorum agri scultetiae in *Poszegowo* cum lacu ibidem, Petro de *Bnin* per Joannem Scultetum de *Poszegowo* factam, ratam esse jubet (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Albertus de *Male* Palatinus Lanciciensis, Regie Maiestatis Locumtenens et Capitaneus

(¹) Ex archetypo in charta membranacea scripto Varsaviae in tabulario publico Regni Poloniae Nro 1095 asseruato. In funiculo serico coloris rubri appensum sigillum parvum exhibet in scuto insigne „*Nałęcz*" dictum: super insigne posita est galea, et super hanc cornua cervi. Inscriptio deleta. Ex altera parte sigilli, expressum similiter insigne Nałęcz in ambitu leguntur verba: „*S. Alberti de Malye Pal*".

Maioris Polonie generalis. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis presentibus et futuris: Quomodo ad nostram, aliorumque eiusdem terre Nobilium veniens presenciam, prouidus Johannes Scoltetus de *Poszegowo,* non compulsus, non coactus, nec aliquo errore deuio seductus, sanus mente et corpore existens, usus amicorum suorum consilio, et matura deliberacione prehabita, tres mansos agri scoltecie in eadem villa *Poszegowo,* in Districtu Poznaniensi sita, cum lacu *Scrzinky* dicto, ad predictos tres mansos scoltecie spectante, ac campis, agris, pratis, pascuis, graminibus, siluis, borris, mericis, nemoribus, sareptis, indaginibus, rubetis, quercetis, pinetis, mellificijs, fluuijs, fluminibus, lacubus, stangnis, paludibus, piscinis, piscaturis, rippis, riuulis, torrentibus, aquis et earum decursibus, molendinis, emolimentis, venacionibus, aucupacionibus, curijs, domibus, areis, allodijs, predijs, ortis, pomerijs, montibus, collibus, laboribus, honoribus, censibus, fructibus, redditibus, prouentibus, utilitatibus, solucionibus, cum omni jure quoque et dominio, prout solus habuit et tenuit, et obuencionibus alijs, generaliter uniuersis, quibuscumque dicantur nominibus, ad predictos tres mansos et lacum quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ita longe, late et circumferencialiter, prout in suis metis et finibus sunt limitati et distincti, nichil juris nec dominij sibi, nec suis successoribus, ibidem penitus reseruando, pro quadraginta marcis mediorum grossorum, monete et numeri polonicalium comunium, videlicet quadraginta octo grossos marcam in quamlibet computando, Magnifico domino Petro de *Bnijn* Castellano Gneznensi, et suis successoribus legitimis, vendidit, et coram nobis rite et racionabiliter, iuxta terre consuetudinem, imperpetuum resignauit, per ipsum dominum Petrum Castellanum, et successores suos habendum, tenendum, regendum, utifruendum, vendendum, obligandum, commutandum, alienandum, dandum, donandum, possidendum, et in usus suos beneplacitos conuertendum, prout sibi et successoribus suis, melius et utilius videbitur expedire. Harum, quibus sigilla nostra presentibus sunt appensa, testimonio literarum. Actum et datum *Poznanie,* die dominico proximo post festum Diuisionis Appostolorum beatorum. Anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto. Presentibus ibidem Nobilibus: Mathia Borek de *Oszeczna* Castellano Naklensi, Mathia de *Slachczino,* Nicolao de *Dobijescheuicze,* Johanne de *Czekanowo,* Johanne de *Camyenijeuicze,* et Johanne de *Rogaschicze* heredibus, testibus circa premissa.

CLXXXV.

Ploscii (in monasterio S. Mariae Magdalenae), anno 1449 d. 29 mensis Januarii.

Privilegium Petri Praepositi Ecclesiae S. Mariae Magdalenae extra muros Plocenses, quo disponuntur labores subditorum in villa *Bronislaw* una cum dationibus (¹).

In nomine domini, amen. Quia omnium rerum simul cum hominibus labitur a memoria (sic), igitur nos Petrus, diuina gracia Prepositus Sancte Marie Magdalene extra muros Plocenses, Ordinis Premonstratensis, recognoscimus tenore presencium, quibus expedit uniuersis: Qualiter et quomodo ordinamus et concordamus cum nostris kmetonibus de *Bronyslw* (sic), pro omnibus laboribus et reditibus eiusdem ville, quomodo et quid debent soluere et laborare. Primo, quod predicti kmetones de dicta villa *Bronyslaw* tenebuntur collere (sic) ex toto nostrum predium, sine omni nostra cura, et sine omni nostra apposicione, et sine nostris expansis (sic). Eciam idem (sic) incole eiusdem ville, tenebuntur nobis et monasterio nostro, diem naturalem laborare, et hoc tali condicione: quod de duobus manssis (sic) cum uno aratro laborabunt. Eciam predicti kmethones dicte ville, tenebuntur nobis soluere unam sexagenam curentis (sic) pecunie ad festum Sancti Martini sicut mos terestris (sic) est. Eciam predicti incole sepe nominate ville, tenebuntur nobis et pro nostro monasterio facere unam dietem (sic) in *Thorun,* pro quacunque nostra necessitate et hoc semel in anno. Similiter dicti kmethones tenebuntur aliam dietem facere, pro quocumque necesse fuerit, equitare in *Bresht* (sic) et ad *Vladislauiam,* pro quocumque necesse fuerit, et hoc ad adventum domini prepositi. Eciam iam dicti agricole debent nobis, et nostro monasterio, nostrum ad monasterium in *Plock* ducere capones, simul et oua ad festum pasce, omni anno sine dillacione (sic). Eciam dominus prepositus debet proibere (sic) suis ortulanis, ut non alibi, nisi in curia meterent, ubi vellent uel in nostro agro, uel in quatuor mansis, qui sunt extra nostrum predium. Ne autem dicti incole retro habirent (sic), uel

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae Nro 1112 descriptum. Sigillum parvum taeniola pergamena appensum, penitus deletum.

aliquam ambiguitatem, uel aliquam ocassionem (sic) facerent, reiteramus labores in hijs scriptis, quod debent arare tam ad estiualia, quam eciam ad yemalia, prata omnia falcare, rastrare, fenum et frumenta ad olodium (sic) ducere, sine omni nostra cura. Et hec concordia facta est coram Nobilibus videlicet: domino Phal de *Stavyecz,* Mathia Ppobodzye (sic); et discretis viris: domino Paulo Vicario in ibidem, Mathia de *Llancicia* scole rectore ibidem, ceterisque multis fide dignis. Ut autem hec concordia stabilitatem habeat, eidem sigillum nostrum, quo utimur ad talia, appendimus. Datum nostro in Monasterio Sancte Marie Magdalene extra muros *Plocenses,* feria quarta proxima ante Purificacionis Sancte Marie virginis, sub anno domini M° CCCC° XLIX°.

CLXXXVI.

Cracoviae, anno 1452 d. 27 mensis Junii.

Nobiles Johannes de *Wisnicze*, Nicolaus de *Balin* et de *Cziran*, fidejubent Casimiro Regi Poloniae pro Nathko Judaeo et Teloneatore Leopoliensi (¹).

Nos Johannes de *Wischnicze* heres et Castellanus Leopoliensis, Nicolaus de *Balyn* et *Cziran,* significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis: Quomodo Serenissimo Principi et domino domino Kazimiro, dei gracia Regi Polonie, Magno Duci Lithwanie etc. domino nostro graciosissimo, non coacti, non compulsi, neque aliquo dolo aut fraude circumventi, sed matura deliberacione inter nos prehabita pro Nathko Judeo et Theoloneatore *Leopoliensi,* intuitu dictj theolonei, per ipsum Nathko ad duos annos, se continue et immediate sequentes, arendati et conventi, duo milia marcarum pecunie minute valentis, numeri et monete polonicalium, quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando, per dictos duos annos coniunctim, diuisim vero mille marcas sue serenitati solui obligatas, fideiussimus et presentibus fideiubemus, sub fide et honore nostris, omnes manu coniuncta et insolidum, ac unus pro alio principalem debitorem se ponendo. Sicque: quod, quando

(¹) Ex archetypo membranaceo Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae N^ro 1121 descriptum. Huic tabulae tria sigilla erant appensa, ut ex tribus taeniolis pergamenis apparet.

prefatus Nathko esset remissus et negligens in predictis duobus milibus (sic) marcarum solucione, extunc prenominato Serenissimo Principi et domino Kazimiro, dei gracia Regi Polonie, domino nostro graciosissimo, damus et concedimus plenam et omnimodam introligacionem et intromissionem in bona nostra hereditaria, ubicumque consistencia, iuxta quantitatem summe non persolute. Que bona sua Serenitas cum ipsorum omnibus fructibus, et prouentibus ac censibus tamdiu possidebit, donec plenarie et integre, summa quomodolibet per ipsum Nathko solui neglecta, fuerit realiter et cum effectu, per nos, aut aliquem nostrum soluta et completa. Recedimusque insuper in premissis, ab omnibus juribus terrestibus, que nobis, quo ad hoc, possent suffragari et prodesse, et sue serenitati quomodolibet obesse. In cuius rei testimonium, sigilla nostra sunt presentibus subappensa. Actum et datum *Cracowie,* feria tercia proxima post festum Sancti Johannis Baptiste, anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo.

CLXXXVII.

Przedecii, anno 1455 d. 1 mensis Aprilis.

Nobilis Johannes Advocatus de *Clodawa,* hortum ibidem Alberto Voydo oppidano Przedecensi octo marcis vendit (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Vincencius de *Beganow* Capitaneus Przedecensis, significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis, presentibus et futuris: Quomodo ad nostram aliorumque testium infra scriptorum veniens presenciam Nobilis Johannes Advocatus de *Clodawa,* non compulsus, nec coactus, nec aliquo dolo seductus, sanus mente existens pariter et corpore, amicorum suorum salubri fretus consilio, ortum ibidem in *Clodawa* situm et locatum inter alios vicinos ortos, videlicet: inter prouidi Stanislai dicti Napora ex una, et inter ipsius Johannis advocati parte ab altera, quem pronunc Babnek tenet omni cum jure, dominio et proprietate late, longeque, prout dictus ortus inter prefatos ortos est

(¹) Ex archetypo membranaceo N^ro 1091 Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae descriptum. Sigillum deest.

distinctus et limitatus, adiuncto sibi spacio, in quo oreum est locatum, liberum solutum et exemptum ab omnibus censibus, laboribus, contribucionibus, exaccionibus, stacionibus et quibuscunque obuencionibus regalibus, ciuilibus et aduocati, prout solus tenuit et possedit, nichil sibi penitus in eodem orto excipiendo, prouido Alberto dicto *Voydo,* opidano de ibidem et suis legittimis successoribus, pro octo marcis, in medijs grossis numeri Regni Polonici consueti, in quamlibet marcam quadraginta octo grossos computando, vendidisse recognouit, vendiditque cum effectu, et prout consuetudo deposcit, coram nobis perpetuo resignauit cum effectu: qui ortus situs et locatus est ex opposito aree ipsius Alberti *Voydo:* per ipsum Albertum et eius successores legittimos, sic, ut premissum est, tenendum, habendum, possidendum, utifruendum, vendendum, alienandum, comutandum, et ad usus beneplacitos conuertendum; prout sibi et eius successoribus videbitur pocius expedire, perpetuis temporibus et in ewm. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in *Przedecz* (²), feria tercia post dominicam Ramospalmarum (sic), anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto. Presentibus nobilibus et circumspectis: Paulo de *Pnowo* Burgrabio Predecensi, Andrea Advocato Przedecensi (sic), Nicolao de *Pyskowo,* Johanne Advocato de *Dziwe,* Janussio de *Camenecz* Villico et Procuratore villarum, et alijs quam pluribus testibus fide dignis circa premissa.

(²) *Przedecz* oppidum in Palatinatu quondam Masoviae, territorio vero Cujaviensi situm.

CLXXXVIII.

Vilnae, anno 1457 d. 2 mensis Maji.

Privilegium terrestre a Rege Casimiro, Magno Ducatui Lithuaniae, ejusque incolis concessum (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnia que geruntur in tempore, ab hominum memoria simul labuntur cum tempore, nec

(¹) Ex archetypo membranaceo, in tabulario Ill. Principum Radzivillorum Nieboroviae asservato, cui unum sigillum appensum erat funiculo serico coloris rubei, albi et viridis, nunc tamen

ad futurorum possunt venire noticiam, nisi in scripturis reposita conserventur. Proinde, nos Kazimirus dei gracia Electus Rex Regni Polonie et Magnus Dux Littvanie, Russie et Samagittie terrarum etc. considerata fidelitatis constancia reverendissimorum, venerabilium, illustrium, strennuorum, validorum et prudencium, ac circumspectorum: Prelatorum spiritualium et secularium, Principum, Baronum, Nobilium, Boyarorum et Civium terrarum Magni Ducatus Litthvanie, Russie, Samagittie, quam ad nos, nostramque serenitatem ac personam, tanquam ad verum et legittimum heredem ac dominum naturalem, habuerunt, et defacto habent, habereque intendunt constanter et fideliter in futurum, prout hoc bene per experienciam in ipsis effectualiter est repertum, dignum duximus pro tanto bono, graciarum et libertatum muneribus, alijsque nostris favoribus, ipsis condignam et graciosam facere recompensam. Quia tunc in posterum, ad nos et nostra obsequia invenientur prompciores, quando se viderint tantis gracijs consolatos. Inprimis igitur predictis Prelatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus et Civitatibus dictarum terrarum Magni Ducatus Litthvanie, Russie, Samagittie etc. dedimus, concessimus et irrevocabiliter donavimus, vigoreque presencium damus, concedimus, donamus et in perpetuum largimur generaliter et omnino, eadem jura, libertates, et emunitates (sic), prout habent Prelati, Principes, Barones, Nobiles et Civitates Regni Polonie. Sed ne ex hac generalitate, aliqua ambiguitas sive dubietas in posterum quoquomodo possit suboriri, ipsas libertates, seu quasdam ipsarum, hic decrevimus ponere per expressum. Et primo: omnes donaciones, privilegia, et emunitates ecclesiarum kathedralium, collegiatarum et conventualium, in terris nostris Magni Ducatus Lithvanie, Russie, Samagittie etc. erectarum et erigendarum, fundatarum atque fundandarum, volumus illesas et inviolatas conservare et tueri, ac protegere iuxta nostram omnimodam potestatem. Quas quidem ecclesias kathedrales, collegiatas, conventuales, tempore medio, per mortem vel resignacionem si vaccare (sic) contigerit, et eas pastore carere, quarum jus patronatus ad nos et successores nostros dinoscitur pertinere pleno iure:

desideratur. Privilegium hocce quamvis typis exaratum sit in opere jam saepius laudato „*Zbiór Praw Litewskich*" p. 28 hic tamen inserendum duximus, quippe quod ex archetypo descriptum haud paucas in verborum contextu exhibeat varietates, quarum auctoritas plurimum nos movit, ut in hoc nostro corpore typis excudendum curaremus.

tunc ipsis de alio vel alijs pastore vel pastoribus providendo, non alium vel alios presentare debemus, nisi Magni Ducatus nostri Litthvanie indigenam; si idoneitate, et morum maturitate fuerit compertus. Sin autem (sic): tunc alterius nacionis personam utilem et honestam ac congruam, que posset preesse et prodesse, debebimus presentare, tociens, quociens opus fuerit et opportunum. Item predictis Prelatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, et Civitatibus predictarum terrarum Magni Ducatus Litthvanie, Russie, Samagittie etc. dedimus, quod ad nullius hominis delacionem sive acusacionem (sic) publicam vel ocultam (sic), seu quamvis suspicionem sinistram, ipsos Principes, Barones, Nobiles et Cives, castigare volumus seu punire quacumque pena, scilicet bonorum ablacione, pecuniaria, carceris, aut sangwinis: nisi prius in judicio manifesto, juris ordine katholico observato, actore et reo personaliter constitutis, realiter fuerint convicti: qui post iudicium et conviccionem huiusmodi, iuxta consuetudinem et jura Regni Polonie debent castigari et sentenciari, secundum suorum excessuum qualitatem et quantitatem. Item quod pro crimine cuiuspiam, nullus alius, nisi his (sic) qui peccavit et deliquit, semper tamen juris katholici ordine observato, convictus iudicialiter et senteneiatus, puniatur. Ita videlicet: quod nec uxor pro crimine sui mariti, nec pater pro crimine filij: et e converso, nec aliquis cognatus aut servus: nisi dum quis particeps esset criminis delinquentis: criminibus lese maiestatis solum exceptis: Item concedimus: ut Principes, Nobiles, Barones et Boyari supradicti, liberam habeant facultatem exeundi de terris ipsis nostris Magniducatus etc. causa uberioris fortune acquirende, et actuum militarium exercendorum, ad quaslibet terras exteras: partibus nostrorum inimicorum duntaxat exceptis. Ita tamen, quod de bonis ipsorum, sic exeuncium, servicia nostra non negligantur: sed nobis, aut successoribus nostris, tanquam ipsis presentibus, tociens, quociens fuerit opportunum, exhibeantur et ministrentur. Item prefati Principes, Barones, Nobiles et Cives, bona eorum patrimonialia, seu ipsis data, sive donata per preclarum Principem dominum Alexandrum alias Witowdum dive memorie, antecessorem et patruum nostrum carissimum, ac donaciones per Ilustrem (sic) dominum Sigismundum etc. donatas et factas, quas tenentes, habentes, et possidentes, de earum donacionum privilegijs vel privilegio legittimo et sufficienti, ac congruo testimonio testium, vel munimine literarum potuerint probare et docere, pari jure obtineant, sicut Principes, Barones,

Nobiles et Cives Regni Polonie sua noscuntur optinere, et liberam habeant facultatem ipsa vendendi, comutandi, alienandi, donandi, et in usus suos beneplacitos convertendi. Sic tamen, quod ea comutando, vendendo, alienando, vel donando: coram nobis, aut nostris officialibus, iuxta consuetudinem Regni Polonie, resignabunt. Item post mortem patrum, liberi masculi et femelle bonis paternis hereditarijs privari non debebunt, sed ea cum eorum successoribus legittimis, pleno iure possidebunt, prout Principes, Barones, Nobiles, et Cives Regni Polonie sua possident, et in usus beneplacitos convertunt. Item quando aliquem Principum, Baronum, Nobilium, et Civium predictorum, ab hac luce decedere contigerit, extunc viduam in bonis seu possessionibus mariti sui volumus remanere, quamdiu in sede permanserit viduali: que si ad secundas nupcias convolare voluerit, ipsa marito, quem ducendum eligerit (sic), tradatur; pueris tamen in bonis et possessionibus paternis, si fuerint: sin autem, proximioribus eiusdem mariti prioris, derelictis: prout et cetere vidue Regni Polonie maritantur. Si vero prior maritus, in prefatis bonis et possessionibus suis, aliquod eidem uxori sue dotalicium assignaverit, et de eo sufficienter probare potuerit, illo secundum ordinem iuris recepto, cui voluerit, nubat in dominio. Item natas et cognatas, ac consangwineas ipsarum, virgines et viduas, libere possunt tradere maritis, nobis et nostris successoribus super hoc minime requisitis: ritum tamen katholicum in talibus observantes. Item omnes et singuli kmethones et subditi Principum, Baronum, Nobilium, Boyarorum et Civium ipsarum terrarum Magniducatus Litthvanie, ab omni dacione et solucione collecte, sive exaccionis *Srzepczisne* dicte, atque mensurarum, que *Dyakla* nuncupantur, ab omnique onere vectigalium, que *Podwodi* dicuntur, a duccione lapidum, roborum, sive lignorum, pro exustione laterum sive cementi, pro castris feni falcastracione, et alijs minus iustis laboribus, soluti sint, liberi omnino et exempti: laboribus tamen pro edificacione castrorum denuo opportunorum, et antiquorum reformacione exceptis. Principum, Baronum, Nobilium, Boijarorum kmethonibus et subditis, per nos eis datis et donatis, similiter exceptis: antiquas tamen et dudum consuetas pro nobis et successoribus nostris procuraciones, collectas, staciones, poncium noworum erecciones, veterum refecciones, et viarum reformaciones, illese reservamus, et eas volumus esse semper salvas. Item quod nos, aut officiales nostri, prefatorum Principum, Baronum, Nobilium

et Civium terrarum nostrarum Litthvanie, Russie, Samagithie etc. homines tributarios, orienarios (sic) kmethones manucipiorum obnoxios, cuiuscumque sexus fuerint, aut condicionis extiterint, non suscipiemus, nec officiales nostros suscipere permittemus, quod et ipsi Prelati, Principes, Barones, Nobiles, Boijari, et Cives Magniducatus Litthvanie, Russie, Samagithie etc. nostros et successorum nostrorum similiter homines, cuiuscumque status, sexus, aut condicionis extiterint, suscipiant per se, vel per alium suum officialem, suscipere quoquomodo presumant. Item super subditos predictorum Principum, Baronum, Nobilium, et Boyarorum Ministeriales, alias *Dzeczske,* non dabimus, nisi prius a domino, cuius subditus fecerit iniuriam, iusticia fuerit postulata: qui si in certo termino eandem facere renuerit, extunc noster ministerialis, vel nostrorum officialium est dirigendus, et reus, qui penam meruerit, illam domino suo, et non alteri solvere sit astrictus. Item promittimus et spondemus: quod dominia seu terras Magniducatus nostri predicti non diminuemus, sed in suis limittibus, prout antecessores nostri, et signanter dominus Alexander alias Witowdus Patruus noster etc. prefatus tenuit et possedit, sic et nos, easdem salvas et integras tenebimus, possidebimus et tuebimur, atque cum dei auxilio, pro cunctis nostris viribus, studebimus dilatare. Item promittimus et spondemus: quod in terris ipsis nostris, ipsius Magni Ducatus terras, castra, civitates, seu quascumque hereditates, in posessiones et tenutas, ac quecumque officia sive personatus (sic) dignitates, nulli extraneorum, sed solum indigenis ipsarum terrarum nostrarum Magni Ducatus supradicti dabimus, et nostri successores dabunt, tenenda et possidenda. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subappensum, testimonio literarum. Actum et datum per manus Magnifici Kyesgalovicz de *Davilthowo,* Magniducatus Litthvanie Cancellarij. *Vilne,* feria tercia ipso die Sancti Sigismundi, anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo. Scriptum per manus Martini de *Lusky* Notarium (sic), qui presencia habuit in comissis.

CLXXXIX.

Calissiae, anno 1460 d. 13 mensis Augusti.

Casimirus Rex Poloniae a subditis monialium coenobii *Olobocensis* **castro Boleslaviecensi, labores nonnisi novem dierum unoquoque anno praestandos decernit** (1).

Kazimirus dei gracia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuanie, Russie, Prussieque dominus et heres. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis: Quomodo attendentes nos cum prelatis et consiliarijs nostris, gravamen et detrimentum non modicum religiosarum et deodicatarum monialium claustrj de *Olobok,* qualiter eas, vel earum homines seu kmethones, Generosus Marczisz Judex Wielunensis, et Tenutarius in *Boleslawiecz,* ad insolutos et inconsuetos labores compellit et astringit: tum vero visis ipsorum iuribus et privilegijs, literis eorundem perlectis, invenimus et reperimus tantummodo novem dies, quos annuatim ad castrum *Boleslawiecz* debent et tenentur laborare: statuimus et adiudicavimus, concedimusque et adiudicamus per presentes, singulis annis et non plus, perpetuo et in ewm. Quocirca vobis tenutarijs in *Boleslawiecz,* et burgrabijs presentibus et futuris mandamus, et seriose precipimus, quatinus ipsas moniales et ipsorum (sic) homines eorundem (sic) in eodem iure, et non in alio conseruetis, et conseruare debeatis, sub gracia nostra. Datum in *Kalis,* feria quarta proxima ante festum Assumcionis Marie, anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo. Sigillo nostro presentibus subappenso. Relacio reuerendi in Christo patris, domini Episcopi Wladislauiensis et Regni Polonie Cancellarij.

(1) E libro Metrica Regni dicto Nro XXIII. fol. 272.

CXC.

Cracoviae, anno 1469 d. 19 mensis Maji.

Casimirus Rex Poloniae oppido *Bobrka* in Terra Leopoliensi sito, privilegium juris theutonici Magdeburgensis largitur (¹).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Casimirus dei gratia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie etc. Significamus tenore etc. Quomodo volentes opidi nostri *Bobrka,* in Terra Leopoliensi siti, conditionem facere meliorem; ipsum de jure polonico, seu rutenico et quovis alio, in jus theutonicum transponimus et transferimus perpetuo duraturum, quod videlicet jus Maydemburgense nucupatur (sic). Remouentes ibidem omnia jura polonica, ruthenica et quevis alia, modos et consuetudines universas, que ipsum jus theutonicum plerumque perturbare consueuerunt, et solita sunt. Eximimus insuper, absoluimus et perpetue liberamus omnes et singulos opidi incolas predicti, opidanos, ab omni jurisditione et potestate, omnium Regni nostri palatinis (sic) castellanis, succamerarijs et capitaneis, judicibus, subjudicibus, et quibusvis officialibus et ministerialibus eorundem: ut coram ipsis, aut ipsorum aliquo, pro causis tam magnis, quam paruis, puta: furti, sanguinis, incendij, homicidij, membrorum mutilationis, seu quibusvis alijs enormibus excessibus, in quantum cittati fuerint, minime respondebunt (sic), nec aliquas penas soluere tenebuntur. Sed ipsi opidani et incole, coram nobis vel suo aduocato, aduocatus vero coram nobismet vel juditio nostro, dum tamen per literam nostram, sigillo nostro sigillatam, cittatus fuerit: et hoc si in reddenda justitia negligens fuerit et remissus: tunc non aliter, quam coram jure theutonico de se querulantibus, respondere sit astrictus. In causis vero criminalibus et capitalibus superius expressis, aduocatus vero (sic) prefati opidi *Bobrka* ibidem pro tempore existens, habebit intra metas et granities judicandi, puniendi, sententiandi, corrigendi et diffiniendi, plectandi (sic) et condemnandi, plenam et omnimodam facultatem et potestatem: prout

(¹) **E libro Metrica Regni dicto Nro LIV. p. 182.**

hoc ipsum jus theutonicum, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententijs, capitulis et conditionibus postulat et requirit. Preterea forum annale seu nundinarum, bis in anno: primum videlicet in octava Corporis Christi, et aliud pro festo Sancti Francisci; septimanale vero ferijs tertijs singulis annis, ab omnibus et singulis mercatoribus, vectoribus, et cujuscumque status, conditionis, sexus, vel gradus hominibus, in omnibus rebus cujuscunque generis vel speciei fuerint, statuimus, indicimus et ponimus, absque prejuditio et grauamine aliarum nostrarum ciuitatum et opidorum, exercendum et tenendum perpetuo et in euum: decernentes, quod, quicunque homines, ad dictum opidum *Bobrka*, cum rebus suis, vendendi aut emendi gratia accesserint et venerint, securitate nostra et nostrorum successorum plenaria, in accedendo et recedendo potiantur et gaudeant: nisi tales sint, quos jura non tuentur, et quibus merito fide dignorum consortia denegantur. Postremo honorabilis Mathie de *Starolomza*, Rectoris ecclesie parrochialis in *Bobrka*, et Notarii Terre Halitiensis, fidelis nostri dilecti narratione didicimus: eum pro tuendis ecclesie sue juribus, que in priuilegio aduocati ibidem specialiter sunt descripta et expressa, ipsa priuilegia aduocatie plerumque contigit (sic) quesiuisse et mendicasse. Ne igitur ob alienorum priuilegiorum mendicationem, memorata ecclesia in suis introitibus fraudaretur; jura ejusdem, que in dicti aduocati, ac sue aduocatie in *Bobrka* priuilegiis sunt expressa, in presentibus designari, et transsumi spetialiter volumus. Imprimis igitur, privilegium antedictum continere videbatur: quomodo pro ipsa ecclesia parrochiali, et ejus rectoribus, duo lanei, nec non ortus, et area pro domo liberi ascribuntur et donantur. Pro decima vero, de uno fertone polonicali statuit ipsum priuilegium responderij. Item decernit: quod Missalia, seu annone, alias *Meschne* de quolibet laneo possesso, per aduocatum et cmetones, per unum truncum siliginis, et per secundum auene, nec non datio seu columbatio, de qualibet mensa, juxta quod in alijs civitatibus in Terra Russie situatis, solui solita sunt, per incolas predicti opidi, et villarum ad ipsum pertinentium, cum efectu (sic) quomodolibet exoluantur, salua tamen consuetudine in talibus hactenus obseruata. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subappensum, testimonio literarum. Actum *Cracouie*, feria sexta ante Pentecostes proxima, anno domini millesimo quingentesimo (sic) sexagesimo nono. Presentibus reuerendo in Christo patre: domino Joanne

Episcopo, nec non magnificis et generosis: Joanne de *Thanczyn* Castellano Joanne de *Pilcza* Palatino, Cracouiensibus; Stanislao de *Ostrorog* Calisiensi, Derslao de *Rithffianij* Sandomiriensi, Palatinis; Kmitha de *Vissnijcze* Lublinensi, Joanne de *Ritchffianij* (sic) Regni Polonie Marsalco; Petro de *Branijcze* Biecensi, Stanislao de *Schidlowiecz* Zarnouiensi, Castellanis; ceterisque quam pluribus fide dignis. Datum per manus Venerabilis Alberti de *Zichlijn* Custodis Sandomiriensis, Gneznensisque et Poznaniensis Ecclesiarum Canonici, Regni Polonie Vicecancellarij, sincere nobis dilecti. Relatio ejusdem Venerabilis Alberti de *Zichlijn,* Regni Polonie Vicecancellarij.

CXCI.

Kczyniae, anno 1480 d. 2 mensis Martii.

Paulus Czayka advocatiam suam in civitate *Kczynia*, Nobili Michaeli Drogoschio vendit (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Petrus de *Oppalenycza,* Vexillifer Poznaniensis et Capitaneus Maioris Polonie generalis. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis, presentibus et futuris: Quomodo, ad nostram, et aliorum Terre eiusdem Nobilium veniens presenciam, Nobilis Paulus olim Nobilis Symonis *Czayka* Advocati *Kczynensis* filius, cum Venerabili domino Alberto de *Bidgostia* Canonico sancti Georgij in Castri (sic) Gneznensis, awunculo suo germano et tutore, non compulsus, non coactus, neque aliquo errore devio seductus, quinymo sanus mente pariter et corpore existens, fretus amicorum suorum salubri consilio, et matura intra se deliberacione prehabita, totam advocaciam suam in opido *Kczynija* in Districtu Kczynensi sitam, sui patrimonij, cum omni iure, dominio, et proprietate, quibus solus tenuit, habuit et possedit, nichil iuris, dominij siue proprietatis, pro se et legittimis successoribus, in eadem penitus reseruando, cum omnibus agris cultis, incultis, campis, arwis, pascuis,

(1) E libro Metrica Regni dicto Nro XV. p. 162.

graminibus, allodijs, predijs, curijs, areis, edificijs, structuris, ortis, ortulanis, tabernis, tabernatoribus, maccelllis, censibus, donacionibus, et universis dacionibus, siluis, borris, mericis, indaginibus, nemoribus, rubetis, stagnis, riuis, riwulis (sic), turrentibus (sic), gurgitibus, piscinis, piscatoribus, et universis piscaturis, aquis et eorum (sic) decursibus, molendinis aquaticis et ventilibus, constructis et construendis, et eorum emolimentis, nec non cum omnibus juribus, pertinencijs, attinencijs, coherencijs, possessionibus, prout jura, priuilegia ipsius aduocacie fundamentalia lacius canunt. Et generaliter cum omnibus et singulis proventibus, redditibus, et universis obvencionibus, quomodolibet ad prefatam advocaciam pertinentibus, et spectantibus, quocunque nomine, cognomine, siue vocabulo nuncupentur, ita late, longe et circumferencialiter, prout dicta advocacia in suis metis, limitibus, ac granicijs est districta et limita (sic), in et pro centum marcis mediorum latorum grossorum, monete et numeri polonicalium consueti, quadraginta octo grossos marcam in quamlibet computando, Nobili Michaeli Drogosch olim Brzostowskij (sic) de minori *Tupadla*, vendidit, et coram nobis rite et racionabiliter, iuxta terre consuetudinem imperpetuum resignauit, per ipsum Nobilem Michaelem tenendam, habendam, utifruendam, pacifice et quiete possidendam, comutandam, alienandam, obligandam, vendendam, et in usus beneplacitos, quo sibi melius et utilius videbitur expedire, convertendam. Quam resignacionem nostri ex officio Capitaneatus, ratam et gratam suscepimus, ipsamque ratificavimus et ratificamus, eam robur perpetue firmitatis obtinere decernentes per presentes. In cuius rei testimonium etc. Actum et datum in *Kczynya*, feria quinta ante dominicam Oculi, anno domini 1480. Presentibus generosis dominis etc.: Przedslao Potuliczskij Castellano Rogoznensi, Johanne Myelzynskij Gneznensi, Stanislao Sobyeywskij Kczynensi Burgrabijs; Johanne Grodzensky, Andrea Zylyczskij, Malchiar Cozlowskij, ad premissa testibus.

CXCII.

Petricoviae, anno 1484 d. 16 mensis Decembris.

Casimirus Rex Poloniae de conseruanda concordia inter moniales coenobii *Olobocensis* et bonorum regiorum *Boleslawiec* possessorem decernit (¹).

Cazimirus dei gracia Rex Polonie, Magnus Dux Lithuanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit uniuersis: Quomodo querelis deodicatarum virginum abbatisse et monialium conventus cenobij in *Olobok,* aures nostras tociens solicitantibus permotj, super gravaminibus earum et angarijs, quibus Generosus Baliczskj bona monasterij ipsarum lucenciose turbare consueuit, eorum (sic) tranquilitati consulentes: ut ab hijs perturbacionibus secularibus liberate, tanto ferventius divine administracionj intenderent: hanc ordinacionem eis cum ipso tenutario fecimus et ordinamus: a modo et per amplius ipse tenutarius bona eorum (sic) non turbet, prataque ipsorum (sic) non occupet, homines et incolas earum ad insolutos labores, preterquam ad nowem dies astringat: de cetero neque aliquas inconsuetas dacias, ut pote manipularis (sic), de laneis desertis ex eis repetat; homines earum libertatos ad custodiam castri, et empcionem balistarum iniustam non astringendo, nisi cum notabili (sic) suspicio hostilitati (sic) fieret: preterquam ipsi liberi armis et balistis in domibus, nisi neccesitate (sic) occurente, presto esse possunt pro ipsius castri conseruacione. Et pro tanto tibi Generoso Paulj (sic) Baliczskj tenutario, et alijs pro tempore in *Bolyeslawyecz* existentibus mandamus, quatenus eas [? vos] iuxta presentem ordinacionem nostram et decretum, nil eorum contra eas intentare presumat (sic), in quo iura et libertates earum ledi possent et infringi. Harum, quibus sigillum nostrum presentibus est subimpressum, testimonio literarum. Datum in Convencione *Piotrkoviensi,* feria quinta post festum sancte Lucie, anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto. Relacio Venerabilis Creslai de *Curozwankj,* R. P. Cancellarij.

(¹) E libro Metrica Regni dicto N^ro^ XXIII. p. 272.

CXCIII.

Lomzae, anno 1490 d. 18 mensis Januarji.

Nobiles de *Gosky*, Nobili Jachnae filiae Andreae de *Gosky*, ob necem patri ipsius illatam dimidium alterum mansum ipsorum in *Gosky* resignant (1).

Stacio Llomzensis. Anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo. Presentibus dominis: Johanne de ***Radzimino*** Castellano, Allexio de ***Nadarzino*** Succamerario Varschoviensibus, Johanne de ***Treschino*** Judice Llomzensi, Joseph de ***Kyschyelnicza*** Judice Viznensi, Johanne de ***Yedwabne,*** et Paulo de ***Kysyelnicza*** Lomzensi et Viznensi Subiudicibus, Nicolao de ***Campa*** Tribuno Viznensi etc. fferia secunda post octavas Epifaniarum proxima.

Nobiles Jacobus, Petrus, Thomas, Bernardus olim Mathie, Johannes Nicolai, Gregorius, Paulus, Stiborius de ***Gosky,*** dimidium alterum mansum ipsorum, mensure culmensis, ibidem in ***Goskij*** hereditate, in Districtu Llomzensi sita, penes granicies nobilis ac honeste Jachne, consortis Stiborij Jezory de ***Gutty,*** trans fluvium ***Brok*** et ***Czarna*** iacentem, eidem Nobili Jachne prenominate, in centum sexagenis grossorum in mediis grossis, occasione capitis olim Andree de ***Goskij*** patris ipsius Jachne interempti, et vadijs exinde motis et exortis, resignauerunt et irreuocabiliter inscripserunt, perpetue et inewm. Insuper prenominati Nobiles Jacobus, Petrus, Thomas, Bernardus, Johannes, Gregorius, Paulus, Stiborius, manu coniuncta, pro omnibus ipsorum fratribus, sororibus, seu quibusvis alijs participibus pacem fidejubent, quod hanc resignacionem non infringent neque impedient.

(1) **E libro Metrica Regni dicto Nro VI. p. 232.**

CXCIV.

Vilnae, anno 1492 d. 6 mensis Augusti.

Privilegium terrestre ab Alexandro, Magno Duce Lithuaniae eidem Ducatui impertitum, quo omnes libertates a patre et praedecessore suo Rege Casimiro, Lithuaniae datas et concessas confirmat, easque novis juribus et privilegiis auget (¹).

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Omnia, que geruntur in tempore, ab hominum memoria simul labuntur cum tempore, nec ad futurorum possunt venire noticiam, nisi in scripturis reposita conserventur. Proinde, nos Alexander dei gracia Magnus Dux Lithvanie, Semogithie (sic), nec non terrarum Russie dominus et heres etc. considerata fidelitatis constancia reverendissimorum, reverendorum, illustrium, strennuorum, magnificorum, generosorum, nobilium, ac circumspectorum Prelatorum spiritualium et secularium, Principum, Baronum, Boiarorum, et Civium terrarum Magniducatus Lithvanie, Russie, Semogithie, quam ad nos nostramque serenitatem, tanquam ad verum et legittimum heredem ac dominum naturalem, habuerunt, et de facto habent, habereque intendunt constanter et fideliter in futurum, prout hoc bene res in eis probavit: dignum duximus, pro tanto bono, graciarum et libertatum muneribus, alijsque nostris favoribus, ipsis condignam et graciosam facere recompensam. Imprimis igitur: predictis Prelatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, et Civitatibus dictarum terrarum Magniducatus Lithvanie, Russie, Semogithie, dedimus, concessimus et irrevocabiliter donamus, vigoreque presencium damus, concedimus, donamus et in perpetuum largimur generaliter et omnino eadem iura, libertates, et immunitates, prout habent Prelati, Principes,

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario Ill. Principum Radziwillorum asseruato. Huic tabulae appensum sigillum mediae magnitudinis funiculo serico rubei coloris, exhibet in medio clypeo equitem armatum, videlicet insigne M. D. Lithuaniae, in ambitu leguntur verba: „*S. Alexandri Magni Ducis Litwanie Russie*" etc. Hoc quoque priuilegium est typis exaratum in opere „*Zbiór Praw Litewskich*" p. 58, sed quoniam hic exaratum est ex apographo, nos vero archetypon nacti, in eodem magna ex parte diversum verborum contextum obseruauimus, ideo priuilegium hoc magni momenti ex archetypo descriptum exhibendum esse duximus.

Barones, Nobiles, et Civitates in Regno Polonie. Sed ne ex hac generalitate, aliqua ambiguitas sive dubietas imposterum, quoquomodo possit suboriri, ipsas libertates seu quasdam ipsarum, hič decrevimus ponere per expressum. Et primo: omnes donaciones, privilegia, et immunitates ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, conventualium, parochialiumque, in terris nostris Magni Ducatus Lithvanie, Russie, Semogithie erectarum et erigendarum, fundatarum et fundandarum, volumus illesas et inviolatas conservare, et tueri, ac protegere iuxta nostram omnimodam potestatem. Quas quidem ecclesias cathedrales, collegiatas, conventuales et parochiales, tempore medio, per mortem vel resignacionem si vacare contigerit, et pastore carere, quarum jus patronatus ad nos et successores nostros dinoscitur pertinere pleno iure; tunc ipsis de alio vel alijs pastore vel pastoribus providentes, non alium vel alios presentare debemus, nisi Magniducatus nostri Lithvanie indigenam, qui idoneus fuerit repertus. Sin autem: tunc alterius nacionis personam utilem et honestam, que posset preesse et prodesse, debebimus presentare, tociens quociens opus fuerit et oportunum. Item predictis Prelatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, et Civitatibus predictarum terrarum Magniducatus Lithvanie, Russie, Semogithie, dedimus, quod ad nullius hominis delacionem sive accusacionem publicam vel occultam, seu quamvis suspicionem sinistram, ipsos Principes, Barones, Nobiles, et Cives castigare volumus seu punire quacumque pena, scilicet bonorum ablacione, pecuniaria, carceris, aut sanguinis: nisi prius in iudicio manifesto, iuris ordine catholico observato, actore et reo personaliter constitutis, realiter fuerint convicti: qui post iudicium et conviccionem huiusmodi, iuxta consuetudinem et iura, sicut in Regno Polonie, debent castigari et sentenciarj, secundum suorum excessuum qualitatem et quantitatem. Item quod pro crimine cuiuspiam, nullus alius, nisi is, qui peccavit et deliquit: semper tamen iuris catholici ordine observato: convictus iudicialiter et sentenciatus, puniatur; ita videlicet: quod nec uxor pro crimine sui mariti, nec pater pro crimine filij: et e converso, nec aliquis cognatus aut servus: nisi dum quis particeps esset criminis delinquentis: criminibus lese maiestatis solum exceptis. Item concedimus, ut Principes, Barones, Nobiles, et Boijarij supradicti, liberam habeant facultatem exeundi de terris ipsis nostris Magni Ducatus etc. causa uberioris fortune acquirende, et actuum mi-

litarium exercendorum, ad quaslibet terras exteras: partibus inimicorum nostrorum duntaxat exceptis: Ita tamen, quod de bonis ipsorum, sic exeuncium, servicia nostra non negligantur: sed nobis, aut successoribus nostris, tanquam ipsis presentibus, tociens quociens fuerit oportunum, suppleantur, exhibeantur et ministrentur. Item prefati Principes, Barones, Nobiles et Cives, bona eorum patrimonialia, seu ipsis data, sive donata per preclarum Principem dominum Allexandrum alias Vitowdum, et dive memorie ac donacionis per Illustrem dominum Sigismundum etc. donatas et factas, quas tenentes, habentes, ac possidentes, de earum donacionum privilegijs vel privilegio legittimo et sufficienti ac congruo testimonio testium, vel munimine literarum poterunt probare et docere: pari iure obtineant, sicut Principes, Barones, Nobiles et Cives, sicut in Regno Polonie, sua noscuntur obtinere, et liberam habeant facultatem ipsa vendendi, commutandi, alienandi, donandi, et in usus suos beneplacitos convertendj. Sic tamen, quod ea commutando, vendendo, alienando, vel donando, coram nobis aut nostris officialibus resignabunt. Item post mortem patrum, liberi masculi et femelle bonis paternis hereditarijs privari non debent, sed ea cum eorum successoribus legittimis, pleno iure possidebunt, prout Principes, Barones et Cives, in Regno Polonie sua possident, et in usus beneplacitos convertunt. Item quando aliquem Principum, Baronum, Nobilium, et Civium predictorum, ex hac luce decedere contingat, extunc viduam in bonis seu possessionibus mariti sui volumus relinquere seu remanere, quamdiu in sede permanserit viduali: que si ad secundas nupcias transire voluerit, ipsa marito, quem ducere elegerit, tradatur; pueris tamen in bonis et possessionibus paternis, si fuerint: sin autem, propinquioribus eiusdem mariti prioris, derelictis: prout et cetere vidue maritantur. Si vero prior maritus, in prefatis bonis et possessionibus suis, aliquod eidem uxori sue dotalicium assignaverit, et de eo sufficienter probare poterit, illo secundum ordinem juris recepto, cui voluerit, nubat in dominio. Item natas et cognatas, ac consanguineas ipsarum, virgines et viduas, libere possunt tradere maritis, nobis et nostris successoribus super hoc minime requisitis: ritum tamen catholicum in talibus observantes. Item omnes et singuli kmethones et subditi Principum, Baronum, Nobilium, Boyarorum, et Civium ipsarum terrarum Magni Ducatus Lithvanie, ab omni dacione et solucione collecte sive exactionis *Srebsczyzna* dicte, atque mensurarum, que

Dyakla nuncupantur, ab omnique onere vectigalium, que *podwody* dicuntur, a duccione lapidum, roborum, sive lignorum, pro exustione laterum sive cementi, pro castris feni falcastracione, et alijs minus iustis laboribus, soluti sint, liberi omnino et exempti: laboribus tamen pro edificatione castrorum denuo oportunorum, et antiquorum reformacione exceptis. Principum, Baronum, Nobilium, Boyarorum kmethonibus et subditis, per nos eis datis et donatis, similiter exceptis: antiquas tamen et dudum consuetas pro nobis et successoribus nostris procuraciones, collectas, staciones, poncium novorum erecciones, veterum reparaciones, et viarum reformaciones, illese reservamus, et eas esse volumus semper salvas. Item quod nos aut officiales nostri, prefatorum Principum, Baronum, Nobilium, et Civium nostrarum terrarum Lithvanie, Russie, Semogithie etc. homines tributarios ex origine, et kmethones mancipios et obnoxios, cuiuscunque sexus fuerint, aut condicionis extiterint, non suscipiemus, nec officiales nostros suscipere permittemus: quod et ipsi Prelati, Principes, Barones, Nobiles, Boijari, et Cives Magni Ducatus Lithvanie, Russie, Semogithie etc. nostros et successorum nostrorum similiter homines, cuiuscunque status, sexus, aut condicionis extiterint, non suscipiant, nec per se, vel per alium suum officialem suscipere quoquomodo presumant. Item super subditos predictorum Principum, Baronum, Nobilium, et Boijarorum, Ministeriales alias *Dyeczkye* non dabimus: nisi prius a domino, cuius subditus fecerit iniuriam, iusticia fuerit postulata: qui si in termino certo eandem facere renuerit, extunc noster ministerialis, vel nostrorum officialium est dirigendus; et reus, qui penam meruerit, illam domino suo, et non alteri sit astrictus (²). Et preterea, cupientes prefatos Prelatos, Principes, Barones, Nobiles, Boijaros et Cives, pro ipsorum prerogativa ac recreacione speciali, novis gracijs et concessionibus ac libertatibus reddere consolatos, et ad recentem fidelitatis predicte perseveranciam invitare, de benignitatis nostre gracia singulari, nonnullos articulos infrascriptos eisdem concessimus, concedimusque per presentes. Et primo ac principaliter, promittimus ac spondemus: quod dominia seu terras Magniducatus Lithvanie non diminuemus, sed in suis limitibus, prout antecessores

(²) Hucusque repetitur nonnisi priuilegium a Rege Casimiro anno 1457 concessum, superius Nro CLXXXVIII. pag. 333 allatum.

nostri, et signanter Dux Allexander alias Vitowdus et Sigismundus tenuerunt et possidebant, sic et nos easdem integras tenebimus et possidebimus, ac tuebimur, atque cum dei auxilio, pro cunctis viribus nostris, studebimus dilatare et ampliare, tempore competenti. Item nuncios seu oratores mittere debemus, in negocijs publici boni eiusdem Magni Ducatus nostrj, necessitate ad hoc imminente, de consilio dominorum nostrorum, versus partes exteras, videlicet *Moscoviam*, ad *Zawolska orda*, et *Perekopska orda*, *Valachiam*, *Regnum Polonie*, *Ducatum Masovie*, *Prussiam*, *Livoniam*, *Pskow*, *Magnum Novogrod*, *Twerzija* et *Rezan*, secundum consuetudinem per nostros antecessores observatam; nec non versus alias quascumque provincias, quo necessitas et utilitas dominiorum Magniducatus nostri Lithvanie postulabit. Item cum quibus terris et dominijs inscripciones, confederaciones, ligas, et iuramenta, ab antiquo habemus pacis perpetue, eas nolumus infringere, sed in melius, cum dei auxilio, ducere atque adaugere. Item quecunque consilia et causas, cum dominis consiliarijs nostris determinabimus et statuemus atque concludemus, ea cum nemine alio immutare, corrigere, aut deordinare debebimus. Item quando aliqua consilia et negocia, in consultacione cum dominis nostris tractanda evenerint, et ipsis dominis non placebunt, pro isto super eos commoneri non debemus: sed quecunque nobis consulent, pro nostra et comuni utilitate istud nos efficiemus. Item dignitates, tenutas, et alia omnia officia, aut bona hereditaria, nemini extraneo aut advene, sed solum indigenis tenebimur conferre. A provisione autem, ac donacione, seu collacione spiritualium et secularium dignitatum, tenutarum, et officiorum quorumcunque, nichil debemus postulare; neque eciam ipsi domini palatini et capitanei, ab officialibus et tenutarijs quiccunque recipere aut exigere debent; solum quod per aliquem nobis vel ipsis, pro honestate sua, libere condonatum fuerit. Officia vero omnia et tenute, sine consilio nostrorum consiliariorum, per nos non debent cuiquam auferri. Si quis autem officialium, tanquam dissipator et damnificator nostrorum bonorum, apud nos delatus fuerit, utraque pars debet coram nos (sic) personaliter constitui, auditaque causa, reus secundum demerita puniendus erit; sed absque culpa officia auferre non debemus. Item palatini, capitanei, tenutarij, villici, officiales, et universi vicesgerentes in Magnoducatu nostro, in primeva honestate et provisionibus ac tenutis eorum, ut a predecessoribus nostris Ducibus Magnis

Vitowdo, Sigismundo et genitore nostro teneantur, et conserventur, iudicentque et ordinent, census et proventus suos in integrum repetant et exigant, velut ab antiquo, nec non ministeriales dirigant, defatigacionesque ipsorum alias *Proÿezdy* solvi faciant, iuxta consuetudinem provincie. Item mortem obeunte tenutario aut villico quocumque, in *Vilnensi* aut *Trocensi* districtibus: Vilnenses et Trocenses Palatini in suis districtibus, tenutas a nobis secundum exigenciam meritorum, vel obsequiorum, et qui eciam nobis videbuntur idonej, illis petant seu impetrent: et eodem modo fiat in omnibus alijs districtibus. Item dignitates, tenute et officia, in castris et civitatibus, in metis remocioribus, si que vacaverint et aperientur, habita deliberacione, cum dominis consilij nostri, talia officia vel tenutas conferemus secundum promerita, vel qui nobis videbitur magis valere. Et domini consiliarij debent ita facere. Item vidue, que remanserunt in bonis hereditarijs post mortem maritorum, ad servicia terrestria et bellicas expediciones, iuxta facultatem possessionum, obligabuntur. Item donaciones et concessiones olim genitoris nostri, quas alicui donavit, aut providit, et in hoc literis suis confirmavit, perpetue tenebimus; sed cui idem genitor noster dedit aliquid ad arbitrium et voluntatem suam, illud et nos pro arbitrio et voluntate nostra, et dominorum consilij nostri, reservamus. Nostras eciam donaciones faciemus et dabimus, ad arbitrium nostrum. Et si alicui voluerimus confirmare ad perpetuitatem, istud eciam est in voluntate nostra. Item census theloneorum, tabernarum, et alij, ex penis et undecumque, nobis provenientes, recipiantur et reponantur in thezaurum nostrum; qui quidem census, secundum consilia dominorum consiliariorum nostrorum, pro comuni utilitate terrestrj debent convertj. Nulla vero necessitate imminente, dicti census sine voluntate ipsorum dominorum, per nos de thezauro tolli et recipi non debent, aut ex provincia educi. Item iura secularia non debemus inducere aut intromittere in iura spiritualia: et e converso iura spiritualia, seu causas pertinentes ad ius spirituale, ad iura secularia non ducemus: neque evocare, omniaque tenere ex antiquo, sicut erat vivente patre nostro. Item plebeios super nobiles non debemus extollere, sed totam nobilitatem conservare in sua honestate. Item super districtus et tributarios, debemus mittere binos et binos dominos (sic), singulis annis, pro exigendis tributis et reliquijs, in vulgari *Nyedoymkow*. Et ipsi domini obvenciones eos concernentes debent

recipere, et eciam ipsorum servitores, sicut fuit ex antiquo apud antecessores nostros. Item quicunque in vita genitoris nostri, super iuribus suis et iusticia ministrancium postulabant, illis volumus et debemus, cum dominis de consilio nostro, equitatem facere omnimodam, sine dilacionibus: a iure eciam nichil debemus accipere. Similiter et domini consiliarij nostri, neo stare ad unam partem ex favore, sed simpliciter cuilibet iusticiam noscere et facere, seu ministrare. Item si quando aliquorum cause graves super bonis hereditarijs, vel fame seu honoris derogacione, coram nostram serenitatem (sic) venerint, omnibus iusticiam facere debemus. Et dum contingat nos protunc negocijs arduis occupari: causis talibus per annum concedimus et statuimus quatuor terminos; et si in primo, secundo, vel tercio termino in huius modi causis finis non fuerit factus: ultimo adveniente, finalem iusticiam sine dilacionibus, cum dominis de consilio nostro faciemus. Item a consangvineis et propinquis, bona hereditaria alicuius non redimemus, neque ea aliquis redimere debet in preiudicium ipsorum consangvineorum vel propinquorum; sed solum iste, qui propinquior extitit, repositis pecunijs, bona hereditaria obtinebit et possidebit. Item si aliqua virgo aut vidua, voluerit nubere ad alienas partes extra Magnum Ducatum Lithvanie etc., expedicione ac dote recepta, bona hereditaria hic relinquat, ad eaque intromittere se non debebit. Item novissime: omnes literas, privilegia, gracias et immunitates ecclesijs cathedralibus, collegiatis, conventualibus, et parochialibus, prelatis, principibus, baronibus, nobilibus, boyaris, et civibus in terris Magniducatus Lithvanie, Russie et Semogithie nostris, sub quibuscumque condicionibus, statutis, punctis, articulis, seu sentencijs, per Serenissimos et Illustrissimos olim dominos Vitowdum, Sigismundum, Regem Wladislaum nostrum avum, et progenitorem nostrum carissimum Regem Kazimirum, Magnos Duces Lithvanie, antecessores nostros, datas et concessas, patrocinio presentis nostri privilegij innovantes confirmamus, roboramus, approbamus, gratificamus, et ratificamus, decernentes ipsas perpetue firmitatis robur obtinere. In omnibus vero causis et disceptacionibus, tam pro bonis hereditarijs, quam honoris ac fame, et alijs gravioribus, in quibus, sicut superius expressum est, si preventi negocijs publicis, in primo termino finem non faceremus, positi sunt et assignantur quatuor termini per annum. Et si quis in quarto et finali termino non comparuerit, causam ammittat, sentenciaque feratur pro

illo, qui se in termino sistet: excepto, quod ab qua parcium, nostro servicio vel terrestri occupata et retenta, aut egritudine impeditus, comparere non posset; in isto casu, ut nemini preiudicium aut iniuria fiat, ad tempus oportunum omnes tales causas volumus differendas, que omnia, cum dominis consilij nostri, debemus ordinare atque diffinire. In quorum omnium fidem ac testimonium, presentes literas, sigillo nostro appenso iussimus communirj. Datum in *Vylna,* feria secunda, ipso die Transfiguracionis dominj, anno a Nativitate millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo. Presentibus Ducibus, Prelatis, Baronibus Magni Ducatus nostri Lithvanie, et signanter: Reverendo in Christo patre, domino Alberto Episcopo Vilnensi; Magnificis ac Generosis: Nicolao Radvilovicz (sic) Palatino Vilnensi et Cancellario nostro, Petro Palatino Trocensi, nec non Marschalko terrestrj, Johanne Zabrezinsky Castellano Trocensi, ac Tenutario in *Poloczko,* Stanislao Janowicz Capitaneo Terre Semogithiensis, Duce Allexandro de *Holschany* Tenutario Grodnensi, et alijs quam pluribus Dignitarijs, Officialibus et Curiensibus nostris, testibus circa premissa. Commissio propria Dominj Magni Ducis.

CXCV.

Cracoviae, anno 1499 d. 6 mensis Maji.

Joannes Albertus Rex Poloniae Stanislaum Oscheiko Judaeum Lithuanum nuper baptisatum, nobilitat (1).

In nomine domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cunctorum quantumcunque illustrium principancium, presertim vero regalis excellencie serenissimum nomen, cujus id velud proprium fuerit, auctoritate regali benemeritos extollere, licet universos sibi fideles, numerosis titulis et honoribus insignire consueverit, illos tamen precipue Nobilitatum ordinibus annumerare debeat, qui non metu quopiam, aut luxu, vel cupiditate temporalium fortunarum habendarum moti, sed solo ipso virtutis ingenite ductu,

(1) E libro Metrica Regni dicto Nro XVII. p. 205.

relictis siue gentilium, siue perfidorum Ebreorum ritibus, damnatisque erroribus, quantumcumque diu per majores sue propaginis defensatis, ad lucem vite, redemtorem nostrum crucifixum renati, sponte veniunt, et in professione fidei romane, abjuratis sathane cecitatibus, saluari cupientes, interioresque anime squalores sacrosancti flaminis (sic) sacramento diluentes, externis etiam merentur egregie optimis quibuslibet patricijs nobilioribus parificarj, auctoritate regali decernente. Qua in parte regum auctoritas excellentissima peculiaris sui juris regij fit executrix: ipsa enim, a qua omnis generositatis insignia, velud (sic) radij a radiante sole, jure tanquam legittimo manant et prodeunt, tunc uel maxime fulget, cum personis virtuosis et fidelibus, quas constat sub tempore excellencioribus quibuscumque gratas commendatasque esse, honores impendit, et eos ipsos alcioribus statibus abiliter (sic) obtinendis, procurat et efficit perpetuo apciores. Quamobrem nos Johannes Albertus, dei gracia Rex Polonie, nec non terrarum Cracouie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyawye, Supremus Dux Litwanie, Russie, Prussieque dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit universis, presentibus et futuris, harum noticiam habituris: Quomodo commendatam habentes per Illustrissimum principem dominum Allexandrum, eadem gracia, Magnum Ducem Litwanie, germanum nostrum charissimum, Stanislaj Oscheiko, condam nacione professioneque Judei Lithwani, aliquando Neofiti, jam vero veri Christicole baptisati, virtutum amplitudinem, fidem et animi integritatem, quibus ipse post assumptum baptisma, tam in constanti orthodoxe fidei professione, quam in ejusdem Illustrissimi principis domini Magni Ducis Litwanie officijs, seruitorijs, non minus fidelissime, quam officiose, diligenter, industriosissime et nobiliter gestis, se eidem Magno Duci Litwanie germano nostro, gratum commendatumque reddidit: horum et aliorum benemeritorum ejus respectu, dignum putavimus, ut et tot meritorum, et honestarum commendacionum ejus racionem habentes, premia meritis digna ei redderemus, et de ejus virtutibus testimonium perhiberemus posteritatj perpetuum. Quapropter auctoritate nostra regia, que ad hoc maxima est, eum ipsum Stanislaum etiam motu proprio nobilitare, clarificare, ex humilique condicione, que tanquam plebea esset, leuare et erigere duximus et instituimus, nobilitamusque, insignimus, creamus et ad gradum nobilitatis attollimus, leuamus et erigimus, tenore presencium mediante: ipsum cunctis

in orbe terrarum nobilibus, status utriusque, tam spiritualibus, quam secularibus, de nobili stirpe ab awis, attawis, per lineam directam ex utroque latere atque parente descendentibus et procreatis, presentibus et futuris, assimilantes, parificantes et adequantes: volentes decernentesque, quod ejus status, condicio et persona, par similisque sit inter omnes, eademque computetur. Verum quia omnem nobilitatem virtutibus et armis exornarj, illustrarique convenit: itaque sibi, posteritatique sue clenodium, quod pro armis, per reuerendissimum in Christo patrem dominum Martinum, Episcopum *Medniczensem,* ab awis et attawis gestarj consuevit, wlgarj appellacione *Merawy* nominatum (eo ipso domino Martino Episcopo, ipsum Stanislaum et posteritatem ejus, in presenciarum coram nobis, in suam et familie sue firmitatem domesticam adoptante arroganteque. Quod clenodium *Merawy* tam coloris, quam sculpture racione, genuinum habere dinoscitur spectaculum. Campus enim ejus duplici colore nitet, ex superiori flaueo siue celestino, ex inferiori vero parte viridj coloribus, ad latitudinem autem campi siue clipei, tenuis lineole posicione discernitur. In quo quidem campo siue clipeo in celestino colore, capud (sic) cum colli aliquantula significacione caninum apertum, lingwa et auribus, suo naturali modo certo, ab eo dependentibus, velud capud canis marini esset aureum: in viridi vero collore (sic) stella similiter aurea, sex aciebus irradiata, sculpi ac depingi solet, prout hoc artificioso opere infrascripto, clarius ostenditur sic ([2])) dedimus et attribuimus in titulum vere nobilitatis sue. Quibus signis seu armis, tanquam propriis naturalibus, coram omni principe ac persona cujuscunque status, dignitatis et preeminencie extiterit, etiam in prelijs, preludijs, hastiludijs, torneamentis, sigillis, anulis, cortinis, velis, vexillis, tentorijs, scutis, papilionibus ([3]) tabulis, picturis, reliquisque omnibus ad usum militarem spectantibus, et generaliter in actibus nobilium omnibus tractandis et faciendis, uti et gaudere, ipsaque arma pingere, deferre, eroldis et quibuslibet ministris imponere et ligare poterit perpetuo. Volumus preterea, eodem domino Martino Episcopo exposcente, ut omnibus dignitatibus, libertatibus, prerogatiuis, et gracijs gaudeat, quibus ceteri naturales nobiles, et presertim ejusdem familie, fraternitatisque domestice *Merawy* fratres,

([2]) Hoc loco spatium vacuum relictum insigni depingendo inseruiturum. ([3]) Tabernaculum, tentorium. Ducange *Glossarium* s. v. papilio.

ubilibet, et presertim in Regno et dominijs nostris constituti, gaudere ex priuilegio consueuerunt. Ad omnes honores, dignitates, officia, et beneficia spiritualia et secularia, ipsum, posteritatemque suam legittimam, dignum facientes, abilitantesque (sic), prout facimus, abilitamus, et reputamus dignum: deponentes ex eo et prole sua, omnem seruitutem et ignobilitatem plebeorum, ex quacunque causa contractum (sic), que quoquomodo concessioni huic nostre detrahere possent in futurum. Preterea, presentis privilegij vigore decernimus omnes cujuscunque status et condicionis existentes homines, qui in vituperium nostre presentis potestatis regie, ipsius nobilitatem infamarent, aut eam detractorie impugnarent, penis pro vituperio et infamia nobilibus in Regno nostro et Magno Ducatu Lithwanie adjectis, nobis, alias Magno Duci, et judicio, ad quod se citauerint, ipsi quoque injuriato, seu leso, soluendis subjacere: postquam ipse Stanislaus, nostro presenti priuilegio, quod ad omnem nobilitatis probacionem sufficere volumus, suam probauerit nobilitatem: non obstantibus legibus, juribus, consuetudinibus, aut quibuscunque decretis contrarijs; quibus, in majorem ipsius Stanislaj amplitudinem exaltacionemque, derogamus presencium per tenorem. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum *Cracouie,* fferia secunda infra octavam Asscensionis (sic) Domini, anno ejusdem millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Regni vero nostri septimo. Presentibus ibidem, Reuerendissimo et Reuerendis in Christo patribus: domino Frederico miseracione diuina sacrosancte romane ecclesie tituli sancte Lucie in septem solijs Presbytero Cardinali, Archiepiscopo Gneznensi et Primate, ac Episcopo Cracouiensi, Andrea dei gracia Archiepiscopo Leopoliensi, Creslao Vladislauiensi, Vincencio Ploczensi, Luca Varmiensi, Mathia Chelmensi, Episcopis; nec non Magnificis: Spythkone de *Jaroslaw* Cracouiensi, Sandiuogio de *Czarnkow* Poznaniensi, Ambrosio de *Pampow* Siradiensi, Palatinis; et Johanne de *Ostrorog* Poznaniensi, Andrea de *Thaczin* (sic) Voynyczensi, Stanislao de *Chodecz* Leopoliensi, Stanislao de *Vyssnycze* Przemysliensi, et Stanislao de *Obyezyerze* Srzemensi, Castellanis, ad premissa. Datum vero per manus Reuerendi in Christo patris domini Creslai Episcopi Vladislauiensis et R. P. Cancellarij.

Relacio Reuerendi in Christo patris domini Creslai Episcopi Vladislauiensis, et R. P. Cancellarij.

CXCVI.

Petricoviae, anno 1501 d. 3 mensis Octobris.

Privilegium Unionis inter Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithwaniae tempore Regis Alexandri factae ([1]).

In nomine domini, amen. Ad rei memoriam sempiternam. Terrestrium Regnorum et Principatuum ordinem, a summo illo universi opifice Deo ita institutum esse constat, ut, nisi ex capite et membris, isdemque (sic) concordibus, quodlibet eorum compactum existat, salvum et incolume diu permanere non possit; quo diucius autem solidum et integrum perseveret, opere precium fore, ut capiti membra respondeant, et caput membris singulari moderacione et prudencia presit: inofficiosa enim et discordancia a suo capite membra periclitari consueverunt, que concordia et officiosa, se una cum capite conservant. Et cum in omnibus nature legibus, divinisque preceptis, ea inprimis excellant, que ad mundanorum principatuum iustam concordemque soliditatem et consonanciam pertinent: nam quicquid boni et felicitatis mortalibus datum est, inde proficiscitur: cunque (sic) ex eo imperia, regna, et principatus non modo stabiliri, sed eciam augeri et mirabiliter coalescere, atque concordia parwas res crescere, discordia vero maximas dilabi, quotidiana doceat experiencia: qua propter, nos Fredericus, miseracione divina, Sacrosancte romane ecclesie, tituli sancte Lucie in septem solys Presbiter Cardinalis, Archiepiscopus Gneznensis, et Primas Regni Polonie, Episcopusque Cracoviensis, Andreas Rosa, Archiepiscopus Leopoliensis et Episcopus Przemijsliensis, Creslaus Wladislaviensis et Cancellarius Regni, Joannes Poznaniensis, Vincencius Ploczensis, Lucas Warmiensis, et Mathias Chelmensis Ecclesiarum Episcopi; Spythek de *Jarosslaw* Castellanus, Petrus Kmijtha de *Wijssnicze* Palatinus et Marsalcus Regni, Cracovienses; Andreas de *Schamothuly* Poznaniensis, Joannes de *Tharnow* Sandomiriensis, Nicolaus

([1]) Ex archetypo membranaceo in tabulario Ill. Principum Radziwillorum Nieboroviae asseruato. Funiculis sericis appensa sunt unum et viginti sigilla mediae magnitudinis, (aliquod desunt) quae exhibent insignia et nomina personarum iis utentium.

de *Ludbrancz* Calissiensis, Nicolaus de *Bayzen* Mariemburgensis, Petrus Mysskowski Lanciciensis, Nicolaus Cosczeleczki Brzestensis, Nicolaus de *Krethkow* Juniwladislaviensis, Joannes de *Tharnow* Ruscie (sic), Nicolaus de *Curozwanki* Lubliniensis (sic), Stanislaus Kmijtha de *Wyssnycze* Belzensis, Nicognemus (sic) de *Crzyczko* Ploczensis, Andreas de *Cuthno* Rawensis, Palatini; Dobrogostius de *Ostrorog* Poznaniensis, Jarandus de *Brudzow* Calissiensis, Johannes de *Przeramb* Siradiensis, Andreas de *Zaxyn* Lanciciensis, Andreas de *Thanczyn* Woyniczïensis, Johannes de *Slupcza* Sandeczensis, Petrus Schaffraniecz de *Pyesszkowascala* Vysliczïensis et Capitaneus Mariemburgensis, Stanislaus de *Mlodzeyovicze* Radomiensis, Stanislaus de *Pothulicze* Myedzyreczensis, Jeronimus de *Cobylino* Rosperiensis, Zavissius de *Cunradzecz* Ploczensis, Johannes Polijak de *Carnkow* Landensis, Raphael de *Jarosslaw* Premysliensis, Johannes de *Syenno* Malogostensis, Paulus de *Chothcza* Polaneczensis, Mathias Bal Sanoczensis, Castellani; Mathias de *Drzevicza* Prepositus Scarbimiriensis et Scolasticus Cracoviensis, Regni Polonie Vicecancellarius, Andreas de *Cosczelecz* Regalis Curie Marsalcus, Petrus de *Schydloviecz* Succamerarius Cracoviensis. Universis ac singulis, quibus expedit presentibus et futuris, serie presencium notificamus: Quod, licet veteres fuerint inscripciones amicicie et federa, augmentum et condicionem meliorem promovencia Reipublice: tam Regni Polonie, quam Magni Ducatus Lithwanie; tamen cum aliquid videretur in eis contineri, ab optima et sincera fraternitatis fiducia discrepans: iccirco (sic), ob solidiorem communis et mutue caritatis fraterne connexionem perpetuam, dominiorum defensionem communem, eviternam indubitatam fraternitatis fidem: inprimis vero ad Dei et Salvatoris nostri gloriam, et dominorum nostrorum: serenissime regalis familie Polonie, dominiorumque utrorumque eorundem, ac nobilissimarum Polonie et Lithwanie nacionum, immensi perpetuique honoris diffusionem, decus, ornamentum, corroboracionem, honorificenciam et claritudinem, ac Maiestatis mutue amplitudinem sempiternam, veteres ipsas confederaciones innovare et moderari decrevimus, sub articulis infrascriptis: Primum, quod Regnum Polonie et Magnus Ducatus Lithwanie uniantur et conglutinentur in unum et indivisum ac indifferens corpus, ut sit una gens, unus populus, una fraternitas, et communia consilia; eidemque corpori perpetuo unum caput, unus rex, unusque dominus, in loco et tempore assignatis, per

presentes, et ad electionem convenientes, votis communibus eligatur, quodque absencium obstancia electio non impediatur: et decretum electionis in Regno semper sit iuxta consuetudines, circa illud ex antiquo servatas. Item quilibet episcopali, palatinali, castellanalique dignitate in ipso Ducatu insignitus, iuxta locum suum assignatum in eligendo rege, perpetuis temporibus votabit et consulet: modo et ordine, quo consulent consiliarij Regni. Item quia corpus quodlibet salubribus remedijs conservatur, et contrarijs rebus prosternitur; sic, tam in adversis, quam in prosperis rebus, utrobique communi consilio ordinanda sunt, et communi similiter auxilio exercenda, relevandaque omnia, circa corpus et in corpore ipso contingencia. Item in omnibus adversitatibus, auxilijs, invicem nos utriusque dominij Prelati et Barones iuvare debemus totis viribus et facultatibus, prout communi consilio expedire videbitur: prospera et adversa tanquam communia reputantes. Item moneta uniformis et equalis ponderis, utrobique, sicut cetera omnia, communi consilio et assensu utriusque dominij, debent institui. Item quecumque federa, eciam juramentis firmata, antea cum quibuscumque inita, tamdiu observanda sunt per partem utramque, quamdiu contra jura et commoditates Regni et Magni Ducatus Lithwanie, nil excedere videbuntur. Item quilibet denuo in consiliarium vel dignitarium, tam spiritualem quam secularem promotus, teneatur jurare Regi Coronato Polonie fidem, ac mutuarum inscripcionum observacionem. Item quicumque capitaneatum vel castrum in administracionem a domino receperit, ille teneatur recipiendo iurare Regi, scilicet: quod illo nemini cedet, nisi Regi Electo et Coronato. Item ut omnia, quecumque nunc pacta fuerint et conclusa, perpetuis temporibus firmiter et inviolabiliter observentur: juramentis et inscripcionibus firmentur, per singulos consiliarios illius Ducatus atque barones, et ex nobilitate precipuos; illudque iuramentum ab illis requisitis fiat, quociens expedierit. Item qui etatem discrecionis attigerint, (si nomine consiliariorum Regni pro iuramento admoniti fuerint), illud prestare teneantur. Item Domini Serenissimi, Domini Magni Ducis Lithwanie oratores et consiliarij hic presentes, iurabunt et promittent, seque obligent (sic): omnia pacta servare, sub fide et honore; et dabunt inscripciones sub appensis sigillis ad presencia pacta, que sub tempore per universos Prelatos, Barones, Nobiles et Boiaros Lithwanie firmabuntur, literis, sigillis et juramentis cavendo: quia Illustris-

simus Princeps et dominus, dominus Alexander dei gracia Magnus Dux Lithwanie etc. rata et grata habebit omnia, hic ordinata, iurata, inscripta et promissa. Item ut una pars alteri sit consilio, quod Regia Maiestas iura ac libertates, et dignitates et officia utriusque dominij, illesa conservaret, omnia jura, judicia, consuetudines, prerogativas, et libertates singulas, constitucionesque iudiciarias, ab olim in hactenus servatas utriusque dominij, salva et salvas conservando. Item quociens contigerit in coronacione novi Regis, jura Regni per Regem Electum confirmari, tunc una eciam omnia jura Ducatus Lithwanie, sub uno contextu debebunt confirmari. Item ut circa omnia iuramenta fienda, tam consiliariorum modernorum, quam futurorum, eciam capitaneorum, atque horum, qui ex nobilitate ad prestanda juramenta venient: premissorum observacio firmetur fide et honore. Item sit expressum, inscriptum, et juramento firmatum, quod non queratur per aliquam parcium ullo temporum (sic) occasio adversandi, et contraveniendi presentibus pactis, neque dismembrandi istius incliti unius corporis, presentibus uniti, compacti et conglutinati (2). Que omnia et singula, in preinserto literarum presencium tenore, atque in articulis suprascriptis descripta, expressa et ordinata, nos Fridericus, qui supra, una cum Prelatis, et Baronibus Regni Polonie suprascriptis, quantum nos concernunt, firmiter et inviolabiliter tenere, adimplere, exequi, et observare in perpetuum, nec eis in toto vel in parte, quocumque exquisito colore vel ingenio, contravenire, sub onere prestiti juramenti, ac fide et honore promittimus, et nos presentibus obligamus. In quorum omnium fidem, ac testimonium premissorum, sigilla nostra, nonnullorumque Militum, Procerum, et Nobilium Regni Polonie, sunt presentibus subappensa. Actum et datum in Convencione generali *Pijothrkoviensi*, die dominico in profesto sancti Francisci, anno domini millesimo quingentesimo primo. Ibidem presentibus et ad premissa omnia consencientibus, et perpetuo rata habentibus, Venerabilibus, Generosis, et Nobilibus dominis: Nicolao Crzyczki Decano Cracoviensis, et Preposito Poznaniensis, Johanne Conarski Cracoviensis et Sancti Michaelis Preposito, Johanne de *Lasko* Cancellario Gneznensis, Decano Wladislaviensis, et Preposito Crusszwiciensis, Alberto Gorski Scolastico Wladislaviensis,

(2) **Omnes hi articuli verbotenus exarati in Vol. Leg. T. I p. 286 anno 1496.**

Nicolao de *Barthniki* Custode Ploczensis, Ecclesiarum; Johanne Zaramba de *Calinowa* Siradiensi, Stanislao de *Curozwanki* Wyelunensi, Johanne et Stanislao de *Sprowa* Opocznensibus Capitaneis, Stanislao Lyasoczki de *Brzesiny* Succamerario Poznaniensi, et Jaroslao de *Lasko* Tribuno Syradiensi, alijsque quam pluribus Prelatis, Militibus, Nobilibus, Terrigenis, et Indigenis Regni Polonie.

CXCVII.

Petricoviae, anno 1501 d. 3 mensis Octobris.

Praecedenti diplomate exaratam Unionem Prelati et Barones Magni Ducatus Lituaniae, per nuntios ad Conventionem generalem Petricoviae habitam missos, ratam esse jubent (¹).

In nomine domini, amen. Ad rei memoriam sempiternam. Terrestrium Regnorum et Principatuum ordinem, a summo illo universi opifice Deo ita institutum esse constat, ut, nisi ex capite et membris, ijsdemque concordibus, quodlibet eorum compactum existat, salvum et incolume diu permanere non possit; quo diucius autem solidum et integrum perseveret, opere precium fore, ut capiti membra respondeant, et caput membris singularij moderacione et prudencia presit: inofficiosa enim et discordancia a suo capite membra periclitari consueverunt, que concordia et officiosa, se una cum capite conservant. Et cum in omnibus nature legibus, divinisque preceptis, ea imprimis excellant, que ad mundanorum principatuum iustam concordemque soliditatem et consonanciam pertinent: nam quitquid boni et felicitatis mortalibus datum est, inde proficiscetur (sic): cumque ex eo imperia, regna et principatus non modo stabiliri, sed eciam augeri et mirabiliter coalescere, atque concordia parwas res crescere, discordia vero maximas dilabi, quottidiana

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario Ill. Principum Radziwillorum Nieboroviae asseruato. Sex sigilla appensa erant funiculis sericis coloris albi et rosei, quatuor reliqua sunt. Eorum primum exhibet caput uri, insuper symbola episcopalia, in ambitu leguntur verba: „*S. Alb. Epi. Viln.*"; alterum exhibet tres tubas, videlicet insigne Principum Radziwillorum, verba vix legi possunt; tertium insigne dictum „Leliwa", verba in ambitu literis slauonicis inscripta. Quartum sigillum penitus destructum.

doceat experiencia: quapropter, nos Albertus dei gracia Episcopus, Dux Allexander Jurgyowycz Castellanus Wylnensis et Capitaneus Grodnensis, Johannes de *Zabrzezye* Pallatinus Trocensis et Marsalcus Magni Ducatus Lithwanie, Nicolaus Mykolayowijcz Suppincerna eiusdem Magni Ducatus Littwanie et Capitaneus *Byelsczensis*, et Petrus Olechnowycz Magister coquine ducalis, serenissimi Principis et domini domini Allexandri, dei gracia, Magni Ducis Lithwanie, Samogittie, Russie, Kyowye, domini et heredis etc. graciosissimi; universorumque eiusdem Magni Ducatus Lithwanie Prelatorum spiritualium et secularium, Baronum, Procerum, Militum et Nobilium Nunctij ac Oratores, cum plenissimis mandatis, tam ducalibus, quam dominiorum (sic) eorumdem Litwanie, ad Illustrissimum Principem, Reverendissimumque in Christo patrem et dominum, dominum Ffredericum, misgracione divina, sacrosancte romane ecclesie tituli sancte Lucie in septem solijs Presbiterum Cardinalem, Archiepiscopum Gneznensem, Regni Polonie Primatem et Episcopum Cracoviensem: ac universos et singulos incliti Polonie Regni Principes, Prelatos spirituales et seculares, Barones et Nobiles Regni eiusdem, hic in presenciarum congregatos, ac ad infrascripta et alia, que bono et defenssioni (sic) comuni utriusque dominij expedirent gerenda, deputati. Universis ac singulis, quibus expedit presentibus et futuris, serie presencium notificamus: Quod .... *(Hic sequitur idem verborum contextus, quem praecedens diploma anni* 1501 *exhibet, iidemque articuli quos in praecedenti diplomate atque in Vol. Leg. Tomo I. a.* 1496 *p.* 286 *legimus. Finitur autem hoc diploma his verbis):*

Que omnia et singula, in literarum presencium tenore atque in articulis suprascriptis descripta, expressa et ordinata, nos Albertus Episcopus, qui supra, una cum Prelatis et Baronibus Magni Ducatus Littwanie suprascriptis, quantum nos concernunt, firmiter et inviolabiliter tenere, adimplere, exequi et observare imperpetuum, nec eis, in toto, vel in parte, quocumque exquisito colore vel ingenio contravenire, sub onere prestiti iuramenti, ac fide et honore promittimus, et nos, successoresque nostros presentibus obligamus. In quorum omnium fidem ac testimonium premissorum, sigilla nostra sunt presentibus subappensa (2). Actum et datum *Pyotrkowie* in Convencione

(2) In apographo hujus tabulae, de quo fit mentio in nota sequenti, sic legitur: „sigilla nostra nonnullorumque militum, procerum et nobilium sunt presentibus subapensa".

generali, die dominico in profesto sancti Ffrancisci, anno domini millesimo quingentesimo primo. Presentibus generosis et honorabili dominis: Stanislao Pyethkowycz Capitaneo Brestensi .... Johanne Canonico Troczensi, et Johanne Olechnowycz, alijsque quam pluribus fide dignis, Ducatus Lithwanie indigenis, ad premissa testibus (³).

(³) Apographa hujus tabulae, aeque ac superioris Nro CXCVI. p. 356 exaratae inveniuntur in libro Metrica Regni dicto, Nro XVII. literis H H signato et quidem tabula Nro CXCVI. inserta est huic libro p. 230, haec vero pag. 316. Liber hic recuperatus est a Suecis anno 1683 regnante Serenissimo Joanne III. Sobieski. Continet autem privilegia, annorum 1492—1502. Finis hujus tabulae paulum aliter legitur in apographo, scilicet: „Ibidem presentibus, ac ad premissa omnia consencientibus, et perpetuo rata habentibus Generosis dominis: Nicolao Micolayowycz Subpincerna Magniducatus Lithuanie et Capitaneo Byelscensi, et Petro Olechnowycz Magistro coquine ducalis, collegis nostris premissa omnia nobiscum agentibus, tractantibus, inscribentibus, ac juramentis suis firmantibus. Testibus vero generosis et honorabili dominis: Stanislao Pyethkowycz, Capitaneo Brestensi, Petro Dowoynowicz, Johanne Canonico Trocensi et Johanne Olechnowycz, et alijs quam pluribus fide dignis."

CXCVIII.

Vilnae, anno 1506 d. 20 mensis Octobris.

Sigismundus I. Dux Lithuaniae promittit Lithuanis, se priuilegia ipsis ab antecessoribus suis concessa, obseruaturum (¹).

Nos Sigismundus dei gracia Magnus Dux Lithvanie, Russie, Samogithie etc. dominus et heres. Significamus quibus expedit universis, quos presens tangit negocium, aut quomodolibet in futurum tangere poterit: Quod promittimus et spondemus verbo nostro ducalj, fide rata, his scriptis

(¹) Ex archetypo membranaceo in tabulario Ill. Principum Radziwillorum asseruato. Unum tantum sigillum funiculo serico rubei coloris appensum repraesentat insigne a Magno Duce usitatum, scilicet clypeum in quatuor partes diuisum; in medio hujus clypei deprehenditur parvus clypeus aquilam polonicam exhibens. Ex alijs duabus partibus transversaliter positis effictus est eques lithuanicus Pogoń vulgo dictus, ex aliis duabus partibus aeque transversaliter collocatis effictus est cingulus clypeum transversaliter ambiens. In circuitu sigilli leguntur verba: *„S. J. P. Sigismundi D. O. S. Kazimiri P. R. nati Lithvanie et in Slesia Ducis"* etc. nempe: Sigillum Illustris Principis Sig. Ducis olim Serenissimi Kaz. Poloniae Regis nati Lith. et in Slesia ducis etc.

policemur (sic) et obligamur, dominis Prelatis, Baronibus, Consiliarijs, Nobilibus, Boiaris, Civibus, privilegium Magni Ducatus Lithvanie, per nos noviter factum, et in presencia nostra lectum, ac juramento nostro corporalj confirmatum, corroboraciones, confirmaciones, privilegia, donaciones, immunitates predecessorum nostrorum Magnorum Ducum Lithvanie, videlicet Wladislaj Regis avj, Vithowdj, Sigismundj, et felicis memorie Kazimirj patris, et Alexandrj germani nostrj, in se continens sive continendum (sic), sigillo nostro Magni Ducatus Lithvanie maiorj, quam primum factum vel formatum fuerit, communire et subappendere. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum, presentibus est subappensum. Actum et datum *Vilne,* feria tercia proxima post festum sancti Luce Ewangeliste, anno domini millesimo quingentesimo sexto.

CXCIX.

Grodnae, anno 1506 d. 23 mensis Novembris.

Proceres Magni Ducatus Lithuaniae, eligendi novi regis causa nuntios Petricoviam mittunt, iisque dant omnimodam facultatem ad hoc negotium perficiendum (1).

Albertus dei gracia Episcopus Vilnensis, Nicolaus Radivilovicz Palatinus Vilnensis et Magni Ducatus Lithvanie Cancellarius, Dux Alexander Juriovicz Castellanus Vilnensis, Nicolaus Mikolaiovicz Palatinus Trocensis, Johannes Juriovicz Zabrzesinsky Magni Ducatus Lithvanie Marsalcus Generalis et Capitaneus Grodnensis, Stanislaus Janovicz Castellanus Trocensis et Capitaneus Terre Samogithie, ac ceteri Consiliarij Magni Ducatus Lithvanie: Reverendissimis in Christo patribus, nec non Magnificis, Generosis, et Nobilibus dominis: Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, ceterisque Prelatis status utriusque, Regni Polonie Consiliarijs, *Piotrkowie* ad eleccionem congragatis, fratribus et amicis nostris charissimis, salutem et fraterne

(1) Ex archetypo in tabulario Ill. Principum Radziwillorum Nieboroviae asseruato. Huic tabulae taeniolis pergamenis appensa fuerant plura sigilla mediae formae. Ex iis quatuor supersunt, quorum duo exhibent tres tubas, videlicet insigne Principum Radziwillorum; tertium repraesentat insigne Leliwa dictum, quartum deletum.

caritatis augumentum (sic). Reverendissimi in Christo Patres, Magnifici ac Generosi, et Nobiles domini fratres, et amici nostri charissimi. Mittimus ad R. paternitates et dominaciones vestras, de consensu et voluntate speciali Serenissimi Principis et domini, domini Sigismundi dei gracia Magni Ducis Lithvanie, Russie, Samogithieque etc. domini et heredis nostri graciosissimi, Reverendos in Christo Patres, et Magnificos dominos: Albertum Episcopum Luceoriensem, Stanislaum Piotrovicz Campiductorem generalem, et Johannem Juriovicz Marsalcum Magni Ducatus Lithvanie, fratres nostros, de medio consilij nostri, quibus dedimus et presentibus damus plenum mandatum, et omnimodam facultatem, irrevocabiliter cum V. [estris] dominacionibus loquendi, consulendi et conferendi, ac omnium in omnibus mutue nostre Reipublice negocijs agendi, tractandi, ordinandi et concludendi. Promittentes, omnia et singula, quecumque per ipsos oratores, fratres nostros, acta, facta, ordinata, et conclusa fuerint; rata, grata, atque firma tenere, et inviolabiliter conservare perpetuo. Harum, quibus sigilla nostra sunt subappensa, testimonio literarum. Datum *Grodne,* feria secunda proxima ante festum Beate Katherine Virginis et Martiris gloriose. Anno domini millesimo quingentesimo sexto.

CC.

Grodnae, anno 1506 d. 7 mensis Decembris.

Privilegium terrestre, a Sigismundo Magno Duce Lituaniae eidem Ducatui concessum, quo omnia jura libertatesque Magni Ducatus confirmantur (1).

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ea, que magnifica Principum decernit auctoritas, dignum est

(1) Ex archetypo membranaceo in tabulario Ill. Principum Radziwillorum Nieboroviae asseruato. Huic tabulae appensum sigillum magnum funiculo serico coloris rubri, exhibet equitem lithuanicum vulgo Pogoń dictum in medio parvi rotundi clypei exaratum, circumdatum insignibus terrarum et provinciarum lithuanicarum. In ambitu leguntur verba: *„Sigismundus Dei gratia Magnus Dux Lithwanie Russie Sam."* .... etc. Fragmentum hujus privilegii in opere *„Zbiór Praw Litewskich"* est typis exaratum. Sed quoniam auctor illius operis profitetur: se tabulam authenticam ejusdem privilegii non vidisse, ideo totum hoc privilegium recudendum esse duximus.

ipsa literarum apicibus confirmare, et fidedignorum testimonio perhennare. Proinde nos Sigismundus dei gracia Magnus Dux Lithvanie, Samagitie, Terrarumque Russie dominus et heres etc. Significamus tenore presencium, universis quibus expedit presentibus et futuris, harum noticiam habituris: Quomodo revolventes in animo, qua quantave sinceritatis affectione et integre fidei constancia, Prelati tam spirituales quam seculares, Principes, Barones, Milites, Proceres, Nobiles, Consiliarij, ceterique subditi et incole Terrarum Magni Ducatus nostri Lithvanie, personam nostram venerati sunt atque dilexerunt, ut tandem, decedente felicis memorie Serenissimo Principe et domino, domino Alexandro Rege Polonie, Magno Duce Lithvanie, germano et predecessore nostro carissimo, nos tanquam verum heredem et legittimum successorem, ipsis in Suppremum et Magnumducem ac dominum, concordibus votis et voluntatibus assumserunt, elegerunt, et sublimaverunt. Posteaquam igitur, Altissimo dirigente, votis eorumdem Prelatorum spiritualium et secularium, Consiliariorum, et Incolarum Magni Ducatus nostri Lithvanie, avitum, paternum, et fraternum eiusdem amplissimi Ducatus nacti sumus solium, supplicaverunt nobis ijdem Prelati, Consiliarij, Incole et Subditi nostri, qui nostre felici aderant sublimacioni, quatenus jura, libertates et privilegia, ipsis per predecessores nostros, Magnos Duces Lithvanie, data et concessa, confirmare et ratificare, ac articulos infrascriptos approbare dignaremur. Quorum articulorum tenor sequitur talis: Imprimis promittimus Prelatos, Principes, dominos Consiliarios nostros Magniducatus Lithvanie, Samagitie, Russieque, ac eciam Barones, Nobiles Lithvanos et Rutenos, in ipsorum honoribus et dignitatibus non minuere, sed, secundum exigenciam idoneitatis et meritorum, promovere, ac sublimare. Item omnia jura, libertates, privilegia, literas latinas et rutenicas, immunitatesque Magniducatus Lithvanie ecclesiasticas et seculares, ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus, parrochialibus, et quibusvis sacris pijsque locis, ac Magnoducatui, eiusdem Prelatis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Civitatibus, Civibus, Incolis, et quibuslibet personis, cuiuscumque status vel condicionis existentes (sic), per divos predecessores nostros Principes: Magnos Duces, et quoscumque dominos et heredes Magniducatus Lithvanie, precipue per Regem Wladislaum alias *Jagielo* awum nostrum, Vitowdum, Sigismundum, Regem Kazimirum parentem nostrum, et germanum nostrum Regem Ale-

xandrum, iuste, licite, et legittime data et donata, ac datas et donatas: eciam super bonis immobilibus hereditarijs, quorum possessionem hactenus habuerunt, et nunc ipso facto habent: signanter vero privilegium generele terrestre Regis Alexandri, circa sui in Magnumducem sublimacionem datum, manutenebimus, conservabimus, custodiemus, ac attendemus, in omnibus articulis, clausulis, atque punctis. Item bona ducalia eiusdem Magniducatus non minuemus, sed iniuste alienata, et illicite distracta, surrepticieque impetrata, ad proprietatem eiusdem reducemus, et reducere curabimus. Item si dominus Deus favebit nobis assequi dominium tam Regni Polonie, quam aliarum Terrarum; extunc dominia nostra Magniducatus Lithvanie, et dominos Consiliarios, in nullo iniuriemus (sic): sed ab omni levitate ac depressione, prout diwus genitor noster, tempore felicis sui regiminis, faciebat, hec dominia custodiemus. Item quicumque subditorum nostrorum, in predictis Terris Magniducatus, super suis bonis immobilibus, hereditarias literas aut munimenta non habentes, sufficienti tamen fide dignorum testimonio probaverint: bona huiusmodi tempore Magnorum Ducum Lithvanie Vitowdi vel Sigismundi, aut divi Kazimiri, parentis nostri, se vel suos legittimos parentes, aut predecessores pacifice possedisse: remanebunt circa eadem, perinde ac si certas literas aut munimenta haberent super eisdem. Item si quis obloquendo accusaverit quempiam ad infamiam, aut capitis diminucionem, nec probaverit; punietur pena talionis, ac si se inscripsisset ad eandem. Item super statutis et consuetudinibus approbatis et laudatis, antiquis servandis, aut novis condendis, promulgandisque, et plurimis, que erunt ordinanda pro communi utilitate reipublice ac nostra: nonnisi cum matura deliberacione, ac cum scitu et consilio, consensuque dominorum Consiliariorum nostrorum Magni Ducatus Lithvanie, tractabimus ac disponemus. Nos itaque Sigismundus, Magnus Dux, peticionibus prefatorum Prelatorum status utriusque, Consiliariorum et Subditorum nostrorum, tanquam iustis favorabiliter annuentes: dignum duximus, in ipsos oculos pietatis nostre aperire, et eis hanc, quam actu et opere, veluti athlete fideles, in nos exhibuerunt sinceritatem et constanciam, gratitudine nostra, ut decet, compensare. Inde ex certa nostra sciencia, prehabitaque sufficienti deliberacione, animo benevolo, et voluntate nostra ultronea, ipsis prefatis Baronibus, Dignitarijs, Militibus, Proceribus, Nobilibus, Civitatibus, et eorumdem (sic) Communitatibus, ceterisque Subditis

et Incolis Terrarum Magniducatus nostri Lithvanie, cuiuscumque status, condicionisque existant, omnia ipsorum jura et privilegia, tam ecclesiastica, quam secularia, que a dive memorie Regibus et Magnis Ducibus, et ab olim genitore nostro Kazimiro, et fratre nostro Alexandro, predecessoribus nostris, super quibuscumque bonis et libertatibus habere dinoscuntur et habent, sub quibuscumque datis et caracteribus latinis et ruthenis, in vita ipsorum, donaciones et libertates in se continentes (sic), iuste, licite et legittime, emanata, data et concessa: que perinde esse ac valere volumus, tanquam his nostris de verbo ad verbum inserta essent literis: ac articulos superius insertos, quos in verbo nostro ducali, et sub iuramento corporali ad sancta Dei ewangelia prestito, tenere et observare promissimus (sic), prout et presentibus promittimus ac spondemus: in omnibus eorum punctis, clausulis, posicionibus, capitulis, condicionibus et articulis, de gracia, virtute, et munificencia nostris, duximus confirmandum, approbandum et roborandum; prout confirmamus, approbamus, et presentes (sic) perpetuo patrocinio roboramus: decernentes ea et eos, robur habere perpetue firmitatis, tenore presencium mediante, in ewum. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est subappensum. Actum et datum in *Grodno,* feria secunda in vigilia Concepcionis Beate Virginis Marie. Anno domini millesimo quingentesimo sexto. Presentibus ibidem Reverendo patre, et Magnificis, Generosis ac Nobilibus: Alberto Episcopo Vilnensi, Nicolao Radzivilovycz Palatino Troczensi, Duce Alexandro Jurievicz Castellano Vilnensi, Johanne Zabrzesinsky Marsalco Magni Ducatus nostri Lithvanie generali, Stanislao Janowicz Castellano Troczensi, et Capitaneo Terre Samagithie, Ivan Lwovicz, Duce Hlinskj Palatino Kijoviensi, Stanislao Janovicz Zabrzesinskj Tenutario in *Merecz,* Alberto Narbuthowicz Tenutario in *Jasvoni,* et Georgio Gilijncz ([2]) Marsalcis nostris, ac alijs quam plurimis Consiliarijs nostris sincere et fidelibus dilectis, testibus circa premissa. Per manus Venerabilis Nicolai de *Zukovo* Prepositi Srzedensis, et Canonici Vilnensis, Secretarij nostri, qui presencia a nobis habuit in commissis.

([2]) Forsan Ilinicz.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX I.

Personarum quarum vel literae, vel nomina, vel insignia in tabulis adducuntur.

A

C.

H.

M.

N.

U.

V.

INDEX II.

Pagorum, urbium, oppidorum, castrorum, villarum, monasteriorum, silvarum, fluminum, rivorum etc. in tabulis hisce occurrentium (1).

---

(1) Ne eadem nomina saepius repeterentur, et ut, quantum fieri posset, regesta jam satis copiosa, redderentur simpliciora, nomini cujusque castri sive oppidi apposuimus ordine chronologico magistratus ipsius proprios, tam majores quam minores, dignitatis gradu observato. Sub voce *Polonia* inveniuntur omnes magistratus totius Regni, sub voce *Lithuania* omnes magistratus Magni Ducatus in hoc tomo occurrentes. Itaque index hic praeter oppidorum, villarum fluminum etc. nomina, continebit etiam magistratuum tam secularium quam spiritualium seriem. Annus quique nomini appositus denotat tempus, quo in tabulis nostris idem est allatum.

(²) Provinciae sive Palatinatus *Brestensis* et *Cujaviensis* idem semper significabant, ideoque, licet in tabulis nostris legantur voces tum *Brestensis* tum *Cujaviensis*, omnes senatoriae dignitatis magistratus occurrentes sub his vocibus, afferuntur sub voce *Cujavia*. Magistratus vero sic dicti castrenses inveniuntur enumerati sub voce *Brześć-Kujawski*, cum haec urbs regionis et provinciae caput fuisset.

(³) Sub hac voce afferuntur omnes magistratus ecclesiastici, in tabulis *Wladislavienses* dicti; quum in antiqua Polonia dioecesis Wladislaviensis idem significaret ac *Cujaviensis*, et vulgo sub hoc nomine nota esset. Ut autem nomina senatoriae dignitatis virorum, qui in tabulis *Brestenses* vocati sunt, distinguantur ab iis, qui tantum *Cujavienses* perhibentur, apposita est illis litera *B* (Vide Brześć-Kujawski). Niesieckius saepius hac in re peccavit. Magistratus autem sic dicti castrenses videantur sub voce *Brześć-Kujawski*.

D.

(1) Vide annotationem ad vocem *Inowłocław*.

(5) Sub hac voce enumerantur omnes magistratus, qui in tabulis cum *Juniwladislavienses*, tum *Wladislavienses* nominantur: quum Wladislaviae nulla unquam castri sedes fuisset. Ut tamen discrimen, quod nonnisi incuria diplomata scribentium, neglectum esse videtur, recte animadvertatur, literam *W* apposuimus nominibus illorum magistratuum, qui in tabulis *Wladislavienses* dicuntur. Niesieccius Cromeri aliorumque historicorum sententiam secutus Palatinatum hunc, antea Gniewkoviensem dictum, cum Brestensi-Cujaviensi conjunctum fuisse, minimeque suos proprios magistratus habuisse affirmat; difficileque esse indicare temporis spatium, quo duo hi Palatinatus discerni coepti essent, idque secundum suam opinionem a. 1400 factum esse. Exhibitus hic a nobis magistratuum index huic rei illustrandae multum profuturus esse videtur.

K.

O

(6) Cum dioecesis in hoc oppido constituta polonice *Cujaviensis* vocaretur, ideo Episcoporum ceterarumque ecclesiasticarum personarum index affertur sub voce *Cujavia*: magistratus autem tum senatoriae tum castrensis dignitatis attulimus sub voce *Inowłocław* (Juniwladislavia), quum hic nunquam castri sedes fuisset.

INDEX III.

Nominum barbarorum et exoticorum medii aevi, nec non aliorum quae primo secundoque Indici inseri apte non poterant.

ADDENDA ET CORRIGENDA (1).

Pag.	Linea.			Lege.
2	18	libre	„	*libro.*
	22	accomodato	„	*accommodato.*
3	11	scurarus	„	*scurariis.*
8	37	pag. 36 seqq.	„	pag, 37 seqq.
	26	Siradiae	„	*Lanciciae.*
	36	Piotrków	„	*Piotrów.*

15 32 post Polaniecensis addatur *putem.*

24 24 Codex in hac nota laudatus, de quo in praefatione referenda referre ommisimus est papyraceus, forma quartanaria Nro. I. notatus, inscriptus: „*Diversorum priuilegiorum monasterii Czervinscensis ab anno* 1155 *ad annum* 1746 *copiae.*“ Continet paginas a 1—282 itaque 116 chartas, paginae tamen 41 et 42 desiderantur. Codex ipse, uti quidem ex literarum ductibus conjicere licet, ineunte saeculo XVI scilicet inter annum 1500—1513 describi coeptus est. Privilegia autem, quae hic continentur, non sunt exhibita ordine chronologico, sed passim permixta, et nonnulla repetita. Numerus omnium privilegiorum hic descriptorum est 184, nimirum tredecim sine anno, unum anni 1155 bis exhibitum; quindecim saeculi XIII, viginti saeculi XIV, septuaginta tria saeculi XV, unum anni 1513, itidem unum anni 1746. Desiderantur autem prorsus privilegia saeculi XVII. Ex hoc codice descriptae tabulae nostro corpori insertae sunt: XIII, XIV, XLIII, XLV, XLVII et LXX.—In eadem Bibliotheca Ordinationis Zamojscianae asseruatur etiam alius liber manu scriptus papyraceus Nro. II signatus, itidem formae quartanariae, inscriptus: „*Privilegiorum super sculletias, advocatias, molendina, granaria etc. per Abbates ordinis Canonicorum regularium Czervinscensis, tum transactionum diversarum, bona ejusdem spectantium, et quarumdam bullarum, ac privilegiorum per Duces Masoviae Stanislaum et Janussium, aliosque Principes ab anno* 1386 *ad annum* 1741 *datorum copiae.*“ Continet paginas a 1—389 sive 194 chartas, quarum tamen nonnullae sunt vacuae. Codex hic, prout ex literarum ductu apparet, sine dubio extremo decennio saeculi XIV describi coeptus est, continet vero 118 privilegia scilicet unum sine anno, tria saeculi XIV, undequadraginta saeculi XV, undeseptuaginta saeculi XVI. unum anni 1741, nullum autem saeculi XVII. Ex hoc altero codice nullam tabulam huic tomo inseruimus; attamen sequentibus tomis inserendas curabimus.—Tertius adhuc liber manu scriptus continens priuilegia ejusdem monasterii Czervinscensis inscriptus: *Nova et vetera de thesauro antiquissimae ecclesiae B. V. Mariae in Czerwińsk sub cura Canonicorum regularium Lateranensium consistentis deprompta et in unum volumen recondita, opera et studio Mathaei Krassewski etc. Secretarii actorum capitularium collecta a.* 1740, laudatur a doctissimo W. H. Gawarecki in ejusdem: „*Commentariis historicis plocensibus* (Pamiętnik histor. płocki w Warszawie 1828) p. 1.

25 14 Zemovito *lege Ziemovito.*

29 4 Theutonici. Vox haec, aeque ac *Lithuania*, jam cum litera *h*, jam sine ea scribuntur, quamvis nobis nulla sat idonea causa esse videatur, cur his vocibus *h* addatur.

31 24 Michaeli *leg. Michaëli* et sic passim

Pag.	Linea.			Lege.
36	29	exstra	„	*extra*
37	7	in carnacione	„	*incarnacione*
40	28	Nro. XIX	„	Nro. XVIII

41 21 Tabula haec XXVII. literarum formis descripta est in Ephemeridibus Regiae Societatis Philomathicae Varsaviensis (Roczniki Towarzystwa Król. Warsz. Przyjaciół Nauk) Tomo XVIII p. 183—193, ubi praeter annotationes criticas maximi momenti a doctissimo Viro Luca Gołębiowski adjectas, invenitur additum exemplar accurate ad similitudinem tabulae authenticae, à Viro clarissimo Guilelmo Kolberg nunc viae ferro stratae Varsavio-Vindobonensis directorii socio anno 1824 effictum. Hoc exemplar nacti, denuo illud recensuimus; quaeque minus recte a doctissimo Stronczyńscio in priori. copia descripta nobis videbantur, ea inferius designamus.

41 26 quot *leg. quod.*

(1) Volumine hoc jam typis descripto, sedulo fontes novos undique conquirentes, nova apographa tabularum a nobis in hoc tomo exhibitarum deprehendimus; his itaque denuo collatis cum tabulis descriptis factum est, ut addenda et corrigenda paullo nimium sint aucta.

Pag.	Linea.	
41	29	insedentem *leg. insidentem*
42	2	inter graniciam *leg. inter grangiam*. In Ephemeridibus perperam quoque legitur *graniciem*.
	4	[per ali] quam *l. per antiquam* uti recte in Ephemeredibus legitur.
	11	presentes sunt *l. presentes fuerunt*, quod et in Ephemeridibus recte descriptum est.
	13	mensuras mellis *l. urnas mellis*. Ephemerides habent etiam *mensuras*.
43	9	celebrata *l. celebrato*
44	ex.	procedens *l. praecedens*
50	15	Qui hac in nota laudatur liber XII pag. 754 Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, minus recte allatus est, siquidem non indicatum librorum genus, cui annumeratur. Varsaviense tabularium publicum Regni Poloniae, vulgo Metricae Regni *(Metryki Koronne)* dictum constat XXX generibus librorum manu scriptorum, praeter documenta archetypa, quae XXXI. genus documentorum efficiunt; quaeque ob praecipuam, qua custodiuntur, curam, Tabularium Regni secretius sive Metrica Regni secretior *(Archiwum koronne sekretne, czyli Metryka sekretna)* dicuntur. Inter XXX librorum manu scriptorum genera, asseruata in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae, est quoddam genus, idque primum in ordine omnium, continens libros manu scriptos peculiari nomine Metricae Regni *(Metryki Koronne)* dictos. Ne igitur nomen generale Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae vulgo Metricae Regni dicti, confundatur cum speciali nomine librorum ejusdem tabularii, similiter Metricae Regni dictorum, semel monuisse sufficiat. Qui itaque pagg. 73, 88, 96, 100, 166, 168, 180 laudantur in notis libri manu scripti Varsaviensis tabularii publici Regni Poloniae, ii nonnisi libros manu scriptos speciali nomine sive κατ᾽ ἐξοχήν „Metricae Regni" dictos Nro. I asseruatos denotant. Liber vero XII hic laudatus non illis libris, sed potius libris manu scriptis, qui Nro. XXVII Varsaviensis Tabularii publici R. P. asseruantur, continentque sic dicta: *Acta Iudicii Terrestris et Castrensis Varsaviensis*, adnumeratur. Ceterum omnes antiquissimi libri, in omnibus tabulariis Regni Poloniae occurrentes sunt forma angusta, eaque differunt ab reliquis posterioris aevi libris: appellantur autem, lingua vernacula non solum „*Dudki*" sed etiam „*Organki*" et „*Języczki*." Tabula haec XXXII anni 1243 bis adhuc exbibita est in libris manu scriptis Varsaviensis tabularii et quidem in libris Metricae Regni dictis, primum (I) scilicet in libro IX. p. 171 tum (II) libro CLXXXIX p. 731 in confirmatione Regis Vladislai IV anni 1647. Ambo haec apographa contulimus cum tabula a nobis typis descripta, quasque deprehendimus diversas lectiones, eas hic proponimus:
50	4	considerando *l. considerantes*
	5	aput *l. apud*
50	7	quod...cum omni *l. quia...cum nostro* (II)
	9	Gotardo *l. Gothardo* (ambo)
	10	contullimus *l. contulimus* (a)
	13	utilibus...competi videbitur—Incolle *leg. utilitatibus—competi ibidem videbit (I)... Incolae*
	31	quae *l. qui*
51	1	eos judicat *l. e. judicet (a)*
	2	hoc perpetue *l. hoc robur perpetue (a)*
	3	impressionis *l. inscriptionis (II)*
	4	Krysk *l. Czyrsk* (ambo)
	5	Mzczyvugio *l Msczywoyo (I) Msciwoio (II)*
	6	Damiano—Lassota *l. Damyano (I) Lasotha (I) Lassotha (II)*
	7	quam pluribus *l. quam plurimis (II)*
52	20	Cf. tabula LXIV anni 1284 pag. 113 linea 16.
53	20	supra dicti *l supra dictis*
54	11	Stricoviense *l. Stricoviensi*
56	25	falrsaii *l. falsarii*
59	24	Abbati *l. Abbatis*
60	27	institutam *l. institutum*
62	23	collatum *l. collatam*
64	3	venarabili *l. venerabili*
65	19	eidem ecclesie *l. eiusdem ecclesie*
69	20	Dlugossus *l. Dlugossius*
75	22	*post* scripturae *deleatur* comma.
77	25	Johannis III *l. Joannis III* et sic passim vox haec corrigenda.
	27	*post vocem:* contexto addatur *oppenso*
78	25	inhoatae *l. inchoatae*
79	17	jusdem *l. ejusdem*
80	37	Polones *l. Polonos*
83	32	Nro XXIII *l. Nro XXII*
84	10	Nro XXIII *l. Nro XXII*
85	17	profixo *l. prefixo*
86	2	carectere (sic)
88	LI.	Hanc tabulam contulimus cum suo apographo in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae Nro. 647 asseruato, et lectionis varietatem ejus modi deprehendimus:
	8	roborantur *l. roborentur*
	10	ipsum scriptum *l. presens s.*
	„	Lestheo *l. Lesthko*
	11	Przybyslao *l. Preibislao*
	„	mericam certam *l. mericam circa*
	12	locare *l. locari*
	16	expiravit *l. expirabit*
	17	sextam *l. sextum*
	18	quattuor sigillinis *l. quatuor siliginis*
	19	duos mansos libere *l. duos mansos liberos*
89	4	possidendam *l. possidenda*
	5	optineret *l. obtineret*
	9	Paijczna *l. Pagyczna*
90	25	LIII anno 1271 Apographum hujus tabulae invenitur etiam insertum libro Metricae Regni Nro XI p. 288 nimirum in confirmatione Casimiri Regis Poloniae M. Ducis Lithuaniae, quam in Conventione in oppido Nova Civitate (Kor-

Pag.	Linea.	
		czyn) habita impertivit. Diversitas lectionis hujus apographi est ejus modi:
91	5	Modliborii *l. Modlibosii*
	9	Opatowiec *l. Oppatowiecz*
	11	damus potestatem *l. damus facultatem*
	23	Ne autem *l. Ne igitur*
	28	Warsch...Janusius *l. Warss...Janussius*
	30	Kłobucko *l. Clobuczsko*
93	27	fasciculo *l. funiculo*
96	12	*post* sittum *ponatur* (sic)
	31	quo *l. quod*
97	16	Tabulae LVII anni 1278 apographum insertum est libro Metricae Regni Nro CXXIII p. 333 literis W. D. D. notato. In hac confirmatione a Rege Stephano anno 1580 d. 8 m. Junii profecta, fit mentio sigillorum his verbis: „binis sigillis serico appensis, quorum unum integrum, alterum vero nonnihil propter vetustatem confractum.“ Variantes lectiones hujus apographi sunt sequentes:
97	23	protingant *l. pertingant*
98	4	Benya *l. Benyam*, et sic passim in toto apographo.
	10 } 11 }	Nomina villarum in apographo similiter exarata praeter: *Zossinida, Ptone, Pyrisz, Oslenino*
	17	profulgentes *l. praefulgentes*
99	6	vel denuo *itidem in apographo*
	7	*pozradlne*, ab *opole*, a vacca *leg. porradlne*, ab *opole*, a bove, a vacca
	9	perangariis *l. praeangariis*
	10	conjugimus *l. conjungimus*
	13	excolendas *itidem in apographo*
	14	voluerint *itidem in apographo*
	16	cum [tota] *leg.* cum *tota*
	19	Ut igitur [haec nostra] *l. Ut igitur praefata*
	21	*post vocem:* sigillorum *add.* nihilominus
	23	Archidyacon *l. Archidiaconus*
	24	Scantociensis *l. Scandociensis*
	ibid.	Herkenboldus *l. Herkenbeldus*
100	18	In apographo hujus LVIII tabulae anni 1278, quod aliunde nacti sumus, sigillum ita describitur: „Sigillum formae majoris de cera vulgari alba, funiculo serico coloris viridis appensum, multum attritum. Ex verbis in ambitu scriptis vix quatuor conspiciuntur literae: „,...OL..AL..“ Repraesentat imaginem sancti habentis caput radiatum, veste sacerdotali induti sedentis, qui benedictionem (quam dicunt) impertit viro inclinato super mensam sive truncum velatum in medio ipsorum appositum. Vultus eorundem conversi in externam sigilli partem. Serica viridis coloris fila, quibus sigillum est appensum non transeunt interiorem ejusdem massam, sed tantum ab ima ipsius parte impressus est eorundem filorum floccus. A latere et a summa sigilli parte apparent fila coloris subflavi, quae per ipsum erant perducta, iisque sine dubio erat appensum. Fortasse casu aliquo abruptum, postea viridi funiculo appensum est. Apographi lectionum varietas haec est:

Pag.	Linea.	
101	9	promuniendo *l. premuniendo*
101	11	Ploczk *l. Plotzk*
	14	Troydino *l. Troydeno*
	16	gratiose *l. generose*
102	17	quorumlibet *l. quarumlibet*
104	15	Plocensi *l. Plocensibus*
	20	nequis *l. ne quis*
105	16	Tabula Casimiri Magni anni 1356 tum et aliae, videlicet annorum 1324 (p. 155 nota 2; p. 16 nota 2 linea 3, et p. 171 nota 3) et 1357 (p. 171 nota 3) quas omnes exhibendas promisimus, aeque ac reliqua privilegia Advocatiae Brzezinensis annorum 1318, 1345, 1409, 1422 et 1441 (p. 121 nota 1) in sequentibus tomis exhibebuntur.
108	3	LX anno 1279. Tabula haec inserta est libro Metricae Regni Nro LVIII p. 150. Sigismundus Rex Stanislai Sowka sculteti in villa Klonowa precibus permotus, confirmavit ejusdem privilegium Cracoviae anno 1589 dominica Jubilate. Hae sunt, quas notavimus diversae lectiones:
	8	Lestco *l. Lesco*
	10	Wenceslao et Choynoni *l. Venceslao et Chononi*
	11	Sdinuyowice et Chosmanowo *l. Sdemyowicze et Chosmanouo*
	12	villis nostris *l. villis nobis*
	14	octodecim *l. decem et octo*
109	6	nobis ipsas reputabunt *l. sed eas nobis representabunt*
	13	Paszcone...Wilhelmo *l. Pascone.. Vilelmo*
	14	Syradie *l. in Siradz*
113	34	Cf. Tabula Nro XXXIII a. 1246 nota 3 (pag. 52)
114	8	annotationem decimam *l. a. undecimam*
120	6	Archidiacone *l. Archidiacono*
	10	Borussicarum *l. Borussicorum*
	18	Dogiello *l. Dogielo*
121	29	non nisi *l. nonnisi*
123	34	Byssoviense *l. Byssoviensi*
124	26	Getmanis *l. Germanis*
133	23	habent *l. habet*
	29	praeseferat *l. praesefert*
137	7	presentate *l. presentante*
140	9	demonstrat *l. demonstrant*
141	3	*post.* Janconj *ponatur* (sic)
145	31	Lanchiciensis *l. Lanchicienses*
147	ex.	praemissa *l. praemissam*
150	16	*post.* nostraque pace ac salute *ponatur* (sic)
	26	*post* remittentes *deleatur punctum et post* Abbati *ponatur comma*
	28	post statuitur pone (sic)
161	27	Archidiaconem *l. Archidiaconum*
164	2	Kalendas *l. Kalendis*
166	1	XCVI. anni 1303. Tabulae hujus apographon continetur etiam libro Metricae Regni N. CXXIII p. 564. Scilicet Rex Stephanus quorumdam Regni Consiliariorum precibus motus privilegium Alberti Gulacz sculteti villae regalis Skotniki confirmavit Varsaviae in Conventione Regni Ge-

Pag.	Lines.	
		nerali die 12 Februarii 1531. Variantes lectiones hae sunt:
166	10	Sostuca *l. Sostuka*
	11	Skothnijk *l. Skotnyk*
	12	dicto [Ganska] *l. dicto de Stuolna*
	15	alijs autem *l. alijs vero*
167	2	retinendo *l. retineat*
	3	Cruswycza *l. Crusuicza*
	5	his testibus *l. ijs testibus*
	7	Cruswiciensi *l. Crusuicien.* (itaque forsan Crusuiciensibus)
	ibid.	Pobislao *l. Dobislao*
	ibid.	Michale *l. Michaële*
	8	Thurzna *l. Turzna*
	8	Rozczassio *l. Rozgassio*
	16	*post* mentio *deleatur punctum et ponantur:*
	18	*post* insertam *deleatur comma et* Siquidem *scribatur*: siquidem
	21	Nro CI *l. Nro C*
	28	XCVII anni 1304. Apographon hujus tabulae insertum est libro Metricae Regni Nro LXXXIX p. 131 et profectum est a Sigismundo Augusto Rege Varsaviae in Conventione Generali Regni sabbato in crastino Circumcisionis Domini 1557. En variantes lectiones ejusdem:
	34	testimonio aut *l. testimonio vel*
168	1	autentica... gracia...Dobri *l. authentica gratia Dobrzi*
	7	peccunia *l. pecunia*
	9	donationis *l. donacionis*
	14	egressibus sive *l. e. suis*
	16	quitquid sibi vel *l. quicquid sibi et*
	25	nostro nomine *l. nostro dominio*
169	1	predictarum hereditatum ab omnibus solucionibus et exactionibus a *narzasch, leg. predictarum hereditatum ad suos usus conuertat. Et etiam praefatos incolas liberamus ab omni labore ex* (sic) *seruitute dominii nostri, videlicet: a castro a stroza, a przevod, a poszada, et ab omnibus solucionibus et exactionibus, a narzas etc.*
	2	poramb *l. porub*
	3	owe *l. ove*
	7	pena *l. poena et sic porro*
	9, 10	sangwinolentis *l. sanguinolentis*
	11	Kmethonibus *deest*
	12	occiderent *l. occiderint*
	13	mittendj...stratam *l. mitendi...strata*
	14	Andree et suorum *l. Andreas vel suorum*
	15	Preterea, ut prefatus *l. Praeterea ut praefatus*
	16	dictas hereditates *l. praedictas haereditates*
	17	removemus *l. reuocamus*
	19	recepcione *l. repeticione*
	20	perpetuum...recepcione *deest...repeticione*
	21	Simone de *Ossyck* fidejubuerat *l. Simano de Ossiek fidejuberat* (sic)
	22	eadem *l. eandem*
	23	termino statuto *l. terminis statutis*
	24	Troyanj... et per [eum] *l. Troiani...et per hoc*
	ibid.	Dobrzynense fuit defraudatum *l. Dobrzinense fuit fraudatum*
	25	Przybislaus *l. Prsibislaus*
	26	Voyczijcz *l. Voiczik*
170	3	cujus *l. hujus*
		scribi *l. conscribi* ,
	4	his...Wloscone *l. iis..Wlodkone*
	5	Succamerario *l. Subcamerario*
	6	Dobrzinensibus *deest*
175	8	*post* intrandi *deleatur comma*
	28	inveni *l. invenimus*
187	14	Hedvigem *l. Hedvigim*
	30	prouti *l. prout*
190	18	Cazimirus *l. Casimirus*, et sic ubique vox haec corrigenda
193	3	Zemovitus *l. Ziemovitus*
195	7	CXIII anno 1346. Archetypi hujus apographum insertum est libro Metricae Regni Nro LVII p. 318 unde discimus: Regem Sigismundum literas authenticas sibi ab Achacio Jordan de Zacliczin Castellano Zarnoviensi et Capitaneo Sandecensi scultetiae in villa regia Lipnik in Terra Cracoviensi jacentis tenutario et possessore, (ut vulgo dicebatur) ad confirmandum exhibitas (quarum sigillum, ut idem Rex memorat: „tametsi vetustate temporis edacis rerum demolitum erat aliquantulum, ita tamen, quod effigies et sculptura ejus facile nosci poterat)," Cracoviae die Lunae sive feria secunda post festum divisionis Apostolorum 1542 ratas esse jussisse. Quum tabula authentica, ex qua in corpore nostro exemplar typis descriptum est, duobus in locis rimis laesa sit, lacunae itaque occurrentes peropportune expleri possunt. Itaque:
196	1	fieri po... *l. fieri possunt Piscinam uel piscinas*
	ibid.	infra *l. intra*
	4	pro nobis... reseruantes *leg. pro nobis et nostris posteris reseruan* (sic)
	6	exercere... *l. excogitare hoc tamen*
	20	Item, ipse *l. Item, idem*
	27	Abram *l. Abraham*
197	2	Junij *l. Junii*. Similiter et alii menses perperam exscripti, nempe: Januarji, Februarij, Martij, Julij corrigendi sic: Januarii, Februarii, Martii, Julii. Ubi autem scriptura Maij vel etiam Maii occurrit, legendum semper Maji.
	30	Nro CXXV p. 122 *l. Nro CXXVII p.* 122
198	21	novam villam *l. Novam villam* (Nowa wieś)
199	5	exbiheri *l. exhiberi*
203	11	CXVI anno 1351. Tabulae hujus authenticae apographon insertum est libro Metricae Regni Nro XXIII p. 321 et quidem jussu Regis Sigismundi anno 1509 exorati ab famoso (ut tunc temporis vulgo dicebatur) Seuerino alias Zaijfreth Bethman Consule Cracouiensi, qui eam ob majorem securitatem asseruari cupivit.
205	27	*post vocem* bancam *ponatur* (sic)
208	3	Semovitus *l. Ziemovitus*

Pag.	Linea.	
211	24	Wladislaus *l. Vladislaus*, et sic passim in toto corpore, in summariis cujusque tabulae et notis, in cujus vocis scriptura saepius est peccatum.
214	25	Zemovitus *l. Ziemovitus*
216	6	qaum *l. quam*
	9	Kazimirus *l. Casimirus*
217	6	parvuas *l. parvas*
218	1	*post voces* coacte nec ocmpulse *ponatur* (sic)
219	5	Wartha *l. Warta*
226	9	villa *l. oppido*
228	88	opidum *l. oppidum*
284	6	*post vocem* Lijwonie *ponatur* (?)
240	18	Leopolii *l. Leopoli*
244	22	*post* innovare *ponatur comma*
247	5	Troydem *l Troydeni*
249	8	Lodovicus *l. Ludovicus*
251	32	*post* Czersthin, *addatur* Capitaneo
255	28	maenia *l. moenia*
256	28	Cazimirus *l. Vladislaus*
266	14	Dombie *l. Dąbie*
	ibid.	Jastrzembia *l. Jastrzamba*
	15	Jastrzemba *l. Jastrzambecz*
269	15	fimibus *l. finibus*
272	1	Nobilis *l. Nobiles*
282	26	ergo *l. erga*
285	18	*post* predictas ducentas marcas *ponatur* (sic)
807	8	conflaederatio *l. confoederatio*
811	16	*post Brezensis ponatur* (sic)
812	2	Korczini *l. Korczyni*
814	38	inferebant *l. inferebantur*
820	6	Raphaeli *l. Raphaëlis*
822	2	Korczini *l. Korczyni*
826	8	Srzem *l. Szrem*
868	26	congragatis *l. congregatis*
866	8	generele *l. generale*

Ad tabulam XLVI anni 1257 *(pag.* 77*).*

Duo inveniuntur hujus tabulae in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae apographa: alterum a Rege Sigismundo Augusto anno 1549 Cracoviae feria secunda infra octavas Corporis Christi profectum, libro Metricae Regni Nro 76 p. 415 literis Z. K. signato contentum; alterum in confirmatione Regis Stephani Batorei an. 1583 d. 12 m. Octobris libro Metricae Regni Nro 129 p. 434 literis W. G. signato, inserta, exhibitum. Quum haec apographa sint multo priora tempore, quam tabula a nobis exarata, variantes itaque eorum lectiones hic afferendas esse duximus:

Pag.	Linea	*I. Aug. II.* 1726.	*II. Sig. Aug.* 1549. *Metr. R.* 76. *p.* 415	*III. Steph. Bator.* 1583. *M. R.* 129. *p.* 434.
78	1	temporis decursu... apud posteros pati	temporum d....a p. nostros pati	ut II ut I
	2	solent perpetuate res	s. perpetuare res	s. perpetuatae r.
	3	perennari (*)	perhennare	perhennari
	5	seculum presens pariter et futurum fecimus	saeculum p. p. et facimus	seculum praesens, praeteritum et futurum facimus
	8	Grimislave...generose	Grzimislavae g.	Grimislavae gratiosae
	9	preponentes...a quo habemus quod vivimus	proponentes a. g. h. quod qui vivimus	ut II ut I
	10	paternorum	primorum	I
	11	Casimiri	Cazimiri et sic porro vox haec scribitur per z	II
78	12	Prandothe Episcopi	Prandothae dei gratia E	Prandotae d. g.
	15	Zawichostensi	Zawichosth	Zawichost
	16	presidiis proventibus, seu immunitatibus	praediis, proventibus, libertatibus seu immunitatibus	II
	19	nunc sunt et erunt	I	n. s. vel erunt
	20	et venationibus	et cum v.	II
	21	censentur	censeantur	II
	ibid.	ipsum scilicet Zawichost	i. s. oppidum Zauichosth	i. s. oppidum Zawichost
	22	cum utilitatibus et piscatione	c. u. et pis cationibus	II
79	1	usque ad Kszcie	usque in Vsce	u. in Uszcie
	2	*Winary*	Vinary	I

(*) Idem omnino prologus legitur in alio privilegio ab eodem Duce Boleslao eidem Monasterio quinque annis post, nempe 1262 impertito, scilicet tunc, quum idem Monasterium Zavichostia in oppidum Skalam translatum est. Quod priuilegium continetur libro *Judiciorum Assessorialium Regni* asseruato in Varsaviensi tabulario publico Regni Poloniae, N. 7 f. 1 et sqq.

Pag.	Linea.	*I. Aug. II.*	*Sig. Aug.*	*Steph. Bat.*
79	2	*Komorin, Peccare, Czerm.no, Durovo, Petrovice, Borovo, Postrussnicy, Kostrow, Hosino, Tucina, Upiana, Daronino, Sawlonichi, Brzescane, Wangarce, Dambane, Chotków, Winare* inferius super Wislam cum clausura, *Sobotha, Wiczownica* que nunc dicitur *Ostrow* et alias sortes in *Przewody* et *Kobiernici* cum vinea et agris Solegodonis: *Unanowice, Wloszczowice,* et ecclesia in *Zarnowice* cum sanctuariis, quorum hec sunt nomina Domang, Sdeslaus, Osselg et omnibus etc.	*Comorzin Peccary, Czermin, Durow, Pudrowicze, Borow, Psthrqgy, Hostrow, Cossino, Tucina, Lypczina, Daronino, S.....* (sic) *Brescane, Wangrcze Dauidany. Chotkow, Vinari* super Wislam cum clausura, *Sobothka, Wezolbinge, quae nunc* dicitur *Ostrowo* et aliquas sortes in *Pslliod* (sic) et *Cobiernici* cum vinea et agris sdigodonis: *Vnouicze, Wloscewicze* et ecclesiam (sic) in *Zarnowiecz* cum sanctuariis, quorum haec sunt nomina: Paulus cum duobus fratribus, Michaël cum fratre et duobus filijs et Camerariis, quorum haec sunt nomina: Domanus, Sdeslans, Eissel et omnibus etc.	*Komorzin, Piecoary, Cirnino, Durowo, Pijotrowicze, Borowo, Postrusnicze, Hostrow, Cosino, Tuczina, Vpiana, Daromno, Sawlowicze, Breszczany, Wangorci, Dambane, Winary* inferius super Wislam cum clausura *Sobotha, Wezownicze* quae nunc *Ostrow* dicitur, et aliquas sortes in *Przywod* et *Cobniczi* cum vinea et agris Sdigodonis: *Vnonowicze, Wloscowicze* et ecclesiam (sic) in Zarnowiecz cum sanctuariis, quorum sunt haec nomina: Paulus cum duobus fratribus, Michaël cum fratre et duobus filijs et Camerarijs, quorum sunt haec nomina: Domang, Sdeslaus, Ossel
	11	et aliarum pertinentiarum	et aliarum pertinen. (sic) (Itaque forsan pertinentium)?	II
	12	de celario Ducis sex urne melis	d. c. d. sex tunnae mellis	de cellario D. sex urnae mellis
	13	*opolie* vulgariter appellatur	quod opole wlgariter	quod oppole vulgariter a.
	ibid.	suprascriptarum	subscriptarum	I
80	1-7	*Zarnowiec* et *Korytane*, et *Krewi csi*, et *Udorz*, et *Wierzbica* et *Dobraczow*, et *Hocola*, et *Małyszyce*, et *Wilczow*, et *Holuza*, et *Lunonici* villa per nos collata, et *Myslowici* et *Marcinowicz*, et *Przedmoszczanie* et *Rokitno* villa ecclesie cum decima, et *Wola*, et *Moczydlana*, et *Kozlow*, et *Bobrech*, et *Przechody*, et *Kurozwęki*, et *Omesznici*, et *Bobra*, et *Zathsa*, et medium *Studeniowo*, quod possidet Comes Adamus	*Zarnowiecz, Coriczany*, et *Wrema* et *Wdow*, et *Wirbicza* et *Dobrakow*, et *Hotopa*, et *Malisylcze*, et *Wilkow*, et *Holuza*, et *Wimowa* villa per nos collata, et *Mislouici*, et *Moranouici*, et *Predmoscane* et *Rokythno* villa ecclesie cum decima, et Volia, et *Moczidlane*, et *Costolly*, *Bobreth*, et *Przychody*, et *Kuroznechi*, et *Osmenici*, et *Babra* et *Zachssa*, et medium *Sendeino*, quod possidet Comes Adam	*Zarnowicz* et *Coriycziany*, et *Crowici* et *Vdorz*, et *Vyrzbicza* et *Dobraczow*, et *Hotola*, et *Malissicze*, et *Wyskow*, et *Holuza*, et *Bunowicze* villa per nos collata et *Myslowicze*, et *Marczinowicze* et *Przedmosczane* et *Rokitno* villa ecclesiae cum decima, et *Wolia*, *et Mochidlane*, et *Kozlow*, et *Bobrech*, et *Prichody*, et *Kurosuechi*, et *Omessnicze*, et *Dobra* et *Zathssa*, et medium *Studeniczno*, quod possidet Comes Adam
	9	corito vulgariter appellatur	corito wlgariter appellantur	koritko vulgariter appellatur
	ibid.	nun cupatur	nucupatur	I
	10	has duas marcas	ac. d. m.	et d. m.
	11	Ilkusch	Ilkusz	II
	12	Charsza	Tharsse	Tarse
81	1	ac inhabitatores	et i.	ac i.
	2	volumus et	volumus, ut	II
	6	suparium... *stroza*	supremum... *strozam*	supanum... *strozam*
	7	poduzne, naramb, targowe, poradlene	p. narub, targowe, poradlne	II
	8	causa sanguinea, ab omni furto, et a *powolowe*, nec aliquas	c. sanquinis et ab o. f. et *powolane* (sic), neque aliquas	c. sanguinis et ab omni facto et a *powolowe*
	ibid.	et quevis pejora alia	vel quaevis pecora alia	II
	11	autem omnes incolas	autem eosdem incolas	II
	12	perangariis	preangariis	I
	13	in posterum poterint	in futurum poterunt	II
	14	ordinaria, casuales vel repentina	ordinarie, casuales vel repentine	II
	17	Castellano et quovis	I	C. vel quovis
	19	soli dicto	solum dicto	II
	20	locari	locare	II
	24	famulantem	famulante	I
	26	arbitriis	arbitrio	II
	ibid.	subscriptorum	suprascriptorum	II

Pag.	Linea.	*I. Aug. II.*	*Sig. Aug.*	*Steph. Bat.*
81	27	Tarczyn	Tharczin	Corczin
	29	sexto nonas Marcii	I	nonas Martij sexto
82	1	Mazoviensi	Mazoviae	II
	ibid.	Janussio Gneznensi	Janusio Gnesdnensi	Janussio Gnesnensi
	2	Casimiro	Cazimiri	II
	ibid.	Falcone	I	Fulcone
	3	Segneo	Signeo	Zbigneuo
	4	Mazoviensi	Masoviae	Masouiensi
	ibid.	Boguphalo	I	Bogufalo
	ibid.	de Czechów	de Czechow	II
	5	Dionisio de *Beich*	Bronisio de *Weich*	Bronisio de Berch
	ibid.	Warschone	Warssone	Varsone
	ibid.	Sulislao	I	Gulislao
	ibid.	Sandomiriensi	Sandomirien. (itaque forsan Sandomiriensibus)?	Sandomiriensibus
	6	plurimis clericis et laicis	I	pluribus clericis et lagicis

Confirmatio Sigismundi Augusti continet etiam confirmationem Spithconis Palatini et Capitanei Cracoviensis anni 1395 quam hic tradimus:

1549 Sigismundus Augustus etc. Significamus etc. Exhibitas esse coram nobis literas Domini Boleslai Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis per Magnificum Spithconem Palatinum et Capitaneum Cracouiensem innouatas, et ejusdem sigillo maiori obsignatas, salvas, illesas, omnique suspitionis vitio carentes: supplicatumque est nobis, ut easdem innouare, approbare, ratificare et confirmare authoritate nostra regia dignaremur. Quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

1395 Nos Spithko (sic) Palatinus et Capitaneus Cracouiensis notum facimus vniuersis, quibus expedit praesentibus et futuris praesentium noticiam habituris: Quod veniens personaliterque constitutus nostri in praesentia honorabilis vir dominus Andreas Rector parochialis ecclesiae Sarnouiensis, Canonicus Cracoviensis, Procurator Monasterij Sancti Andreae Cracouiensis illustris Principis Abbatissae et totius Conuentus praedicti Monasterij ordinis Sanctae Clarae quasdam literas illustris Principis domini Boleslai, diuae memoriae Ducis Cracoviensis et Sandomiriensis de et super fundationis donatione Monasterij iam dicti confectas, sanas, saluas et integras, non rasas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui suspectas, prorsus omni vitio et suspectione carentes, nobis praesentauit, petens instantia debita, easdem literas debita sub forma transsumptas scripti patrocinio commendare.

Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

In nomine domini, amen. Quoniam omnes morimur etc. (*Sequitur contextus tabulae XLXI anni 1257 p. 77 typis descriptae*).

Apologus confirmationis a Spithcone profectae sic se habet:

Quibus quidem literis eiusdem domini Boleslai Ducis praetacti sanis, saluis et integris, eiusque vero sigillo in cordula sericea glauci rubeique coloris dependente sigillatis acceptis, lectis, recensitisque et intellectis, attendentes, quod iusta congruaque pe-

Prologus confirmationis Regis Stephani sequens est:

Stephanus etc. Significamus etc. Productas esse apud nos nomine Abbatise (sic) et Monialium Conuentus seu Monasterij ad Sanctum Andream intra muros Cracouienses literas illustris olim Boleslai Ducis Cracouiensis et Sandomiriensis, quibus oppidum Zawichosth cum omnibus eius villis, praedijs, ac caeteris attinentijs Monialibus Ordinis sanctae Clarae in oppido Zauichost donauit et contulit. Quarum quidem literarum tenor de verbo ad verbum est talis:

In nomine domini, amen. Quoniam omnes morimur etc.

Epilogus autem confirmationis ab eodem Rege Stephano datae, est:

Productis autem hoc modo literis praefatis apud nos, cum de earum confirmatione et renouatione literis nostris facienda nomine Monialium supradictarum Conuentus seu Monasterij ad Sanctum Andream tanquam haeredum dicti oppidi Zawichost, et successorum illarum, quibus est donatio facta supplicatum nobis esset: Nos perspecta supplicationis eiusdem aequitate, iustamque et legibus Regni nostri consentaneam illam esse iudicantes, literas easdem his insertas, et quidquid in illis continetur, quatenus tamen in usu habentur, et iuris publici ratio permittit, approbandas, ratificandas et confirmandas ac innouandas esse duximus, approbamusque, ratificamus et confirmamus ac innouamus literis hisce nostris, decernentes, ut suum robur debitum perpetuis temporibus obtineant.

In cuius rei fidem etc. Datum Lublini die duodecima mensis Octobris anno domini 1588, Regni vero nostri anno octavo. Stephanus Rex subscripsit.

tentibus assensus denegari non debeat, ad instantes peticiones memorati domini Andreae Procuratoris Monasterij Conuentusque sanctimonialium iam dictarum, huiusmodi literas nobis, ut praemittitur praesentatas, in hanc formam transsumi fecimus, nostrique sigilli maioris appensione fissimus communiri. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem et testimonium pleniora, roburque firmitatis perpetuae, praesentes scriptas literas de nostra scientia appensione sigilli nostri maioris duximus muniendas. Actum Cracouiae feria quarta post festum Paschae, anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Presentibus nobilibus viris Borkone de Tssczenecz, Petrassio Panski. Nicolao Notario generali terrae Cracoviensis, Raphaële de Slupow, Nicolao de Sczepecz, Pet rassio de Zagorzicze et Nicolao de Barczkow haeredibus et alijs quam pluribus fide testimonioque dignis.

Quas quidem literas hic insertas in omnibus punctis, clausulis, articulis et conditionibus innouandas, approbandas, ratificandas et confirmandas duximus, ita ut praesentibus innouamus, approbamus, ratificamus et confirmamus, decernentes easdem robur perpetuae firmitatis obtinere. Harum testimonio literarum etc. Datum Cracouiae feria secunda infra octauas Corporis Christi, anno domini M. D. XLIX Regni nostri XX. Relacio Reuerendi in Christo patris domini Samuelis Maczieiowskij Episcopi Cracouiensis et R. P. Cancellarij.